BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
18 C
14/1

IOANNIS LODOVICI VIVIS VALENTINI DE ANIma & vita Libri tres.

EIVSDEM ARGVmenti

VITI AMERBACHII de Anima Libri IIII.

Ex vltima autorum eorundem recognitione.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
14-9.D.6

LVGDVNI,
Apud Antonium Vincentium,
M. D. LV.

IO. LODOVICI VIVIS IN
SVOS LIBROS DE ANIMA ET VI= ta,ad Franciſcum ducem Beiaris,comitem Belalcazaris,&c.Præfatio.

NVlla eſt rei alicuius vel præſtabilior cognitio quàm de Anima, vel iucundior, vel admirabilior, quæque tantum adferat ad res maximas vtilitatis. Nam quòd anima excellentiſsima ſit omnium,quæ ſub cœlo ſunt condita, atque adeò cœlis quoq; ipſis potior atq; excellẽtior:fit,vt quæcũq; de illa poſsimus aſſequi, permagni æſtimentur. Accedit tanta in illa varietas,is cõcentus ornatusq;,vt nec terræ ipſæ,nec cœli adeò ſint depicti & deſcripti. Eſt quoque ipſa tam admirabilium vitæ totius operum inuentrix & artifex,vt ſpectari nec ſine ingenti voluptate poſsit,nec ſine grandi admiratione. Iam verò quod illic fons eſt atque origo bonorum omnium noſtrorum, & malorum, nihil eſt conducibilius, quàm probè noſci: vt purgato fonte, puri dimanent riuuli omnium actionum. Neq; enim poterit animum gubernare, & ſemetipſum ad rectè agẽdum habere in ſua poteſtate, qui ſe non explorarit. Artifex videlicet eſt noſcẽdus ante omnia, vt ſciamus quæ ſimus ab illo expectaturi opera,quibus rebus ſiue agendis ſiue patiendis ſit idoneus,quibus contrà. Idcirco vetuſtum illud oraculum toto orbe celebratiſsimum,in progreſſu ſapientiæ primũ poni gradum illum iubebat,ut quiſque ſeſe noſſet, haud utique oſſa & carnem, & neruos, & ſanguinem,quanquam & hæc quoque:ſed animi naturam, qualitatem,ingeniũ,vires,affectiones præcipiebat inſpici,& tam varios & longos receſſus ambagesq;, quãtum fieri poſsit,explorari. Quibus de cauſis viſum eſt mihi, tanta de re cõmentari nonnulla:atq; eo magis, quòd recentes philoſophi,vt in cæteris diſciplinarum argumentis, ita & in iſto ſegniter ſunt verſati,contenti iis quæ eſſẽt à veteribus relicta.ipſi verò ne nihil omnino agerẽt,eas addiderũt quæſtiones,quas tum explicare eſſẽt propè impoſsibile; tũ explicatæ nihil adferrent fructus: tanta erat libido in rebus prorſum inanibus ſe defatigare. Porrò antiqui in rebus tam reconditis ſtatuendis,magnis ſe inuoluerunt atque intricarunt abſurditatibus. Nec

mirandum profectò eſt, de anima illos prauè ſenſiſſe, quæ ſub nullum corporis ſenſum cadit: qui ineptiſsima de iis rebus affirmarint, quas ſenſibus uſurpamus. Stoici moleſtiſsima loquacitate infinita deblaterarunt, dum omnia cupiunt definire,& ad ſubtiles redigere captiunculas. Ariſtoteles more ſuo tectus eſt,& vafer. Ego,quæ ſentiam,tradam explicatius, ad normam non luminis naturalis,quod imperiti ſomniant: ſed veritatis, quæ & in natura, & ſupra naturam vnica eſt, non duæ. De quo errore & loquutus ſum de Corruptis artibus diſputans diffusè ſatis, & loquar in libris de Veritate fidei Chriſtianæ. Itaque nec in refellendis falſis de Anima opinationibus,quæ plures ſunt quàm in alia quacunque quæſtione,operam ſumam:quod eſſet laborioſum admodum,& immenſum,pluſque adferret ſpinarum,quàm fructus. Cum verbis autem non ſolùm à populo inuentis receptiſque, ſed vſu etiam doctorum tritis, multum fuit nobis negocii: dum parum congruentia, aptare tamen conamur noſtræ ſtructuræ. Nam vt nihil eſt magis quàm anima reconditum, magiſque ad omnes obſcurum atque ignoratum: minimè omnium quæ res ad illam pertinerent, accommodis potuerunt vocabulis exprimi,ac conſignari. Nos tamen quædam tolerauimus, alia expoliuimus, & adaptauimus, nonnulla ſuſtulimus, vt maximè diſcentium videbatur referre. Opus hoc tribus voluminibus explicatum, de Anima brutorum, de Rationali, & de Affectionibus, nomini tuo dicare conſtitui FRANCISCE, Dux præclariſsime, non tam ob tua in me beneficia,magna alioqui,& (quod ego pluris facio) pleniſsima egregiæ tuæ in me voluntatis: quàm quod excellens ingenium tuum huiuſmodi tractatione admirabiliter delectari ſolere noui. Adde, quod eſt de affectibus ſpeculatio, quæ tertio libro continetur, fundamentum vniuerſæ moralis diſciplinæ, ſiue priuatæ, ſiue publicæ. qua tu vna diſciplina, quod ex te ipſo, quum Bruxellæ vnà eſſemus, intellexi, præter cæteras caperis, ac teneris: iure id quidem optimo. nam nec alia vlla eſt æquè viro Principi conueniens, ad ſe ac ſuos, totamque Rempublicam ritè gubernandam.

IOANNIS LODOVICI VIVIS VALENTINI, DE ANIMA & VITA

LIBER PRIMVS.

Væ nec ſunt adhærentia cognitioni ſenſuum expoſita, neque ijs ipſis adhærentibus teguntur, cognoſci à nobis poſſunt ex ſolis operationibus. Cernere eſt in rerum natura quædam torpida, motus ſui penitus expertia, non ali, aut creſcere, non loco ſua ſponte cedere, ſed perpetuum in ſuo ueſtigio fixa, quomodo à prima ſua origine ſunt ab autore ſuo condita: niſi quod extrinſecus uel acceſſione aliorum fiunt maiora, uel detractione minuuntur, ſicuti eſt à nobis in Prima philoſophia explicatum. Alia uidemus nutriri, augeri, decreſcere intrinſecus. Sunt quæ ui ſua atq; impete mouentur, ſunt quæ præter hæc ſenſus habent externos & internos: poſtremò quæ ratione utuntur, ac mente ualent. Prima illa, quia ui & uigore prorſum carent, non dicuntur uiuere. reliqua propter internam illam uim cenſentur uiuere: quorum gradus quatuor annotantur. Nam quæ ſolum nutrimentum recipiunt, idq́ue ad uitam propagandam & augendam molem in corpus diffundunt, uitam ſiue facultatem altricem nutrientémque dicuntur ſortita: quo in genere ſtirpes omnes continentur. Quæ uerò præter eam ſenſus quoque ſunt nacta, hæc ad uitam referuntur ſenſilem ſiue ſentientem. huiuſmodi ſunt ſpóngiæ marinæ, conchæ, & Rerum diuiſio.

quæ ſtirpanimantia dicuntur, Græcè ζωόφυτα. *Alia* [...]
rò uitam cogitatiuam habent, quæ præter externos ſe[...]
ui quadam animi ſunt prædita ad memoriam & cog[...]
tionē, ſicut aues & quadrupedes. Vita rationalis ſeu [...]
mana, ſumma eſt inter uitas, media inter ſpirituales
turas & corporales, qua ſolus eſt donatus homo. quo
tem nomine inſignitur uita, eodem & anima, ut ſit in
anima alens, in alijs ſentiens, in alijs cogitans, in hom[...]
Nutritio. *rationabilis. Dicamus ſigillatim de unaquaque. Nutr*[...]
eſt conuerſio nutrimēti, qua eſt poteſtate corpus ani[...]
tum, in corpus iam re ipſa animatum. Poteſtas hæc fa[...]
lis & propinqua debet intelligi, quæ ex effectione
qualitatibus conſideratur materiæ: quæ aptæ ſunt, u[...]
eam mutationem utatur illis facultas ea, quæ eſt uiu[...]
indita ad ſe alendum. neq; enim aridum lignum uel c[...]
res eius ſunt rationis, tametſi per tranſitus actionum [...]
turæ aliquando in herbam & fruges poßint conuerti:
eiuſmodi poteſtas procul eſt ſita, & iam aliæ prorſum
eſſent, quàm prius. Vitæ huius ſeu animæ altricis duo ſ[...]
Calor. *inſtrumenta præcipua in corpore, calor & humor: ta*[...]
etſi ex his duobus calor propriè ad uim altricem pe[...]
net, humor ad calorem. Anima omnis conſeruatur in co[...]
pore per calorem: hoc eſt illius inſtrumentum poti[...]
mum. ſicut uita noſtrorum animorum calore quoq; p[...]
pagatur, nempe charitate Dei. Torpent ſcilicet omnia,
emoriuntur, calore ſemoto. & quoniam hic uelut alim[...]
to quopiam indiget, ne euaneſcat ſubitò, & reſtringa[...]
tur, idcirco additus eſt humor uiuentibus corporibus,
lut frænum caloris, ad prorogationem uitæ. Arripit h[...]
morem calor, & exugit: uiciſsim humor refrigerat ca[...]
rem, & rapiditatem eius retardat, ac cohibet. nec alia

reduct

reductio aquæ ad frigiditatem, quam Ppiloſophi aliqui comminiſcuntur, qua dicunt aquam excalfactam referre ſenſim ſe ad qualitatem ſuæ naturæ, hoc eſt ad frigorem. utique non magis aqua, ſi ab igne ſeparetur, ad frigus ſeſe recipit, quàm uinum & oleum, & quicunq; humor alius. humidum enim ui naturæ ſuæ calorem refrænat primùm: hinc, ſi nimius eſt, cõſumit: unde humidũ omne quãlibet facultate calidũ, amoto extrinſecus calfaciẽte, refrigeſcit. Sed redeamus ad corpus animãtis. Si in eo inualeſcat calor, naſcitur ſitis, quæ eſt humidi & frigidi appetentia, contrarij ſcilicet: tum cõfirmãdus eſt humor, ad ſedãdos ardores. Sin calor in humorem, & hic in illum agens delaſſentur, refocillatione utriq; eſt opus, & ſumminiſtratione uirium. ea fames nominatur, appetitus calidi atque humidi: niſi quòd humor, quẽ ſitis expetit, tenuior eſt, quã quem fames. Sin uerò immodicè auctus ſit humor, flacceſcit calor, & deſiderium alimẽti languet, reparandus eſt fomentis: tametſi nutrimentũ omne quodãmodo fotio eſt, ac medicina. ſed nutrimentum reparat animans, medicina autem inſtrumenta facultatis, quæ ſunt ulterioris cõtemplationis. Appetitus autẽ inditus eſt uiuẽtibus ad conſeruationem ſui, nẽpe ut ſequatur utilia, fugiat à noxijs. itaq; s in libramento humidi & calidi conſeruatur, dum uel æqualitatem obtinent, uel eam inæqualitatem quæ facilè poßit æquari cibo indito aut potu: quæ profectò inæqualitas gratißima eſt, quippe naturalium uoluptatum, & incitamentum ad eas expetendas, & condimentum, ut uideantur ſuauißimæ. Ex his, quæ diximus, perſpicuum fit, familiaribus nos & ſimilibus nutriri, contrarijs curari. Nam ſi quod poteſtate eſt hoc, facilè tranſit in reipſa hoc, quò poteſtas erit propinquior, eo etiam expeditior nu-

Reductio aquæ ad frigiditatem.

Sitis.

Fames.

tritio:ideóque animantes recens natæ congruenter lactę nutriuntur, quod eſt ei moli quàm ſimillimum, unde habent coagmentata corpuſcula. Conſtant naturæ corpora ex elementis naturæ, quæ quatuor eſſe, in confeſſo eſt: ignem, ſpiritum, aquam, terram. hiſce omnibus alimur, uel in eorum natura, uel in facultatum ratione. aqua & aere per ſe, in ſimilitudine autem rebus aqueis, ſpirituoſis, calidis, ſolidis, & duris: uelut ceruiſia, uino, oleo, carnibus, fructibus, aromatis. Et ſicut animantis corpus ſolidum eſſe oportet, ut quæ à facultate uitæ in eo exercentur contineat, ne diffugiant ilico, & dilabātur omnia: ita in cibis conuenit aliquid eſſe ſolidum, quaſiq́; terreæ qualitatis, quod alia cohibeat liquida, & in quo hæreat uis caloris, trāſeátq; in molem animātis: alioqui ſemper animans appeteret, nec finis eſſet edendi ullus. In mari piſces alij alijs ueſcuntur: & quæ marina aqua ſola putantur ſuſtentari, ut mænæ, craſſiuſculum ex ea ſumunt. unde etiam eſt in conchis & oſtreis fæces deprehendere, quod acidulus ſapor manifeſtò prodit. Stirpes ſolo affixæ, terrenum ſuccum per radicem ſugunt: ex cuius parte ſubtiliore ſunt frondes & flores, ex denſiore fructus, ex denſiſſima radix, truncus & brachia. Obſeruatum eſt etiam, nationes omnes pane uti & obſonio, uel re aliqua quæ panis uicem impleat: nempe caſtaneis, glandibus, radicibus, piſcibus exiccatis. Et inter animata, ut quæq; ſunt craſſiſſima, ualidiorémque habent in denſa materie calorem: ita rudiſſimo eſt eis & craſſiſſimo alimento opus, ut ſub ſeptentrione, & equi & aſini. quin equus poturus aquam pede turbat, ſi fortè ſit liquidior: ſcilicet non eſt conueniens ei alimentum adeò tenue. Aſianorum quidam ſolis odoribus frugum dicuntur uiuere & noſtri Hiſpani frequentes mo-

Fundamentum ciborum.

riuntur

riuntur in inſulis Noui orbis,& altera parte continentis, ob cœli & alimentorum ſubtilitatem: unde ſolida corpora,aere & cibis denſioribus aſſueta,non queunt uitã producere. Eadem de cauſa aqua pura non dicitur alere,ſed eluere.nec potus per ſe in rationem alimenti uenit,niſi ex adiuncto,quum alia immiſcentur,quæ excogitauit partim neceßitas,partim gula. & alia genera potionum ſunt inuenta,ſuccis uarijs è frugibus expreßis: uelut uuis, pyris, malis. Sed hic potus noſter eſt.naturæ uerò eſt ille,quo promiſcuè animantes utuntur omnes,& homines,qui ſine artibus ſolo naturæ nutu ac magiſterio reguntur.idcirco uidemus eum in cõmune uitis uniuerſis largißimè propoſitum. *Potus.*

Et ſicut humor calorẽ detinet,ita calor quoad poteſt efficere, carpit atq; exorbet humidum,coquẽs diſſoluensq; ui atq; operatione naturæ ſuæ. Inter coquendũ ſeparat utile corpori à redundanti,ac proinde noxio. *Concoctio* Vtile corpori eſt,ſuccus corpori congruẽs,quia ſimilis:noxium eſt, uel arida materia, uel ſuccus alienus, & ideo ſaluti corporis officiẽs. Vtile diſtribuitur primùm in membra, hinc cõuertitur in corpus animãtis,quod uis animæ complectitur,quaſiq; agnoſcit,ut partẽ iam ſui corporis.

Huiuſce altricis facultatis multa ſunt munia,& tanquã particulares functiones,quæ illi uniuerſali ſubſeruiũt: nempe uis attrahens alimentũ ad ſe,quam etiã in ſtirpibus deprehendimus,quæ fibras radicũ uelut digitos quoſdã quoquò uerſum porrigunt ad capiendũ,quo ſe alant.ideóq; radix omnis uim habet quandã perrumpendi, atq; aperiendi à natura inſitam:ut quandoquidẽ humi eſt affixa, in duris & denſis locis poßit ſibi locũ facere,tum ad ſe dilatandũ, tum ad ſorbendũ,ſi quid eſt alimenti in uicino.Sed facultas hæc arripiendi nõ multum prodeſſet,ſi quod admiſſum *Partes animæ vegetatiuæ.*

eſt,continuò efflueret.itaq; retentrix additur, quæ continet alimentum, & cohibet, donec perfecta ſit congruens eius mutatio per potentiã coctricem. Huic adiuncta eſt purgatrix, quæ purũ ab impuro ſecernit: impurum uerò expultrici,ut foras eijciat,traditur:purũ uerò diſtributiuæ, ut diffundat in mẽbra. Poſtrema omniũ eſt, quæ ſuccum illũ ſiue alimentum cõuertit,& incorporat in ipſum uiuens:incorporatrix ſanè nũcupetur.Hæ functiones mutuò expectant,& adiuuant.prius enim alimentũ coquitur, quàm diſcernatur: & hoc,antequàm expellatur noxium: neq; attrahens ſuo fungetur munere, ni euacuatũ ſit corpus:nec coctrix,niſi prioris cibi facta ſit expurgatio.ſed ſi qua earum ceſſet in officio,ſtatim in alijs quoq; ſentitur ſegnities quædam & deſidia: tanta eſt inter illas conuentio,& cuncto corpore diuinitus tẽperata proportio,quæ facile nos in admirationem duxerit tanti Artificis,cuius opus tale eſt,ut nõ dico imitari (id enim nulla poteſt alia uel uis,uel ſapiẽtia)ſed uel mente & ratione aſſequi,magnum & pulcherrimũ ſit. Hæ facultates nõ certas habent ſedes in animato corpore, ut unaquæque in aliquo uno ſit membro,nõ in alijs.fuſæ ſunt enim in omni parte & membro,tametſi in alijs maiores,& magis annotationi noſtræ expoſitæ:in alijs minores,& magis obſcuræ,adde etiã diuerſarum rationũ. Cernere eſt in perfectis animantibus, in quorum uentriculo concoctio ſit in modũ ptiſanæ,in iecore uerò ſanguinis,in mẽbris autẽ ſubſtantiæ animantis. Et primùm quidẽ ſubſtantia eſt uniformis, ac ſui ſimilis: tum aduerſa ac diſſimilaris:nec eſt unquam coquendi,& purgandi, & pellendi finis, aut ocium aliquod. calor enim continenter feruefacit humidũ: nec ullum eſt adeò purum,quin habeat fæces,quæ ſeparentur. Idcirco uniuerſum

uerſum

erſum animantis corpus meatibus eſt quaſi perforatum, r peruium expulſioni purgamentorum, quæ fit dies & octes, primùm per patentes illas cloacas ſuprà & infrà re, naribus, auribus, oculis: dehinc iis, quæ uocãtur emunctoria, ſub alis, & ad inguina. cuncto deniq; corpore exalant ſubtiliores fæces: quod declarant capitis furfures, r ſcabricies, ablutio quoq; manuum, quæ ſemper inuenit uod eluat. ad eundem modum in pedibus, & in omni parte corporis. Hac de cauſa toties neceſſe habet animans ibum ſumere, ut quod perpetuò perit, inſtauretur. Hæc acultas nutriens prima eſt, & ſimpliciſſima omnium, ad uſtentationem animantis à Deo tributa.

DE AVCTRICE FACVLTATE.

VIuentia omnia aliquouſq; uidemus creſcere, & plurima illorum gignere ſibi ſimile. itaq; nutrici facultati addita eſt auctrix quidem in omnibus, generatrix in pleriſq;. Auctricẽ ut omnibus ineſſe diximus, ita non ſemper. nã & ſiſtũt aucta, & relabũtur retrò: minuũtur enim, uaſiq; contrahũtur, quemadmodũ augẽdo ſeſe exporrecerant. Generatrix certo aduenit tẽpore, adultis uiribus: uæ uiciſſim decremento potentiæ debilitatur omnino, ac perit. Altrix ergo potẽtia, perpetua eſt in uiuẽte: auctrix erò, & quæ ſimile generat, tẽporaria. auctrix ſtatim ab rtu, uſq; ad certũ limitẽ: gignens uerò, poſteaquã ad certam magnitudinẽ & uires peruenit. De augente dicamus rius. ea non eſt additio extrinſecus, ut quũ lignorũ & lapidum aggregatione ſurgit domus, & ueſtis aſſuendis annis: ſed eodẽ tacito atq; occulto artificio, quo nutritur, nempe conuerſione alimenti per intima extenditur uãtitas extrinſecus. Itaq; uis hæc ex nutriente manat, & ibus nutrit, quã eſt ſubſtãtia congruis qualitatibus præ-

dita: & auget, qua moles. ideo animantium corpora in ſpongiæ modũ finxit Deus:*& ſi alia dẽſiora alijs,minusq́; perforata,omnia tamen poros habent,per quos alimentũ*
Metalla. *ſe inſinuet,& moles ſe diffundat.Sũt qui metalla inter res numerẽt anima præditas, quòd uideamus ea creſcere, & quidẽ intrinſecus, ut appareat nõ fieri abſq; alimẽto.quæ opinio haud prorſum eſt abſurda. neque eſt quod prohibeat,illa quoq; recipi inter uiuẽtia.nec ea ſuis carẽt meatibus, tametſi illorũ auctus ad applicationẽ molis poſſunt magis referri,quàm ad actionẽ altricis.quẽadmodũ creſcũt fontes ac fluuij humore accedẽte:ſaxa itẽ in imis terræ, & ſcrupi ac lapides in ſuperficie. Ignẽ quoq; uiuentẽ eſſe exiſtimarũt olim quidem,unde religio eũ extinguere apud ueteres* Romanos*(uti* Plutar.*tradit)ſcilicet ali eum & creſcere autumabãt.ſed profectò nõ tam eſt ignis animans,quàm quiddã altrici uirtuti, & augenti ſimillimũ: nempe earũ facultatũ in corpore animato nõ cauſa utiq;, ſed inſtrumentum.nam cauſam non eſſe,probè* Ariſt.*colligit.quoniam quidẽ ignis incremẽti nõ habet terminum: extenditur,quantũ ſuppetit quod comburatur.animantis uerò meta, eſt aliqua ex ratione animæ: alijs autẽ citerior,alijs ulterior, pro ui & magnitudine caloris & humoris,tũ naturaliũ & primorum, quos in ipſa corporatione natura inſeuit:tum eorũ quæ poſtea ex alimenti,& loci, & habitudinis qualitate acceſſerũt.hæc omnia intra certos limites* Conditori Deo *cògnitos, naturæ autem à* Deo *ipſo præfinitos: de quibus facilius nobis fuerit* [illegible] *re,qui non ſint, quàm qui ſint. neque enim ulmi aut* [illegible] *cus proceritatem homo unquam pertinget, nec fo*[illegible] *exiguitate humana anima continebitur, ſuis quide*[illegible] *cultatibus & inſtrumentis apta atque adornata.* Legi,

Creſcendi terminus.

qui

qui ſtatim in ortu pueri, quam ſit habiturus ſtaturã præ-dicant. ſed id magis in generibus quantitatis, quàm in defi-nito aliquo puncto: ut ex membrorum cõſtitutione & oſ-ſibus, & totius proportione dicãt, puſilla ſtatura eum fo-re, aut media & iuſta, aut longa atque enormi, quadrato corpore, & bene compacto, aut è contrario. Quid, quod illa quæ deinceps accedunt, aliquid ſæpenumero eam ad rem faciunt? ut nutriri aridis, an humidis: in calido & ſi-ticuloſo loco, an frigido & humenti. humor enim auget corpora: eóque maiores ſunt marinæ beluæ, quàm terre-ſtres: & hæ, quàm uolucres: & in locis humidis amplio-res homines, quàm in arentibus: ut ad ſeptentrionẽ, quàm ad meridiem: & potus magis extendit corpora, quàm ci-bus. Hæc *augendi functio ad perfectionem uniuſcuiuſque uiuentis eſt tributa.* V*iſum eſt enim autori omniũ, eas le-ges operæ ſuæ naturæ impoſuere, ut quæ ex his elementis mundi inferioris in apertum edat, adoleſcant paulatim ex paruis initiis, dum adulta iam & quaſi plena ſiſtant pauli-ſper gradũ, hinc recidant ſenſim in ſuam originem: quem-admodum bis per ſingulos dies animaduertere eſt in mo-tu* Oceani. Hæc *productio rerum à natura facta, imago* Oceani
eſt mundi à primo conditi. Non *poteſt natura res è nihilo* motus.
procreare: ſolus id poteſt Deus. *producit autem tam tenui principio, ut iudicio noſtro non ualde uideatur abeſſe à nihilo: tum productum ſuſtentat, atq; auget. in quo ad-miramur & bonitatem & potentiam Conditoris in ea, quæ eſt uelut ſecunda creatio.* Tum *exhauſtis uiribus, quũ iam ſuſtinere ſe non poteſt, quod creuerat, diminuitur. eſt enim cuiuſque rei curſus & duratio, uelut iactus quidam, ſicut in* Prima *philoſophia eſt declaratum.* Hàc *uadunt omnia, quæ ſub luna cernimus, & contrectamus, tum* Dei

opera,tum hominum inuēta.Prima illa corporis animati conſtitutio,& contemperatio caloris humoriſq́;,opificio naturæ indita,poſtquam ſe totam ceu inuolutam euoluit, atque explicauit,pugnantibus in eam loci & alimētorum qualitatibus deteritur indies,fitq́; imbecillior, quouſque ſuccumbit manibus aduerſantium,hoc quidem naturaliter.Nam caſus permulti intercurrunt,qui non ſinunt eam conſtitutionem aliàs euolui, aliàs ſiſtere, aliàs paulatim relabi:ſed ſubitò,aut breuiter,certè uiolentia ſua opprimunt. Fit etiam non raro,ut ea conſtitutio imbecilla ſit admodum.materia non ſatis obſequente actioni naturæ: uel quia parua & malignè ſuppeditata, uel quia infecta noxia qualitate.Inſtrumentum animæ altricis & augeſcentis eſt calor, paſtus caloris humor. eſt autem calor quidem à natura ingenitus, eſt etiam humor ei additus, qui fuſus quidem eſt per cunctum corpus,ſed fundamentum habet in neruis,in oßibus. Hic multus eſt initio. quæ cauſa eſt,ut infantes inualidi ſint,nec ſenſibus & ingenio utantur,tum ſomno indigeant diuturno.hunc calor paulatim carpit,& emendat.Sed ad uim caloris auertēdam, ne breui tempore totum humidum conficiat,tribuit Deus *eſculenta & poculenta.humidum tamen illud indies fit minus:calor autem ut in ſicco acrior,quoad fatiſcat deficiente alimonia,unde & uires corporis flacceſcunt:ita relabitur deorſum paulatim corpus eiſdem ferè gradibus,quibus aſcenderat.*

DE GENERATIONE.

P*Oſtea quàm adoleuit corpus uiuens, incipitque interitus appetere,ne genus rei pereat,cōceßit* Deus Na*turæ,ut uim generandi ſibi ſimile,& propagandi genus uiuentibus poßit indere. Primùm natura initijs rei,unde*

eſt offi

eſt officium nutriendi, tum incrementis augendi poſtremò conſeruandi ſingula, quamdiu poteſt, certæ ſpeciei per procreationẽ ſimilis: ita generationem uidemus eſſe opus animantis, iam pleni & adulti. hoc non ſolùm in animalibus eſt annotare, ſed etiam in ſtirpibus. Veris enim tempore tota uis eſt in radice, hinc in folijs & ramis, poſtea in flore & fructu, ad poſtremum in ſemine, ex quo ſato prodit planta priori ſimilis. Itaq; generatio eſt conuerſio animati corporis, quod re ipſa eſt ſemen, in aliud ſimile illi, ex quo fuit deſumptum. & quoniam nutriri, adoleſcere, gignere, ex alimento ſunt, idcirco ſub animæ uegetantis nomine clauduntur. eámque Ariſtoteles definiuit facultatem, quæ alimentum in corpus animatum conuertit ad eius ſalutem, & ex eo auget ad complẽdam iuſtam eius molem, & generat corpus animatum ſuæ formæ ac rationis. Semen in parua molis portione uim effectionis ſuæ continet: quæ nacta congruentem materiam, profert ſe atq; explicat. Itaque magis id ad rationem effectionis pertinet, quàm molis. Ideóque poſtremum accedit, uidelicet poſteaquàm uis uegetatiua functa eſt ſuo munere in augendo corpore: tunc enim uacat ei de ijs qualitatibus, quæ animam in corporis adminiſtratione continent, multum exiguo in loco colligere, unde mox ſimilis effectio arceſſatur, quantum quidem materiæ qualitates patiuntur. nam quum hæ repugnantes ſunt ijs qualitatibus, quæ effectioni congruunt, degenerat quod producitur: ut in terra, quum diuerſi generis ſtirpes edit ab ijs, unde erat ſemen deſumptum: & in monſtris animantium, & in muliere, quum pro puero edit beluam nõ unius formæ. quod frequens eſt Neapoli Italiæ, & in Flandria Belgica: in quarum mulierum locis gignuntur beluæ multiformes,

Generatio

Anima uegetatiua.

ſæpe

ſæpe ſolæ, aliàs cum infante, interdum puero à belua uel ſemeſo uel exucto. Craſiſſimo uidelicet, maximéque putri humore eiuſmodi mulieres abundant ex alimentis braſſicarum, & ceruiſiarum potu. nec ſecus eiuſmodi procreantur in illis beluæ, quàm lumbrices in utero pueri ex crudis fructibus: prauitas enim receptaculi adfert uim facultati ſpecificæ ſeminis, & cogit uel nõ producere rem ſuæ ſpeciei, uel aliquid aliud cum ea. Mola. *Mola quoque ab eadem eſt cauſa. Ex ſemine non raro prouenit degeneratio, quum eſt corruptum deprauatione interna, in ſua productione: uel externa, à loco, tempore, uel adiecto aliquo.* Varia generatio. *De uiuentibus alia generationem habent ſpõtaneam, ut muſcæ, culices, formicæ, apes: quæ nec ſexum ullum habent. Alia ex commixtione ſexuum prodeũt: ut homo, equus, canis, leo. Sunt quæ ambiguam habent procreationem, ut mures. nam eorum alij ex ſordibus ſine concubitu, alij ex concubitu proueniunt. Stirpes omnes ſpontaneam habent originem: primùm ex ſuo ipſarum ſemine, deinde etiam ui terræ, in quam ſparſit mundi conditor ſemina herbarum omnium, fruticum, arborum, alia alijs locis. nam frumenta & uineta, quæ tanta noſtra cura excoluntur, naturalia ſunt, & à primo ſponte ex terra orta: neque enim ipſi fecimus. Ferunt in Sicilia triticum ultrò prouenire, abſque hominum cura. nos tamen induſtriam adhibuimus, ut uſui noſtro aptiora fiant. Idcirco qui cultum hunc uel excogitarunt, uel alios docuerunt, pro inuentoribus eiuſce rei celebrantur: uelut Ceres tritici, uini* Noe, *oleæ* Minerua. *Sunt quædam arborum, nec fructum ferentes, nec ſemen: ut tamarix & populus, quæ ideo infelices appellantur. ſed quæ non propagantur ſemine, ijs pro ſemine eſt ſurculus ex ipſis decerptus, aut terræ natura ac uis. Quæ commixtione*

mixtione ſexuum procreant, in ijs eſt mas, unde ſemen de- ciditur: & fœmina, quæ illud in ſe recipit. ideo generatio perfecto iam animante aduenit, ut ſit unde ex mare ſine damno poßit ſubtrahi, & fœmina ſine incommodo ſuo excipere, déque ſua ſubſtantia alere atque augere. Quod eſt in uiuente corpore præcipuum, quaſique animæ pro- ximum, ex ſemine patris ſuboritur: quod autem craßius, ex materia matris. eámque ob cauſam mas calore præ- ſtat, tum ad expellendum ex ſe ſemen, tum illis ſpiritibus communicãdis: fœmina autem frigidior eſt & humidior, ad continendum ſemen, alendúmque fœtum. nec aliter ui- ri ſemen, & materia fœminæ ſe habent, quàm granum ſeminis ſtirpis alicuius, & terræ ſubſtãtia. uis enim pro- creandi hoc genus arboris, eſt in ſemine: moles autem, qua arbor alitur augetúrque, ex facultate terræ. itaq; expro- mit ſe atque explicat uis & natura ſeminis in materia, quam terra ſuggerit. Differentia autem inter ſexus parua eſt: nihil enim aliud eſt fœmina, quàm mas imperfectus: nempe cui iuſta defuit caloris menſura. itaque ex inopia uidetur naſci fœmina. Sed ea eſt tamen principis naturæ inſtitutio, ut utroque ſexu ſit opus in animantibus, alter ex uiribus naſcatur, alter ex imbecillitate: nec deſit un- quam utraque cauſa ad utrunque procreandum. & qui ex malis nouit bona elicere, idem profectò ex infirmitate educit robur: tanta eſt huius Conditoris ſapientia. Quæ animalia proportione ſuæ corporationis multum de pa- terno acceperunt ſemine, ualent ſpiritibus, agilitate, uiri- bus, ſubtilitate animi: quæ contrà plus de matris materia, tarda ſunt, & laxa. In ſtirpum propagine magna eſt in- ter genitum & gignens ſimilitudo figuræ atque ingenij, minor in animalibus, ſed maior in brutis quàm in homi- nibus:

Mas. Fœmina.

Differẽtia inter ſexus parua.

nibus: propterea quòd in illis ſtabilior eſt imaginatio, quàm in nobis. nos enim magis uagamur animo. Genitricis facultatis hæ ſunt uires particulares. Expultrix in

Partes animæ generatiuæ.

mare, qua ſemen effunditur, & in fœminam immittitur: in fœmina autem, continens & aſſeruans, tum immutatrix: quæ ſemen maris cum materia matris commiſcet & temperat, quatenus & corporis & cuiuſque membri contemperationi conducit: formatrix, quæ membra format & ſignat: poſtremò, quæ ſtato naturæ legibus tempore fœtũ excudit. Hæc eſt anima uegetatrix, cum ſuis functionibus: quæ quoniam ſunt tot, tam uariæ, par eſt ut uaria ſint ei inſtrumenta & loci, quibus exerceantur: unde partes in animante exiſtunt, & membra, non uniuſmodi, & ſimiliaria, ſed facie & qualitatibus uariè atque admirabiliter diſtincta.

DE SENSIBVS.

HAec uitæ ratio, & plantæ & animalibus eſt communis. ſed in animalibus quiddam uidemus ineſſe, cuius plantæ ſunt expertes: nempe cognitionem, intueri, audire, tangere, guſtare, odorari, quæ ad externa pertinẽt: quum tota plantæ uita introrſum ſpectet, exterorum orba &

Cognitionis genera.

ignara. Cognitionis tria ſunt genera: *unum, quod nouit corpora tantummodo præſentia: alterum, quod etiam abſentia: tertium, quod res incorporeas.* Primi generis cognitio, *ſenſio uel ſenſus nuncupatur, etſi nomine parum apto: quippe quod nõ minus patet latè, quàm ipſa cogni-*

Senſio.

tio. Sed utendum erit receptis uerbis. *niſi fortè planius fiat, ſi quis corporalem ſenſionem dixerit: quod equidem non impedio.* Ea uerò eſt cognitio animæ, per externum corporis inſtrumentum. *Animaduertimus in animali ocu-los, per*

los,per quos cernit:aures,per quas audit:nares, per quas odoratur:palatum,quo ſapores dijudicat:& totum corpore ſenſum quendam diffuſum calidi & frigidi, humidi & aridi.hæc ſenſoria uocantur,quaſi organa & inſtrumenta ſentiendi,uel ſenſionum receptacula:in quibus uis illa ſentiendi artifex,& effectrix ſenſus nominetur. quod uerò ſentitur,ſenſile dicitur.Ita ſunt in ſenſione duo prima,uigor & ſenſorium, hæc utique naturæ poteſtate.ut uerò ea poteſtas ſe exerat,additur aliquid in quod,obiectum ſcilicet,ac uelut ſenſionis materia. Iunguntur ergo ſenſus & ſenſile,ad ſenſionem.Quæ porrò in natura iunguntur diuerſa,medio aliquo utrique conſentaneo applicantur:ut quũ os carni annectitur per cartilaginem. medium eſt ergo,quod & ſenſili congruit & ſenſui:ut in uiſu uel auditu,aëre aut aqua. Habet quoque medium cauſam aliam,ut ſenſile quodammodo extenuetur diſtantia, minúſque ueniat materiale ad ſenſorium,magíſque ſenſus naturæ congruens,quæ eſt ſpiritalior,quàm ipſum ſenſile. Conſentanea uerò exigitur diſtantia.nam ſi procul abſit, extenuatur ſiue miſſa à ſenſili imago, ſiue ea uis quæ in ſenſu imprimitur à ſenſibili, nulla ut iam ſenſio poßit exiſtere. Cuius imaginem intueri licet in ſigillo ceræ impreſſo:quæ ſi ſit craſſa,non adeò in medio eius hærebit forma,atque in ſummo, quod eſt annulo proximum. Sed diſtantia non ſimplex eſt,& ubique eadem:alia enim eſt alibi pro portione ſenſus,& ſenſilis,& qualitatis medij.Oportet item ſiue analogiam ſiue proportionem eſſe aliquam inter uim ſentientem,& ſuum ſenſile:ut hoc intra limites illius concludatur,nec ſit tamen adeò tenue,ut fallat:quemadmodum minuta grana,molare ſaxum effugiunt in moletra.

Senſoria.

Senſile.

DE VI

DE VISV.

De uidendi ſenſu primùm eſt diſſerendum : is enim ſimpliciſsimus eſt, ac notiſsimus, adeò ut eius appellatio ad reliquos ſenſus, ádque animi cognitionem extenditur. Vidésne, inquiũt omnes, quàm ſuaue pomum, quàm graue æs, quàm dulcis concentus, quàm teter odor atque auerſandus, ut acutè cõfectum eſt argumentum? ita reliquæ omnes notitiæ ex hac una intelligũtur, & oculi ſunt in animo non minus quàm in corpore: & quæ de uiſu dicuntur, ut acutus ſit uel hebes, ad cæterorum quoque ſenſuum functiones accommodantur. Autor rerũ omnium
Lux. lucem ſuam per uniuerſum mundum diffudit, ſpiritalem in ſpiritalia, corporalem uerò in ea quæ eſſent corporata, ut eius beneficio & ſpiritus intelligerent, & oculi corporei cernerent, ſic in angelo ſpiritalis eſt lux Dei, in ſole autem corporalis. Lux hæc, quæ corporis in modum per moles eſt recepta, quum in raro hæſit corpore, efficit illud pellucidum, ut cunctum poſsit cõſpici: uelut uitrum, aquã, aerem, quod διαφανὲς Græci nuncuparunt. quum uerò denſiorem nacta eſt materiam, excluſa ab intimis hæſit circa ſumma: eáque tenuis lux, quod in extima facie conſpicitur, uocatur color. non quin colorata ſint etiã corporum intima, ſed coloris effectus in ſuperficie eſt. Color
Color. autem pro lucis portione uariè temperatur. nam uel plurimum lucis retinet, quod uocatur album: uel minimum, quod atrum: in quo ſunt etiam diſtinctiones, & ceu gradus quidam. nam eſt album & candidum, eſt atrum, nigrum & fuſcum ex quorum commixtione & temperamento, alij atque alij colores apparent, quidam albo, quidam nigro uicini: alij tanquam in meditulio amborum. quæ omnia eſſet recenſere penè infinitum. Nam ſub ipſis

formis

formis ſunt aliæ uelut minores formæ, quas non ſit perſequi numero. Declaratur hoc, quòd in ſolo uiridi nulla eſt herba, nulla arbor, quæ non proprium quendam habeat uirorem, & ſuum ab alijs omnibus diſtinctum. Senſorium uiſus exterius quidem ſunt oculi, interius uerò duo nerui à cerebro pertingentes ad oculos. Itaque exterior lux cum illa oculorum coniungitur, ad notitiam uidendi: ſicut lux ſpiritalis cum luce mentis, ad intelligentiam. Nec uideri quicquam & diſcerni poteſt, ni adſit certius quidam uel lucis uel luminis modus, pro ui & potentia oculorum: neque enim quantuluſcunque ſufficit, ut de nocte. ſicut rurſum immodica lux obruit oculorum uires: ut ſi quis noſtrorum ſolem ſerenum occidentem conſpiciat, quod incommodum aquila non ſentit. Lux uerò, ſeu lumen, quod hic non diſtinguo, haud adeò eſt neceſſaria propter interuallum oculi & uiſilis, quàm propter ipſum uiſile, ut tenuis lux à maiore adiuuetur. nam ſi circa uiſile non ſit lux, tametſi in reliquo ſit interſtitio, ſint tenebræ: circa uiſile autem lux, cernetur. itaque qui de nocte faces aut laternas geſtant, ipſi uiſi ab alijs, non uident eos. Quapropter res quæ plus participant lucis, facilius in tenebris cernuntur: ut prunæ, adamantes, pyropi, nix, ſpecula, aurum, argentum, cuprum, orichalcum, læuigata & polita, & animalcula quæ cicindellæ nominantur: quorum omnium lux diei ſplendore obruitur, de nocte exiſtit, ut aliorum minorum luminum in maioribus. Nec ſolum ſibi ipſa ſuppeditant hæc lumen in tenebris ad ſui conſpectum, ſed impartiuntur uicinis rebus. Spacium autem oportet eſſe aliquod, & quaſi interuallum, inter colorem & oculum. oculus enim nihil cernit primùm & per ſe, niſi lucem: ideo hunc abſque interuallo intuetur. Quod ſi color oculo Spacium.

ſuperponatur,non cernet eum:quia excluditur lumen, cuius ope fit notitia uiſus. Sin uerò longius color recedat, non intuebitur: ſiue quòd uiſus potentia imbecilior eſt, quàm ut eò pertingat: ſiue quòd radij qui à uiſili ad oculum tendunt,tanta loci intercapedine cõtabeſcunt. Princeps uiſile,uti modò dicebam,eſt lux:& quæ uidentur reliqua,modo quodam rationéq; lucis cernuntur,nempe radiatione in formam pyramidis, cuius baſis eſt quod ſpectatur.conus autem attingit pupulam,ſæpe non totus:neque enim rei magnæ uniuerſus conus ſub magnitudinem pupulæ poteſt cadere. ideo pupula diligenter ſe circumuoluit,mira celeritate, ut omnes lineas coni, quoad eius facere poßit,perluſtret. Qua de cauſa uiſile quod agitatur,minus certo conſpicitur,quòd lineæ coni non tam fixè feriunt centrum pupulæ,quàm ad uiſionem conuenit. Turbatur quoque uiſus in commotione interualli, ut in aere: ſed manifeſtius in ijs quæ denſiora ſunt, uelut aqua & uitro. Qui oculi hebeti ſunt uiſu, ijs maiore opus eſt cono ad uidendum: idcirco procul non uident. adhibentur pro remedio conſpicilla,ut res appareat maior, quo ne debilem aciem ſubterfugiat. Alij quum quid intentius uolunt intueri, contrahunt genas, ut ſimul uis oculorum in ſeſe recepta ſit efficacior, ſimul imago rei arctius coacta,ne ſe effundat, ſed amplior ſenſorio imprimatur, atque ſtabilior: quod in ſpeculis atque oculis animaduertimus uſu euenire. ſpecula enim, & oculi concaui imaginem concipiunt maiorem:tumentia uerò ſpecula, & oculi extantes, minorem.Oculi nullum ex ſe habent colorem.nam ſi quem haberent, omnia putarentur eſſe eiuſdem coloris: ut qui per uitrum ceruleum intuentur,aut rubeum, omnia iudicant eius eſſe coloris.& in uehementi atra bili multa eſſe

cenſen

cenſentur nigra, & in iracundia ſanguinea uel lutea, quæ non ſunt. Ergo *primum uiſile eſt lux, ſecundum color, tertium adiacentis gratia, quod luce aut colore eſt conueſtitum.* Tametſi *ea quæ ſolam obtinent lucem, uelut aer rarus & liquidus, non dicuntur ſpectari, propterea quòd quale ſit, nemo facile dicat: ſicut aquam uel uitrum dixeris, in quibus denſior materia lucem reddidit, ad naturam coloris propius accedentem.*

DE AVDITV.

E*St & alter ſenſus, quo percipiuntur ſoni: neque enim oculis ſonos dinoſcimus.* Sonus *quid ſit, difficile eſt explicare.* Gignitur *ex plaga duorum corporum, qua aer pellitur uſque ad aurem.* Sitne *aer ita impulſus ſonus, an ea corporum commiſsio, an aliquid adhærens eſſentiæ, difficilis ad explicandum quæſtio, & minimè neceſſaria.* Nec *aliter in aere fit ſonitus, quàm orbes illi in aqua, iacto in eam lapide: & in orbem ſonus porrigitur, magis ac magis ſeſe extenuans & hebeſcens. qui orbes ſi frangantur, priuſquàm ad aurem pertingãt, imperfectus auditur. ideóque molem eſſe ſolidam, durámq; eſt neceſſe, qua pellatur aer: nam molles non habent eam uim, ut linum & lana.* Leuior *autem, & latior & complanatior materies, ſi duricies adſit, ualidè aerem ferit, & procul pellit integrum: ideo latius ſonat, ut in ære. latius adhuc, & integrius, ſi ſit caua: ſicut in lebetibus & cymbalis, propter crebrum repercuſſum: plaga enim congeminatur.* Aſpera *uerò ſuperficies aerem diffringit, & raucum confuſumqúe quiddam ſonat.* Oportet *autem aerem tum impelli, tum non diſſolui.* Itaque *ſimul & ictu eſt & celeritate opus, ne ſi remiſſe committantur corpora, lentus aer cir-* Sonus.

*culos ſuos continuò diſsipet. præuertenda eſt ea diſsipatio celeritate plagæ:ut quum uirga aut ſcutica aer intentè cæditur,uelocitas ictus non patitur orbes aeris diſturbari, exiſtítque ſonus, in quo percuſſus aer eſt pro mole icta:proximus uerò,interualli habet uicem.Senſorium eſt exterius quidem auris, & craſſus quidam in ea aer, quaſique humor:interius uerò,nerui ab auribus ad cerebrum pertinentes.Hic aer auricularis cum externo illo coniungitur, qui eſt uerberatu corporum pulſus : unde fit auditio,ſicut ad uiſum lux cum luce.*Naturalis *huius aeræ indicium eſſe aiunt,quod ſi quis auriculam manu compreſſerit,ſentiet intus ſtrepitum,ſcilicet moto illo aere.Cæterum ſi quis ſit illic aer, quem ego potius tenuem humorem ac ſpongioſum eſſe arbitror : ſed is tamen motu omnino caret,& ſonitu, qui de reliquis eſt ſonis cogniturus. bombus uerò ille ex aere eſt externo, qui admota manu concluſus inter auriculæ mæandros ſinúsque, & exitum quærens,ſonum illum edit,quemadmodum in retorta bucцina.*In *aqua etiam audiri,ſunt qui affirment,quòd piſces audiant ſonitus .quod mihi uerum non uidetur:neq; enim piſces in aqua audiunt,ſed motū aquæ tactu ſentiunt.*Non *quod abnuam audire piſces aliquos, quorum annotamus ad officium audiēdi perforata capita in modum aurium: & extra aquam ſonitus exaudiunt, quos attentè auſcultant,aliàs admirantes, aliàs territi, aliàs quoq; illicefacti.uerùm naturæ arcana ſunt,nobis incumprehenſibilia. Fieri poteſt ut piſces aliqui ſub aquas audiant, & hoc ſit illorum ingenium:itaq; hoc ſit relictū in medio.in cæteris autem qua non eſt aeri aditus,nec ſono:ut per denſiſsimos parietes.* Vidi *tamen in cemeliarchio* Menciæ *principis* Zeneticæ *globum aureum abſq; ulla rima operis temiſtitanici,*

Aer auri congenitus.

ſtitanici, qui intrinſecus edebat ſonum abſcrupulis, uel auri bracteolis. ſed auri lamina exterior erat prætenuis, quæ abſcrupulis internis icta, ipſa aerē uerberabat, unde exiſtebat ſonus. Aer ictu molium diſſiliens, ſi occurſu ſolidi corporis integer reflectatur, unde uenerat, fit ſonus reflexus, ſiue reciprocus, qui à Græcis ἠχὼ nominatur. Echo. *quanto uerò uiciñius eſt, quò impingit, & integrius reſultat, tanto fit maior echo, & plenior: minor autem & confuſior, quo uel corpus eſt longius, uel confractior eſt aer. & quia poſtrema impingunt potius quàm prima, idcirco echo ſemper quod ultimū eſt ſoni, explicatius reciprocat. Reflecti ſemper aerem percuſſum, ideóque ſemper etiam echûm fieri, meritò Ariſto. affirmat: ſed non percipi à nobis, propter tenuem reflexionem. aer enim, etiam ſi nullum corpus ſolidum occurrat, non impellit aerē uicinum, quin ab illo uiciſſim repellatur: ſed uincit aer cæſus proximum aerem quietum, impete ac uiolentia, quam ei corporum concuſſus dedit. quo fit, ut ualidis uentis ſpirātibus, minus ſoni audiantur, noctésq; ſint ad audiendum aptiores quàm dies: quippe in motu uenti aer cæſus, nō ſe perinde expandi, ſicuti quum quieta ſunt omnia. quod cernere eſt in aqua fluctuante, in qua orbes iactæ rei continuo diſturbantur. Sonus eſt, ſenſile auditus: corpora autē, quæ ſonāt propter* Sonus. *ſonum. ita quæ corpora ſonum non emittunt, ut lana & linum, inaudibilia nuncupantur. Sonus in actione ipſa uel tardus eſt, uel celer: in ſenſione autē acutus aut grauis, & quæ ſunt inter hæc duo interualla graduum complura.*

DE TACTV.

Conſtitutio prima naturalis corporis, elementa naturæ complectitur: quorum qualitates ac uires prin=

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

cipes ac ſimpliciſsimæ ſunt, calidum, frigidum, humidum, aridum: ex quibus aliæ coniugationes exiſtunt, duri ac mollis, aſperi & læuis, grauis & leuis. Hæc qui dignoſcit, unus eſt ſenſus, isq́; tactus nominatur, diffuſus per omnes corporis neruos, uel per ea quæ uice ſunt neruorum. Communicatur ea tangendi uis carni quoque ex uicinitate, ſed tenuius atque hebetius. Interuallum quidem tactus & tactilis per ſe eſt caro, ſed ipſa quoq; communitate quadam ſenſorium. ſi quid ſuperponatur carni, ſentiet quidem per illud nerui ſpiritus, in quo eſt tangendi facultas: ut calidum uel frigidum, durum aut molle per chirothecam, ſed non prius quàm ad carnem penetrârit ea qualitas. Verum Tactilia. *ex illis tactilibus, quæ de communi omnium ſententia poſuimus, ſi quis rem ſubtilius expendat, inueniet ſolas primas qualitates elementares ad hunc ſenſum proprie pertinere: reliquas autem, ad uires & robur. itaque alia alijs & molliora, & duriora cenſeri: ſicut magis aut minus, uel grauia uel leuia. Aſperum autem & læue ex arido ſunt & humecto, per æqualitatem aut inæqualitatem ſuperficiei. Vnus ergo eſt tangendi ſenſus, & unum tactile: nempe elementaris qualitas, cuius ope naturale corpus compingitur. Eæ uerò qualitates, quoniam ex proportione ac congruentia uel noxiæ ſunt, uel ſalutares corpori animantis, idcirco ad eas noſcendas tactus eſt uniuerſis animantibus tributus, & per uniuerſum corpus, quo facilius declinetur damnoſum. Sed in homine in extremis potiſsimum digitis manuum: non quòd illic caro ſit molliſsima, ſed partim ex contemperatione, partim ex aſſuefactione. atque eo naturaliter ducimur, ut digitis illis prætentemus, & faciamus periculum primarum qualitatum: quod ut expeditiſsimum eſt, ita & leuiſsimi detrimenti, ſi quid accidat.*

accidat. Adiecit hoc quoq; beneficiũ natura, ut moles quæ tanguntur, ſegnius irritarent ſenſum, quàm uiſile uel audibile: ne quoniam ipſæ per ſe tangunt animal, nocumentum eſſet ab illis paratius & grauius, quod enim corpus uidetur, uel auditur, nõ attingit ipſum per ſe oculũ, uel aurem. Eſt & beneficium aliud, quòd breuioribus terminis actiones tactus guſtúsque ſunt circumſcriptæ, quàm auditus & uiſus. celerius enim tangendo guſtandóque, quàm uel cernendo uel audiendo delaſſamur. Nam quod tactus & guſtus ad eſſentiam animalis pertinent, non item auditus & uiſus: moderatio eſt illorum actionibus adhibita à Natura, ne per effuſas operationes corrumperetur ſenſus, & periret animal, quod periculum alijs ex ſenſibus non impendet.

DE GVSTV.

Non omnia quæ natura ex ſolo profert, eſui ſunt animantibus. ſunt quædam illis congruentia, ut fructus & panis triticeus homini, gramen pecori. Sunt quædam aliena, ut lutum uel ligna: quorum alia ſunt omnino fatua & inſipida, alia prorſum aduerſa atque inimica, uel inſuauitate, ut fel & abſynthium: uel damno, ut uenena. Quæ nocumento eſſent futura, ijs qualitatem indidit guſtui inimicam: ſicuti contrà ſalutaribus, congruam & placentem. ſalutaria autem uoco, non tam affecto corpori, quàm rectè habenti. nec refert, ſi qui ex peculiari quodam ingenio, uel aſſuefactione, amaris rebus aut fatuis, aut alienis guſtatui capiuntur: ſicuti homines uoraces & ebrioſi, & mulieres prægnante, & qui laborant atra bili. Qualitas hæc quæ guſtui uel allubeſcit, uel diſplicet, ſapor nominatur. Guſtatus ſenſorium, eſt neruus ſupra linguam expan-

ſus,ad quem ſapor peruenit, ductus à ſaliua. & quemadmodum in extremis digitis acutiſsimus eſt tangendi ſenſus,ita in extrema lingua guſtandi, propter ſubtilitatem ſpiritus nerui: non tamen per ſe(nam uerus ac certiſsimus ſenſus fit in radice linguæ, qua palato coniungitur:) ſed quia quod linguæ mucronem attigit, celerrimè ad palatum perfertur. Humor ſaliuæ uelut medium quoddam uidetur ſenſionis, isq́ue à ſapore immutatur, ut reliqua media à ſuis qualitatibus: eſt enim ex ſe ſaporis cuiuſcunque expers,ut omnes facile recipiat. idcirco quum lingua eſt arefacta,nihil guſtamus: tum ſi ſaliua ſapore ullo imbuta fuerit, non rectè alios recipiet,ut in febri: quemadmodum omnia uidentur cerulea, intuentibus per uitrum ceruleum. Addunt etiam nonnulli medium alterum paulo penitius, & coniunctius cum ipſo ſenſorio, carnem linguæ: quæ ſit potius ſanè organi pars,quàm medium. Quæ animata lingua carent, hæc ore illo ſuo guſtant:aut ea certè parte, quæ illis eſt oris uice, nempe qua alimentum recipiunt. Et quandoquidem ſaliua, eſt medium,eo ſola guſtantur,quæ traducere ſaliuam poſſunt ad ſuam qualitatem:nempe calida atque humida.ex reſolutione nanque humidi à calido, fit ſapor:calor enim ſaliuam extenuat, ut ſubtilius accipiat humidum rei ſapidæ. Qua de cauſa ſapidiſsima ſunt contemperata ex calido & humido, uelut ſaccarum & uinum.mel uerò, etſi efficacitate abſtergit atque arefacit,habet tamen multum humoris in materia.quæ uerò plurimum caloris obtinent,humoris parum, acutius guſtantur, propter cauſam quam modò attigimus:uelut piper,gariophylli,cinnamomum, & aromata: quæ humoris multum, & parum caloris, inſipida ſunt, hebetémque reddunt guſtum,ut aquoſa. incraſſatur enim

ſaliua,

ſaliua, unde ſenſio fit obtuſior: ut uiſus in caligine, aut nebula. ſtupa & lignaarefacta non afficiunt guſtum, ſicuti nec aqua, ſi qua modò eſt purum elementum: illa quòd humore penitus careant, hæc quòd calore.

ODORATVS.

MVlta ſunt in natura, quæ uel guſtata ingẽtem protinus adferunt perniciem, atque etiam peſtem interdum capitalem, ſicut uenena præſentanea. ea gratia data eſt animantibus odorandi facultas, ut quæ congruere, quæ ſecus uiderentur, prænunciaret guſtui ante periculum, ne animal aut edendi auiditate in diſcrimen ueniret uitæ, aut ſuſpicione ac metu à ſalutaribus abſtineret. Ita hic ſenſus magnam habet cum guſtu non ſolum confinitatem, ſed & congruentiam. nam cuique quæ bene ſapiunt, bene olent: & quæ malè ſapiunt, male etiam olent: & ſi non, uice uerſa. multa enim odorifera guſtus auerſatur, neque eſt hoc in utilitate perpetuum. Sunt enim in guſtatu atque odoratu utilitates, ſunt delectationes, & hæ aliàs utilitatibus conducunt, aliàs aduerſantur: nõ in morbo tantum, ut abſynthium & aloe, ſed in recta etiam ualetudine. In quo educatio & conſuetudo multum detorſit naturã. Olim nihil habebatur ſuauius, quàm odor meßis, odor campi uerni: ſicuti nunc hominibus ruſticanis nihil perinde allubeſcit, & ſenibus odor panis triticei recens cocti. poſtmodum quæſita ſunt alia, amaracinus, muſcus, nardus, & aquæ ex floribus diſtillatæ: tum arte miſta & confecta, præ quibus ſordent iam naturalia. Eundem ad modum in epulis: ut quum ſit nihil naturæ inimicius quàm popinaria, multi tamen nequeant iam ſine illa uiuere. Qui à dulcibus abhorrent, nec odorum præſtantia dele-

ctantur:adeò ut non paucis ſuauiſsimus odor grauiter offendat caput.quod accidit etiam in quibuſdam ex imbecillitate cerebri, aut uiolentia caloris, quo abundant odores excellentes,ut thus,cupreſſus, muſcus. Senſorium eſt in carunculis narium,aut quod in alijs animantibus uicem earum obtinet,unde nerui ad cerebrum pertingunt.

Odores. *Odores alij ſunt ſuaues & blandi, alij acres, quemadmodum in coloribus ſunt grati quidam,ut uiridis:alij excellentes,ut candidiſsimus & præfulgens.In ratione ſenſilis præſtãs eſt prior,ſicut lux:ſed in fine ſenſorij ſuaue,quoniam ad guſtum refertur. Quod odori congruenti aduerſum eſt, uocatur fœtor:ſicut amarum, quod dulci. & ut arida & frigida non guſtantur, ita nec olent:tametſi olfactus magis ad calida & ſicca uergit, quàm guſtus. calida enim euaporatio acerrimum odorem gignit,ut in aromatis:& Aethiopiæ Arabiæq; ſtirpes omnes odoratiſsimi ſunt.*

DE SENSIBVS IN GENERE.

SVnt ergo perfectorum animalium ſenſus quinque, uidendi, audiendi, tangendi, guſtandi, odorandi: qui à Deo tributi ſunt animali ad ſalutem ipſius. Nam quòd corporeum eſſet omne animans, & inter corpora uitam acturum,uoluit ei Deus notitiam quandam indere corporum, ut ſalubria appeteret, deuitaret nocitura. Quæ intra quanque rem ſunt abdita,ea per externa noſcuntur. ſenſus ergo ſunt dati,in quibus eſſet omnium exteriorum inhærentium cognitio.nullum enim uidetur exterum adhærens reſtare,quod ſub horum ſenſuum notitiam non ſit comprehenſum:ut appareat,nec pauciores debuiſſe ſenſus abſoluto animanti tribui,nec oportuiſſe plures. quanquam

quam definitio hæc ſit ſanè noſtræ coniecturæ, cum uene= ratione ſapientiæ ac potentiæ Dei, qui ſolus nouit quid expediat, & quatenus. Sed pergamus infirmis noſtris ac tenebroſis uti collectionibus. Ex ui & qualitatibus qua= tuor elementorum, uires quinque ſenſuum ſumus ſortiti, ut ex proportione quadam ac ſimilitudine ſingula ſentia= mus. Terreus eſt tactui uigor, ſpiſſus uidelicet & tenax, fortiúſque apprehēdens: aqueus, guſtus. ex craſſo aere eſt odoratus, qualis eſt fumus: qui quoniam ui caloris ab hu= mido exhalat, ad partem igneā retulerunt principes ſcho læ Peripateticæ, Ariſtoteles & Theophraſtus. funda= mentum quidem illud eſt, & quaſi origo: ſed in euapora= tione ſitus eſt odor ipſe, qui eſt uelut aer denſior. Auditus eſt aereus, uiſus igneus. oculi quidem certè corporatio a= quea eſt, uis autem & efficacitas ignea: & quæ ſunt iis na= turis conſentanea, melius ſentiunt. Primus ſenſuum eſt ta= ctus, poſtremus uiſus: quæ prima eſt cōiunctio, ſimilis mū= danæ illi materiali, quo ignis & terra principes coierūt, reliqua ſunt deinceps interiecta. Diſtinctio & ſeparatio ſenſuum ex ſenſilibus uidetur ſumenda: omnis enim facul= tas eò referretur, in quo ſe exercet. ut ſi ſunt ſenſiliū quæ= dam aliquot ſenſibus communia, uelut motus, magnitudo, numerus, figura ſeu forma, & ſitus, aut in loco poſitio, & quæ ſub his clauduntur, quæ ferè ſunt uiſui & tactui com munia, quandoque etiam auditui. Quæ uerò ex horum ſenſuum cognitione facultas interior elicit, nihil ad ſenſus pertinent: ſicut pulchritudo in forma, aut fœditas, ſimili= tudo & diſsimilitudo. quemadmodum in pomo prius gu= ſtato ſaporem oculus uidetur iudicare, & in igne calorē. Sed non eſt is qui hoc cenſet, uerùm animus ex memoria. nam ſi deſit memoria, rurſum ad experimentum cuiuſque

Diſtinctio ſenſuum.

ſenſus

ſenſus redibitur: ut in pueris, & quibuſdam animantium. Hæc quidem ſunt germana & uera ſenſilia, quæ καθ' αὑτὰ nominantur, hoc eſt per ſe. nam ſubſtantia per ſuum inhærens ſentitur: ideo aliena ſenſione, quæ magis eſt mentis quàm ſenſus. eáque de cauſa qui minus ualēt mente, ægrius penetrant per inhærentia ad ſpeculationem eſſentiæ: ut beluæ, & rudes homines ac tardi. Nam illa iam in infinitum abeunt, quæ coniecturis & ratiocinatione colliguntur. intueri me hominem muſicum, & regem quidem intueor: ſed notitia muſici ac regis non eſt oculi, haud magis quàm concentus, etiamſi libros aſpiciam cum notis muſicis. ſed loquendi conſuetudo obtinuit, quam ut in ſermone non obſeruari abſurdum fuerit, ita in iudicando nihil eſt neceſſe ualere pro lege, aut regula: nec finis unquam eſſet, ſi illam adeò uitioſam ubique uellemus diſtinctiunculis, aut nouitate nominum tueri, ac fulcire. Iam ad alias tranſeamus loci huius quæſtiones. Dubitatum eſt, ánne ſpecies aliquæ à rebus uenirent ad ſenſoria. quæſtio non tam neceſſaria, quàm rixoſa: ideóque circulis ſcholarum, & loquacitate contentionum mirè plauſibilis. Senſus noſtri omnes ita ſunt à Deo compoſiti inſtructiq;, ut ceu receptacula quædam eſſent eorum quæ foris inciderent: hauriunt enim illi manifeſtò extrinſecus, non emittunt. hoc oſtendit forma ipſa organorum omnium caua, excipiendis quæ foris appellerent accommodata. nec aliter in ſenſibus uſuuenit, quàm in animo: qui ipſe nihil foras mittit, ſed aliunde ad ſe attrahit, quod cognoſcat, atque in ſe agat. Facile eſt hoc animaduertere in ipſis ſenſorijs: qui ſi occupati fortè ſint extrà mittendo, non funguntur ſua ſenſione: ut guſtus ſi expuat, odoratus ſi reſpiret, oculus ſi lachrymetur. Enimuero ſi ſenſiones extrà mittendo fierent,

rent, nimis deſatigaretur animans actione tam continua. at in illa receptione, delaſſatio eſt longe minor, & reparatio leuioris operæ. Quod ſi in cognitione omni, ut exiſtimatur, cognoſcens fit ratione ac modo quodam cognitum, ut ſpeculum obiectæ rei imago, uel ſigillum cæra: hoc certè nō extrà prolatio, ſed intrò receptio præſtabit. idq; uideo ſatis cōuenire, quod ferè natura ipſa docet. ſiue conſtitutione ſenſorij, ſiue actionibus ſentiendi. Reſtat controuerſia, an aliquid ex ſe emittāt ſenſilia ad ſenſum, quæ ſpecies dicantur. Venire aliquid ex ſenſilibus ad ſenſoria manifeſtiſſimum, & quidē cum ipſis corporibus in quatuor ſenſionibus, ad nares ſuffitum, ad palatum ſaporem, ad tactum qualitates illas principes, ad aures aerem motum, ad oculos uerò luces ſeu lumina, cuiuſmodi ſuperius oſtēdimus. nec eſt dubitandum, quin hæ ſic pertingant ad pupilam oculi, quemadmodum ad ſpeculum: & uidemus effectum conſimilem. Iſtæ ſunt ſpecies, nec alias eſſe neceſſarias intelligo. Dictu quidē mirabile, uenire aliquid à corpore ad oculum tanta celeritate, ut momēto temporis uideatur longiſſima ſpacia penetrare. quæ cōſideratio multos perturbauit: ſed motus hos pro cuiuſque elemēti qualitate ac ingenio oportet exiſtimari. Maior eſt in uidendo celeritas, quàm in audiendo: quia illud eſt igneum, hoc aereum. ignis autē rapidiſſima eſt concitatio: & quemadmodum colores nominamus luces tenues, ita lucis naturam explanabit. lux enim ſimul ut apparuit, puncto temporis immenſa ſpacia percurrit: & tali ſunt ingenio colores, quali eſt lux, fons illorum & parens. Quæ animantia & pluribus rebus ad ſe tuendum indigent, & pluribus ſunt nocumentis obnoxia, plures acceperunt ſenſus: tanquam inſtrumenta uel quærēdæ ſalutis, uel peſtis euitandæ.

An ſit ſpecies.

Quæ animātes quos habent ſenſus.

tandæ. Tactus tributus eſt omnibus, item guſtus, quoniam neceſſarij ſunt ad uitam propagandam: ideóque & medium eis aſtructum eſt inteſtinum. guſtatu enim utile atque inutile nutrimentum diſcernitur, tactu uerò perimẽs & innoxium. qua de cauſa non uno aliquo in loco tactus eſt à natura collocatus, ut cæteri: ſed ſparſus per corpus uniuerſum, ut partes ſingulæ ad ſui conſeruationem tanquam in ſtatione excubarent. Guſtui odoratus eſt utilis, idcirco & illum antecedit, ut quid cognouerit renunciet, alliciens eum, uel auertens. non erat is admodum neceſſarius in ſcientia rerum, idcirco homini hebetiſſimus contingit: pro quo eſt notitia epularum. quin & facile in nobis tum obſtupeſcit ſenſus hic. defluxu humoris craſſi: tũ etiam corrumpitur penitus. itaque multi eo carent, haud parua ſanè moleſtia liberi, præſertim ut nunc ſunt mores priuati & publici. Quæ animalia procul erant uictum petitura, hæc auditũ & uiſum acceperunt: qui ſenſus alias quoque utilitates præbent complures. Viſus monſtrat faciem ipſam uniuerſitatis ac naturæ, dux & magiſter ſuus cuique domeſticus: ideo præſtantiſſimus habetur. quod teſtatur locus in capite celſiſſimus, tanquam in ſpecula: & chariſſimus cuique, quòd ex eo ad uitam omnem ingentes commoditates capiuntur. hic autor atq; inuentor fuit omnium ferè diſciplinarum & artium: cuius demonſtratione cognoſcimus corporum & in proximo, & procul diſſitorum lucem, colorem, magnitudinem, figuram, numerum, ſitum, motum. Auditus ad transfundendam ab alijs ad alios peritiam aptiſſimus, ideóque ſenſus diſciplinæ nominatur, quo quæ animantes carent, nec doctrinæ intelligendæ ſunt idoneæ, ut uermes. Quibus ſenſum aliquem natura detraxit, dictu incredibile quàm ſedula ſit

in com

in compenſando, partim in aliorum ſenſuum uigore, partim in cognitione interna: ut cæcis ac ſurdis dedit acumen tactus, celerem ac firmem memoriam, intelligentiæ ſubtilitatem. accedit etiam neceßitas, cuius ſtimulo ingenium expergiſcitur. Et quoniam uiſus & auditus cognitioni ſeruiunt interiori, non eſt eos in omni animali reperire, ut reliquos tres, qui corpori. Magnam habent uiſus & tactus communionem, quaſique amicitiam, ut alterius errores alter corrigat, in ſenſili utique ambobus communi. ut in pictura oculus ſibi eminentias quaſdam uidetur conſpicere: tactus uerò accedens, qui eſt ſenſus in homine certißimus, errorem hunc eximit, ſi modò oculorum eſt ea fraus, & non animi. Nam & illud à Philoſophis diſputatur, poßintne ſenſus falli. uetus quæſtio, iam inde ab Stoicis, Epicureis, & Academicis tractata. Sed mihi non uidetur ſenſus poſſe falli, & ſi poſſunt fallere: fallitur enim, qui falſum recipit pro uero, aut è contrario. uerum porrò & falſum in compoſitione ſunt ac diuiſione, quæ in ſenſus nõ cadunt: qui ſenſus ſenſilia ſua ſimpliciter cognoſcunt, abſque adiectione ulla, quod hoc aut illud ſit tale, aut non tale: iſthuc enim cogitationis eſt. Qua mente exiſtimo dictum illud eſſe olim, abſtrahentium non eſſe mentiri. ſenſuum uerò notitia, receptio tantum eſt quædam, ac uelut imaginis impreßio, ſicut annuli in cæra, aut formæ in ſpeculo. Sed reliqua eſt iam illa dubitatio, an ex ſenſuum nunciatione poßit animus decipi. In ſenſione inſunt, ſenſorium, ſenſile, & medium. fallit ſenſorium, prauè affectum: ut lippus, aut luſcioſus oculus. fallit obiectũ longinquum, uel agitatum, uel repentè oblatum. fallit mediũ, non ſatis conſentaneum: ut fumus, nebula, aqua, aer commotus, uitrum colore infectum. Quod ſi omnia in recto

An poßint ſenſus falli.

An ſenſus fallant.

naturæ conſtent habitu,ſenſorium bene affectum, ſenſile commodè oblatum,tempore ac loco medium congruens: non fallet animum attendentem,quod in reliquis omnibus contingit,ut quæ integram ſequuntur naturam,minimum aberrent. Additum eſt,animum attendere oportere. nam is ſi aliò ſit intentus,rectè quidem fungetur ſenſus ſuo munere,animus tamen ipſe prauè ſtatuet:ſicuti quum nuncius uerum refert non audienti. ita exiſtimamus non uidiſſe nos,quæ uidimus,aut aliter uidiſſe. Hoc *eſſe in animo facile intelligitur.nam quidam audientes quæ non animaduerterunt,ſine intelligentia dicti tacent:paulò pòſt uelut à ſomno experrecti, repetunt illud idem à memoria, & declarant ſe audiuiſſe atque intelligere.*

DE COGNITIONE INTERIORE.

PRæter hāc rerum præſentium exteriorem notitiam, aliam intus eſſe rerum abſentium manifeſtò deprehēditur.nam & dormientes multa cernimus, & uigilantes ab omni prorſum functione ſenſuum abducti cogitatione uoluimus,quæ uidimus,audiuimus,tetigimus,guſtauimus, olfecimus:quæ ſunt uel in mutis ad animaduerſionem expoſita & perſpicua. Et *quemadmodum in altrice facultate uidere eſt ineſſe uim quandam, quæ cibum recipiat, aliam quæ contineat,aliā quæ conficiat,quæq; diſtribuat & diſpenſet:ita in animis & hominum & brutorum eſt functio,quæ imagines ſenſibus impreſſas recipit,quæ inde imaginatiua dicitur.eſt quæ continet,hæc memoria:quæ conficit.phantaſia:quæ diſtribuit ad aſſenſum aut diſſenſum,extimatrix.Sunt enim ſpiritalia imagines* Dei, *corporalia uerò ſpiritalium quædam ueluti ſimulachra:ut*

mirandum

mirandum non ſit, ex corporalibus ſpiritalia colligi, ceu ab umbris aut picturis corpora expreſſa. Imaginatiuæ *actio eſt in animo, quæ oculi in corpore, recipere imagines intuendo: eſtq́; uelut orificium quoddam uaſis, quod eſt memoria.* Phantaſia *ucrò coniungit & diſiungit ea quæ ſingula & ſimplicia imaginatio acceperat.* Equidē *haud ſum neſcius, confundi duo hæc à pleriſq;, ut imaginationem phantaſiam, & uice uerſa hanc imaginationem nominent, & eandem eſſe functionem quidam arbitrentur. Sed nobis tum ad rem aptius, tum ad docendum accommodatius uiſum eſt ita partiri: propterea quòd actiones uidemus diſtinctas, unde facultates cenſentur. tametſi nihil erit quandoq; periculi, ſi iſtis utamur promiſcuè.* Accedit *his ſenſus, qui ab* Ariſtotele *communis dicitur, quo iudicantur ſenſilia abſentia, & diſcernuntur ea quæ uariorum ſunt ſenſuum. hic ſub imaginationem & phantaſiam uenire poteſt.* Phantaſia *eſt mirificè expedita & libera: quicquid collibitum eſt, fingit, refingit, componit, deuincit, diſſoluit, res diſiunctiſſimas connectit, coniunctiſſimas autem longiſſimè ſeparat.* Itaque *niſi regatur & cohibeatur à ratione, haud ſecus animum percellit ac perturbat, quàm procella mare.* Adminiſtratio *hæc à ſenſibus mouetur, tum à corporis affectione, qua uia ſpiritales eſſentiæ, ut angeli boni & mali, inſinuant ſeſe ad uim illam concitandam, effectibus rerum naturalium ſubtiliſſimè, quique facile & ſenſuum & iudicij noſtri cognitionem fruſtrentur, adhibitis.* Habent *quoque mentes illæ actiones quaſdam nobis incognitas, ut homines inter ſe, quas bruta non capiunt. nam quemadmodum homines alij aliorum & phantaſiam commouent, & mentem, uerbis, nutibus, ge=*

Imaginatio.

Phantaſia.

Senſus communis.

Spiritus agunt in phantaſiā.

ſtibus, literis, ſignis, quod brutorum cognitionem exce-dit: ſic ſpiritales eſſentiæ phantaſiam noſtram poſſunt agitare, actione aliqua ſibi ſolis propria & cognita, mota prius facultate imaginatrice. Colligata eſt admo-dum imaginatio cum corpore. nam & à ſenſibus moue-tur, & mirabiles uires edit in corpore, ut quicquid in alterutro imprimatur, redundet in alterum: corpus enim eam recipit, & reddit formam actionémque, quam ima-ginatio concepit. quod in rebus Venereis, ſed manifeſtiſ-ſimum atq; expreßißimum in prægnãtibus fœminis ani-maduertitur, in quibus ea efficit imaginatio concitata, quod facere nulla intelligentia aut ratio poſſent. Exti-

Extimatiua.

matiua autem facultas eſt, quæ ex ſenſibilibus ſpeciebus impetũm iudicij parit. Iudicium hoc ad profuturum aut læſurum tendit: quippe ad ſalutẽm retulit natura, uel co-gnitionem ſenſorum, uel ſtimulum ſuum. Itaque iudi-catur prius, quale quidque in ſe exiſtimetur: hinc quàm congruens aut damnoſum. In priore cenſura ſequitur animus ſenſum, uel uiſum: in poſteriore occulto naturæ ſtimulo agitur, & rapitur impete: ut quum ouis fugit lupũm nunquam antea uiſum, & gallinaceus aquilam uel accipitrem, & homo draconem ac monſtra rerum. quin etiam ad primum quorundam hominum aſpectum con-greſſumque cohorreſcimus. De memoria mox dice-tur. Senſa exteriora dubium non eſt, quin proportio-nem quandam, hoc eſt analogiam habeant cum interio-ribus. ſunt enim craſſa & terrea, ſubtilium atque ſpiri-talium imagines: & animo nihil eſt perinde de ſenſibus ſimile, atque oculus. itaque imagines animi proportione rerum tales uidentur illic eſſe, quales externæ. iſtæ in oculis imprimuntur, interiores illæ in lucido ſpiritu, qui

eas &

eas & retinet diutius, & offert animi oculo purius ac manifeſtius: quæ impreßio ceu paßio quædam eſt. at quum in eas animas componendo aut diuidendo incumbit, actio fit illius. Hiſce facultatibus diuerſa attribuit natura inſtrumenta, & ceu diuerſas officinas in cerebri partibus. nam in anteriore cerebro dicunt eſſe ſenſuum fontem ſedémque, ibique imaginationem conſtitui: in medio phantaſiam, & extimatiuam: in occipitio memoriam. idqúe inde colligunt, quod ut quæque harum partium afficitur, ita & illa functio: reliquis non mutatis, haud aliter quàm in corporis membris experimur. pede enim læſo ambulare non ualemus: quoniam etſi ingrediendi principium & uis eſt in animo, in pede tamen eſt inſtrumentum & fabrica. Ex *cognitione cenſuráque noxij & benefici, appetitus naſcitur congruentis, fuga autem damni & auerſio: tum motus animi de bono præſenti, ac malo, déque eiſdem uenturis aut iam appetentibus. qui affectus dicuntur, ſeu perturbationes, Græcè πάθη, de quibus diffusè eſt à nobis ſeparatim diſſerendum.* Appetitus *qui eſt in aliquid, & auerſio quæ ab aliquo, ut animum commouent, ita etiam corpus motu illo ſuo, ut uel ad utile feratur, uel ab obfuturo diſcedat. id fit ingreſſu, uolatu, natatu, ſerpendo. Sunt tamen animantes imminutæ, quæ affixæ ſemper in ueſtigio, quoniam quod ſibi expediat, alibi non quærunt, expertes ſunt horum motuum: uelut conchæ & ſpongiæ. contrahuntur tantum, & extenduntur, quatenus ſatis eſt illarum ſaluti.* Palpitatio *autem in quocunque animali, non eſt motus ex appetitu proficiſcens, ſed nutritionis, dum calor agit in humidum: quod cernere eſt in ijs quæ igni ſunt admota.*

Motus.

Palpitatio.

DE VITA RATIONABILI.

HAe ſenſuum ſiue exteriorum ſiue interiorum facultates ſupremæ ſunt in brutis, in homine uerò menti deſeruiunt, quæ innixa cognitione imaginationis & phãtaſiæ, altius ſeſe erigit, nempe ad intelligentiam rerum ſpiritalium: & aſſequitur, ſe clauſam obſcuro carcere, obſeptámque tenebris, eóque à rerum plurimarum intellectu arceri, nec poſſe planius intueri ac cognoſcere, quæ uellet: ſiue eſſentiam rerum materia contectarum, ſiue qualitatem ingeniúmque immaterialium, nec poſſe per hanc corporis caliginem acumine ac celeritate ſuæ uti. huc uſque uerò nulla uis animantium ſe attollit, quæ nec in ſe unquam reflectitur, nec quicquam ſupra ſenſus corporis cogitat, aut conſiderat. Ex hac cognitione rerum ſupremarum, atque in natura excellentiſſimarum, ita ut etiam ad autorem omnium mens pertingat, oritur amor erga illas. Vnde pugna & contentio inter mentem ac phantaſiam, dum hæc deorſum trahit animum ad corporea, mens ad ſuperna & res præſtantiſſimas erigit: & fertur mens ad ea quæ neque ſenſu ullo, nec phantaſia comprehenduntur, errantémque & diuagantem longiſſimè per deuia phantaſiam cohibet, atque in uiam reducit. Neque eſt uniuerſus eius nutus ad præſentem utilitatem aut noxam pronus: ſed præterita recordatur, & futura coniectat, & ueri falſique cenſuram inquirit: quod bruto non eſt curæ. tantum quid expediat corpori, quidque illud lædat, conſiderat, actus ſolo raptu phantaſiæ. Ex hoc mentis uigore manat ſermo, eorum quæ mente capiuntur index: quo munere non minus carent bruta, quàm mente ipſa, origine ſermonis ac fonte, ideóque muta nominantur: quæ ſigillatim in ſequentibus

Mentis & phantaſiæ certamen.

bus explicabimus. hoc enim ordine ſunt iſta declaranda, ne difficilium atque abſtruſarum rerum intelligentia confundatur. Hæc eſt uita mente prædita, id eſt, conſilio, iudicio, ratione, quæ λογικὴ nuncupatur, à nobis autem rationabilis: quæ cognoſcendo Deo, ac proinde amando condita, finem per hos gradus habet immortalem beatitudinem.

QVID SIT ANIMA.

HActenus de uita animantium. dicamus nunc quatenus inueſtigari à nobis poterit, quid illud ſit per quod quidque uiuit. Repetamus quod initio eſt à nobis poſitum, hiſce uitæ hac uigoris actionibus liquidò patefieri, aliquid in his uiuentibus ineſſe, quod deſit torpentibus: ſcilicet quod uitam illis præſtet, non item his alteris. Id uerò fieri non poteſt, ut ſit ea moles, quæ ſylua ſeu materies dicitur: hæc enim æquè eſt in uniuerſis corporibus bruta, ſemper torpens, & ſui ſimilis, nec ullas ex ingenio & natura ſua uires ſortita. Quod ſi facultatem illam materia tribueret, ubi materia abundaret, largius quoque de eiuſmodi facultate eſſet inuenire, quod multo ſecus uſu comperimus. Nam non minus eſt & animi & mentis in mediocri corpore, quàm in uaſto ac enormi. Quid quod nec minus eſſet homo corpus extinctum, quàm dum uiueret. ſed neque uires illas tantas adhærens poteſt aliquod præſtare: quippe quod extremum & tenuiſſimum eſt rerum omnium cunctæ naturæ, proximum nihilo, ac penè nihil ipſum, ſæpenumerò etiam nihil prorſum, ſola mentis noſtræ cognitione conſiſtens. Porrò ex ui & facultate hac uitæ admirabilia cernimus proficiſci opera, quæ etiam à ſubſtantia exiſtere magnum ſanè

eſt ac mirandum, ut non immeritò homine ſapientiſsimi illud à quo hæc tanta ederentur, in ſupremo ſubſtantiarū ordine repoſuerint. Eſt ergo ab omni ratione alienū, ab inhærētibus ea naſci, quæ uel de celſiſsimis uenire ſubſtantijs iure miramur. Cedo uerò, quæ tandem ſunt iſta inhærentia? qualitates elementorum, quæ nominantur primæ ſeu principes, tum membrorum intus ac foris confirmatio. At uerò non quo quis habet plus caloris, aut frigoris, eo etiam plus mentis. Nec quæ ex illa qualitatum diuerſitate conſtat, nexus atque harmonia poteſt eſſe effectio naturæ: illa enim & augeri poteſt, & minui. effectiones porrò eædem ſemper ſunt, ac uniuſmodi: alioqui uariari poſſet ratio ac natura ſpeciei, quod nulli unquam Philoſopho uenit in mentem affirmare. Compoſitio autem & figuratio corporis, nihil ad hoc faciunt: quippe quæ eſt in cadauere & uiuente eadem. Adde quod maior eſt ſenſus, & humano uicinior, in quibuſdam quæ longiſsimè ab hominis formatione receſſerunt: uelut in elephanto, quàm in ſue, quo ferunt nihil eſſe homini ſimilius intrinſecus, & contemperatione carnis: quod declarat guſtus. nam quidam in extremis rebus paſti cadaueribus, retulerunt eam carnem ſaporis eſſe ſuillæ. Ad hæc, mens noſtra non ſolum non ſequitur naturam corporis, ſed regit illud, & flectit, & torquet quò uult, repugnátque affectionibus, quæ maxima ex illa molis uelut pinſione exiſtunt. Quid quod ſentiendi uis omnem corporis & adhærentium uim ac potentiam excedit, ut illius actiones nulla corporis facultas poſsit exprimere, quanto magis functio illa in nobis ſuprema intelligendi? Scienter Empedoclem Ariſtoteles interrogat, quid tandem illud ſit, quo adiuncta illa uniuerſa ad

Qualitates primæ.

tantam

tantam functionum uarietatem contineantur in corpore, & quaſi coerceantur, niſi ſubſtantia quæpiam, & quidem non de poſtremis generibus eſſentiæ. Manifeſtum eſt etiam in diuerſis animantium corporibus eadem eſſe, ſiue primæ, ſiue ſecundæ notæ inhærentia, ſiue etiam tertiæ, ac infimæ: operationes tamen longè diuerſiſsimas annotari, uelut in puero & ſimio, in leone & fele, in coruo & gracculo. rurſum diuerſa eſſe adiuncta, quum actiones ſint perſimiles, ut in ſene & iuuene. Sed iſti qui ad inſenſilium rerum ſcrutationem aliquam non ſe attollunt, facile ad inhærentia referunt, quicquid altius & reconditius eſt ſenſuum iudicio. Itaque ſuperflua iſtis fuerit omnis effectio, imò uel materia ipſa, ut relinquatur eis ſolum moles quæpiam de genere quantitatis, cuiuſmodi ſunt geometricæ. Neque uerò hanc ſentiendi atque intelligendi uim corpus eſſe dixeris, ex materia & effectione conflatum. nam quod primum in uiuente mouet illud ad operationes uitæ, eſt uitæ fons ille atque origo, de qua iamdudum uerba facimus. Atqui in omni corpore initium & origo actionum, eſt ipſa effectio. fuerit igitur ſatius, effectionem eſſe id, per quod uiuimus, quàm corpus ex materia & ſpecie. quippe corpus eiuſmodi animatũ citius quiuis appellârit, quã animam: nempe per ſuam effectionem uiuens, ſicut candidum per candorem eſt tale. Ex his quæ diximus, facile eſt colligere, quid non ſit anima: deinceps uerò quid ſit, aperiamus. quod quidem fieri non poteſt recta, id eſt, ipſa rei eſſentia denudata, ac uelut ob oculos propoſita: ſed ueſtitam, & quaſi depictam quàm fieri per nos poterit aptiſsimis maximéque proprijs coloribus, proponemus ſpectandam ex illius actionibus. ipſa enim ſub

ſenſus noſtros non uenit, opera autem omnibus penè ſenſibus & internis & externis cognoſcimus. Profectò *benignitas* Domini *naturæ erga nos magnis ſe undique argumentis profert, quod nobis expedit, & in promptu poſuit, & in copia: nullúmque eſt ſignum euidentius, nobis non conducere, quàm remotum eſſe, rarum, difficile paratu.* Anima *quid ſit, nihil intereſt noſtra ſcire: qualis autem, & quæ eius opera, permultum. nec qui iuſsit, ut ipſi nos noſſemus, de eſſentia animæ ſenſit, ſed de actionibus ad compoſitionem morum: ut uitio depulſo, uirtutem ſequamur: quæ nos eò perducet, ubi ſapientiſsimi atque immortales beatiſsimum æuum degamus.* Sed *ut de eo quod propoſitum eſt, pergamus dicere: neque de ijs ipſis operationibus poteſt ſemel in totum definiri, ut quæ paulatim ſe per partes ad intelligentiam totius proferat.* Ergo *brutæ materiæ, ac inerti, addidit effectiones* Deus, *ſiue illas ſpecies nuncupare ſit collibitum, ſeu formas, de quibus eſt alibi à nobis diſputatum.* Eæ *ſunt participes diuinæ præſtantiæ, unaquæque pro modo ſuo & captu, ut uideri poſsint tanquam radij quidam ſempiternæ illius et infinitæ lucis.* Suprema Dei *excellentia, eſt cōditio uitæ illius æternæ, omni felicitate cumulatæ, quæcunq; uel excogitari poteſt, uel optari.* Hanc *ille bonitate ſua impulſus cōmunicare uoluit cum mentibus, quas in id conderet tanti boni capaces.* Itaq; *in rebus conditis, uniuerſæ perfectionis uelut extrema quædā*

Beatitudo. *manus eſt beatitudo.* Secundum *hanc uerò bonitas, per quam uelut inſtrumentum quoddam beatitudo & communicatur nobis à* Deo, *& à nobis accipitur.* Ea *enim & illum ad communicationem inducit, & nos ad par-*

Bonitas. *ticipationem extollit.* Bonitas *autem eſſe nulla poteſt*

ubi

ubi non ſit cognitio eius quod faciendum eſt: uidelicet quod tenendum, & à quo fugiendum. Adhæc tanta & tam excelſa faſtidia per effectiones aſcenditur, tãquam per gradus inter ſe coniunctos, counexóſque, nihil ut inane relinquatur inter extrema à Deo *diſiunctißimis ad coniunctißima. coniunctionem & propinquitatem uoco, ſimilitudine magis præſtantiæ ad noſtra iudicia, quàm applicatione eſſentiæ. ut coniunctio hæc & ſeparatio non ſimpliciter ſumantur, ſed ad quippiam: nempe collatione non ad* Deum, *uerùm inter res conditas ex participatione diuinæ excellentiæ.* Q*uapropter ſunt, quibus res uiuũt effectiones ſiue ſpecies uiuentium. ſicut id per quod res eſt charta, eſt chartæ effectio: per quod adamas, per quod lana, lapis, effectio ſpeciei cuiuſque haud aliter per humanam effectionem ego ſum homo, per equinam hoc eſt equus, per caninam illud eſt canis.* Q*uæ effectio nomen ex ſingulis rerum generibus ſumit, quæ genera & partes ſeu formas ratio ipſa effectionis facit: uelut adamãtina, chartacea, lapidea, per quas ſunt adamantes, chartæ, lapides.* Hanc *in animantibus liceret uitam nominare, niſi uerbum hoc uſus communis ad actionem potius uertiſſet, quàm ad ſpeciei eſſentiam.* Nec *aliter anima eſt ſuo corpori uel connexa, uel (ſicuti quibuſdam placet) annexa & adiuncta, quàm reliquæ formæ ſuis materijs, niſi quòd in nexus ratione ac modo permagnum eſt diſcrimen, quale eſt in naturæ ordine, quo ſuperiora inferioribus iunguntur, terra aquæ, hæc aeri, aer igni, ignis cœlo, cœleſtia ſuper cœleſtibus, ac quodammodo diuinis.* Q*uæ in natura coniunguntur & colligantur, ea omnia medio quopiam deuinciuntur, id uerò eſt, uel participatione eſſentiæ extremorum, quo*

nodo connectuntur corpora,terra aeri per aquã, aqua igni per aerẽ,caro oſsi per chartilaginem:uel congruentia quadam functionis atq; operationis,ut artifex operi ſuo per inſtrumenta,uelut pictor tabulæ per penicillum uel carbonem,faber ligno per aſciam & dolabram: ſic effectio omnis artifex eſt in ſua materia.inſtrumenta ſunt qualitates,& conformatio materiæ:per has unitur ſpecies moli.nec aliter anima corpori inueſtitur, quàm lux aeri,in quo complexu fit aer lucidus, utrunque uerò & lux & aer integrum manet:non enim miſcentur ut elemẽta:in miſto naturali,uel ut herbæ pulueres,ac oleũ in pharmaco.Sed in alijs effectionibus nexus eſt ſubſtantiæ utriuſque partis uicinior,in anima diſtat lõgiſsimè. Cuius naturæ ſit quæque ſpecies,ex eius officijs atque actionibus intelligitur.Saxa & lapides nihil habent omnino,niſi frigidum & torpens ex terra:& aqua eſt illis effectio,nexus autem ex earundem ingenio & qualitatibus.plumæ & ſtipulæ,dereæ naturæ quiddam ſunt nactæ.anima uerò,quæ altrix dicitur, ignea eſt, omniáque eius munia ſunt uis igneæ. brutorum animi ſuperiores ſunt,cœleſtes ſcilicet:ideo & ſenſus & notitiam quandã ſortitæ,qua uices curſúſque cœlorum & ſiderum nõ ſentiunt modò,ſed quadantenus etiam intelligunt:ut diei ac noctis,hyemis & æſtatis.nec eſt facultatis horũ elementorum,ſenſum & cognitionem præbere:cœleſtis eſt potentiæ.Homo uerò ſupra cœlos etiam aſcendit ad Deum ipſum,diuina eſt ergo illius origo.Materies in imo omnium iacet,nulla poteſt ad eam affectio deſcendere, niſi rapiat ſecum media:nempe earum formarũ,quæ in medio ſunt,cõditionem atque ingenium.ita ſpecies animalis uim animæ uegetabilis continet, humana uerò uim

Hominis diuina origo.

utriuſ

utriuſque ſimul cum inferiorum quoque elementorũ uiribus. In ſenſibus hoc idem annotamus. ignei ſunt oculi, aures aereæ, nares itidem, guſtus aqueus, tactus terreus. Cui ſunt oculi conceßi, huic & ſenſus reliqui: cui guſtus & tactus, non protinus & auditus & aſpectus. Nec immeritò illud ferè placuit, hominem paruum quendã mundum appellari, quòd uim naturámque rerum omniũ ſit complexus. non eſt tamen ignorandum, uitas inferiores non eſſe ſuperioribus agendi principia & origines, ut ex inferioribus ſuperiores naſcantur: ſed adminicula quædam, & uelut gradus, per quos ſuperiora & deſcendant, & aſcendant. ut uegetatio non eſt ſenſuum origo, ſed gradus, per quem ſenſus uenit ad corpus, & paulatim ad functiones ſuas ſcandit: habet enim unaquæq; uita originem ex ſe ſuam, & metam in qua ſiſtit. Inſtrumentorum animæ alia ſunt liquores, ad certam quãdam rationem & legem temperati: alia uerò membra ſiue interna, ſiue externa, ad hunc uel illum modum conformata & deſcripta: quæ illi, prius quàm ſeſe corpore induat, eatenus à natura aptantur, quatenus perficere id ipſa per ſe non ualeret. reliqua enim quæ præſentiæ ſuæ uiribus poteſt, illi ceu primum relinquuntur munus, in quo ſe exerceat, & occupetur, anteaquam functiones illas ſuas præcipuas explicet: ſicuti res nos docet in paruulis animantibus. Liquet igitur ex his, animam eſſe agens præcipuum, habitans in corpore apto ad uitam. Declaranda ſunt horum ſingula paulò apertius: & ratio, cur quidque ſit à nobis poſitum, breuiter reddenda. Agẽs nominatur, & quaſi artifex. nam quod agit quippiam per inſtrumenta, in eo ipſo uis ineſt agendi illud ipſum: ut in pictore pingendi, in me ſcribẽdi. tametſi nec

Homo microcoſmus.

Anima quid.

pictor

pictor ſine penicillo pingat, & coloribus, nec ego ſine penna & atramento ſcribam: in quo enim non eſt uis & facultas aliquid agendi, nec inſtrumentis adhibitis illud aget. An uerò aliqua ſit animæ actio, quam illa hiſce armis ſemotis exequeretur, commodius diſſeremus in ſequentibus. Præcipuum autem additur. nam ſi quis calorem, uel humorẽ, uel ſpiritus aliquid dicat agere in corpore, ſciat illa omnia non per ſe agere, ſed ab anima id habere, ut agant: ueluti quod atramentum haſce literas effingat, & penna exaret, à me eſt, non ab ipſis. Eſt ergo anima ipſa artifex, eſt agens, non aliunde in eo utique corpore uim ſuam mutuans. Habitare dicitur in corpore. nam Deus in illo eſt corpore, non tamen habitat. & dæmon ſe inſinuare poteſt in corpus animantis: ſed habitat anima, quòd illis eius eſt mãſio, tãquam in ædibus, cum tota ſua ſupellectile & domeſtico inſtrumẽto. Cæterum corpus hoc aptum deſcriptúmque eſſe conuenit, quemadmodum illius ſpeciei effectioni conſentaneũ eſt. neque enim promiſcuè in quacũq; forma & figura corporis, quæuis anima poſſet hærere, ad uitæ operationes edendas, hoc certè naturæ ordine, & his legibus, quas Autor uniuerſitatis à condito orbe ſanxit. Sed contemperatio liquorum & qualitatũ, quia in corpore & ipſo naturæ opificio penitior eſt, idcirco appoſitius eſt animæ organum, & maior artificis nexus cum illo: ut ſiue hoc deficiat, recedit anima: ſiue recedat anima, cõtinuò illud deficere ſit neceſſe. Membra autẽ poſt animæ abceſſum manent. cõfirmatio enim membrorum & internorum & externorum remotior eſt, & ſeparatior: com mixtio uerò humorum in illis, intima. Quid quod qualitates illæ membrorum adminiſtræ ſunt, & ceu inſtru-

mentorũ inſtrumenta:per has enim anima utitur membris.quæ ſi abſint,nulla eſt membrorum utilitas:ut in aridis,aut tumefactis,ſeu quo alio affectis morbo. eſt enim membrum ad exteriorem exercitationem idoneum: contemperatio autem humorum,ad organum illud in ea aptitudine continẽdum. Qua *de cauſa humores illi ſemper ſunt in motu,non item membra:ſemper enim debent cõtinere membrum actioni,ſi uſus poſcat,paratum.* Qui *artifices unicum & ſimplex exercent opus,ijs unum inſtrumentum ſufficit:uelut ad aquam de fonte hauriendã, urna uel urceus;ad ſcindendum gladius, ad ſerrandum ſerra.qui uerò multa,aut unum uarium,ijs opus eſt pluribus,ſicut ijs qui cælant & pingunt,aut qui ædificant.* Eodem *modo de anima eſt ſentiendum,cui & membra ſunt foris attributa ad externas molitiones, & liquores ad uitæ munera.* Confert *ſanguis ad ſalutarem irrigationem corporis,unde exhalent ſpiritus, uelut auruIæ ex fluuijs & fontibus ſalubres.atra bilis,ad ſiſtendos uagantes ſpiritus,cohibendóſq;,ne ſubtilitate ſua nimium diſrarati,contrà quàm corpori expedit,euaneſcant:flaua bilis,ad cõcoctionem redundantium humorũ, & incitationem corporis,ne obtorpeſcat.* Pituita *alimentum eſt rapacitatis igneæ,& quaſi frænũ,ne cuncta ilico corripiat.* Nec *aliter quàm opifex uarijs ferramentis uaria exequitur opera,nõ idem omnibus,nec tamen uarijs ſemper uaria:ſic in corpore animantis ſunt quædam actiones,quæ anima certis quibuſdam partibus exercet, ſunt quæ diuerſis,ſunt quæ indifferẽter omnibus.nec in uarijs tamen uiuẽtibus eodẽ modo,ut ſentire,& ali,& creſcere.fuſum eſt per uniuerſum corpus:oculo autem cernimus,aure audimus.* Iam *in arboribus alij rami amputati,ſi ter*

De ratione inſtrumentorũ.

ti,ſi terræ infigantur,reuireſcunt, & radices iaciũt:aliſ emoriuntur,ſicut in animalibus.ſunt quorum partes excisæ uiuant per ſe,ut in inſectis,quæ ἔντομα dicuntur:cuiuſmodi ſunt uermes, apes, formicæ.in alijs uerò quicquid eſt è corpore auulſum, continuò amittit uitam. Et ſicuti inſtrumentũ magnum momentum eſt ad opus rectè perficiendũ,aut ſecus:ſic in humoribus, & membris corporis,nõ parum poſitũ eſt,ut uitæ & ſenſuum & cognitionis & intelligentiæ actiones probè exequamur. quemadmodũ ad denſationẽ,uel diſrarationẽ aeris purior ſubtiliórq;,aut contrà denſior maligniórq; fit lux, qua ſimilitudine in hoc negocio Gregorius Nyſſenus utitur.Sed & omnia organa animæ ſunt parata uelut artifici,& ipſa ſola eis utitur,ut planè appareat aptationis huius corporis animãtis,inquo tam ſedula & ſolers uerſatur natura,perfectionẽ & abſolutionẽ eſſe ipſam animam:meritóq; Ariſtoteles,& acutè,ut ſolet,animã nouo nuncupauit nomine ἐντελέχειαν, quaſi perfectionem ſecum adferentẽ.Prius quàm ad alias profligãdas quæſtiones tranſeamus,diſputãdum uidetur, quot ſint in uiuentium genere uitarum ſeu gradus,ſeu rationes ac formæ.Sed plurimũ intereſt,qua uia ad effectionum inueſtigationẽ inſiſtamus:nam ipſæ per ſe adiri nõ poſſunt. actiones uerò niſi proprias germanáſque ſumpſerimus, ægrè ad id peruenietur quod inquirimus.Hac de cauſa genera ſunt à nonnullis & multa conſtituta, & uaria. nam alij motum earum ſpectarunt:ita fecerunt natãtia, ingredientia,ſerpentia,uolantia.alij ſtatũ corporis:unde ſunt bipeda,quadrupeda,apoda,erecta,proiecta,recta,curua.quidam habitationem & ſedem:hinc terreſtria, aerea, aquatilia, ambigua, quæ Græcę ἀμφίβια.

ἔντομα. ἐντελέχεια. Quot ſint vitarum gradus.

Sed

*Sed hæc omnia exteriora ſunt,quæ ingenium effectionis leuiter & obſcurè oſtendunt.*Intima *uerò & propria, & quæ abſcedere non poſſunt,ſine detrimento non tam entis illius,quàm ſpeciei:ea demum cuiuſmodi effectio ſit,arguunt.*Nos *ergo congruenter, ad id quod erat opus,de uitæ actionibus ſuprà diſſeruimus.* Eſtq; *à nobis demonſtratum,eſſe quaſdam actiones uitæ uegetantis, aliàs uitæ ſentientis,aliàs cognitionis, aliàs rationis ac mentis.*Hæc *ſunt opera penitiſsima animarū,quæ adeò ſunt cum ipſis connexa,diuelli ab earū ſubſtantia ut non poßint.impediri quidem poſſunt obice aliquo, tolli non poſſunt,quo minus obice adempto redeant:ut non uidere,non audire hominē in mania,aut apoplexi,aut ebrietate,aut iracundia,uel pauore,ratione & mente nō uti.* Q*uapropter quot ſunt actiones illæ, tot ſunt animarum genera:nempe uegetatrix,ſentiens,cognoſcens ſiue cogitans,rationabilis.*Q*uorum generum aliæ quoque ſunt portiones,ac formæ.uegetatrix enim ſtirpiū eſt omniū, & quodammodo ad metalla quoque ſe porrigit, quæ in terræ uiſceribus nutriuntur,& adoleſcunt.*Vita *hæc omnium inferiorum effectionum uires cōtinet,ad ſenſum non pertingit.*S*enſum uerò,non item cognitionē habent ea quæ Græcis ſunt* ζωόφυτα,*mediæ cuiuſdam inter animalia & plantas naturæ: plantanimes,& plantanimalia uerti poſſe, non abſurdè dixit quidam.*Hoc *in genere ſunt oſtrea,ſpongiæ,conchæ multarum formarum, quæ guſtu & tactu ſunt prædita, cogitationis expertes, & cognitionis internæ.etſi propius ad animalis naturam accedit concha,quàm ſpongia.*Interiorem *cognitionem habent animalia,in qua etiam nota nō deſunt diſcrimina:quipe quædam non omnibus ſunt ſenſibus prædita,* ζωόφυ]α.

& inter

*& interiorem cogitationem leuiſsimam ſunt ſortita,ut bulla uideatur eſſe,ſicuti inſecta.tametſi in quibuſdã naturalem prouidentiã ſolertiámq; admiramur:ut in ape, & formica,& araneo,& bombyce.*Itaq; *quod difficilis horum eſſet diſcretio,maneãt ſanè in genere animaliũ,*

Inchoata. *hac diſtinctione, quod inchoata nominentur.* Perfecta *autem ſunt animalia,in quibus ſenſus ſunt quinq;:ex quibus colligi eſt facile,cognitionem aliquam interius inſidere,uiſus enim ad contemplationẽ eſt datus:& auditus,ut antea dicebam,diſciplinæ eſt ſenſus.*Supremũ *locum obtinet anima,quæ ratione utitur:nempe humana, quæ inferiores omnes ui ſua continet,de qua nobis reliquus eſt deinceps futurus ſermo.*Sed *prius duæ ſunt nobis attingẽdæ quæſtiones.*Prior *eſt, quum in homine & uegetationem,& ſenſum,& cognitionem illam brutalem ineſſe cernamus:in animali uerò ſenſum, & cognitionem,& nutritionẽ:utrũ ſit una in animali anima,una*

Quot animæ. *in homine:an potius totidẽ, quot functiones?præſertim quod eas & locis animaduertimus diſcretas, & tẽporibus:ut in oculo eſt uiſus, in cerebro cogitatio & mens. tum infans,dũ corporatur in utero,nihil ferè diſtat ab ſtirpe:natus autẽ, à bruto. & quemadmodũ* Paulus *inquit,uiuit prius quod eſt animale,hinc quod eſt ratione præditum.* Sed *unica eſt in ſingulis animalibus anima, ut in quoq; corpore naturæ una effectio corporis,per eã uiuentis:uiribus tamen & functionibus diſtinguitur.ut multi magiſtratus,aut artes in homine eodem, quas ille & uarijs locis & uarijs temporibis, & diuerſitate inſtrumentorum ac miniſteriorum exhibet.* Quin *& diuerſitas organorum,atque actionum inter ſe repugnantia,arguit unũ eſſe opificẽ,& ab eo promanare omnia,*

qui arte

qui arte ſua regat & moderetur ſingula, ut conueniat uiuenti. Quod ſi actionis, & opera, & inſtrumenta diuerſas eſſe animas demonſtrarent, nihil eſſet quod non multas haberet ſpecies. quid enim eſt, quod non multiformia edat opera? nec ullus eſſet effectionũ modus, magnáq; in ſcrutatione naturæ ſequeretur confuſio. Verùm quũ accedit præſtantius, cedit inferius: quòd in omni curſu & naturæ & intelligentiæ contingit. & in perfectione noſtræ beatitudinis ſempiternæ ceſſabũt inchoata hæc atq; imperfecta, quũ erit charitas Dei *conſummata. Ob hanc tam multiplicem artificis ſolertiã & peritiam, attributa ſunt illi à* Deo *arma tam uaria, diuerſæ formæ, ſubſtantiæ, naturæ: quibus ſingulis enarrãdis, multos libros magna ingenia dicauerunt. Altera quæſtio eſt, quænam in corpore ſit ſedes animæ. Anima in uniuerſo eſt corpore, haud aliter quàm unaquæq; effectio in cuncta ſua mole: in cuius parte aliqua ſi nõ adeſſet anima, pars ea non uiueret, ut in mẽbro prorſum arefacto. Cæterũ per oculũ uidet, per aurẽ audit: quemadmodũ agricola aratro findit terram, raſtris ſarrit, cylindro æquat, ligone aut pala repaſtinat. nec aliud uidetur mihi eſſe, quàm ſi quis roget, in quo potiſſimũ illorum ferramentorũ ſit agricola. Itaq; aptius ſic putãt ſe quidã interrogare, quod ſit animæ præcipuũ inſtrumẽtum: neq; hoc ſatis prudenter. ad uidendum enim oculus, ad audiendũ auris: ut præcipuum agricolæ inſtrumentũ eſt, ad arãdum quidẽ aratrum, ad ſarriendum autẽ ſarculum. Intelligentiæ quidẽ & cognitionis omnis, cerebrũ, & in eo ſpiritus quidã tenuiſſimi, ac pellucidi: uitæ autẽ fons eſt cor. Multa quidem in animante ſunt membra & intus & foris, adeò neceſſaria, ut non poſſit animal uiuere uno illorum quolibet exempto:*

Quæ ſedes animæ.

Cor.

cuiuſmodi ſunt caput, cor, hepar, & alia nonnulla, non tamen ideo fontes ſunt uitæ illa omnia, ſed cor, quod primum in corporatione animantis uiuit, tanquã fons primò ſcaturiens: ultimũ emoritur, quaſi uita cũ illo & initium capiat, & terminũ. reliqua mẽbra ſauciari & affici poſſunt, ſine interitu animantis: cor non poteſt. Itaq; uidemus illud in medio ſitum, tanquã in præcipua ſede corporis, tectum munitúmq; tanto præſidio thoracis, inteſtinorum, præcordiorũ, ceu arcem & præſidiũ uitæ corporis. illinc etiam, uelut ex caſtello aquæ riui ad omnes corporis partes ſalutares dimanant, per quos uiuunt & uigent omnia, imò ſi uel minimũ incõmodum propius ad illud accedat, etiamſi non attingat, illico uniuerſum animans langueſcit, atq; exanimatur, quantũlibet animoſum: atq; adeò nihil aliud efficit illud animoſum, niſi cor bene conſtipatũ, quaſiq; armatũ ſanguine & calore, ne quid incõmodi facile illuc peruadat. nã quæ cor habent ab illis deſtitutum, meticuloſa ſunt, & leuiter quocunq; aliorum membrorum dolore linquũtur animis, non propter membra, ſed propter imbecillitatẽ cordis: ut apertè fateantur, & clament illic eſſe uitam, illinc ad ſe uenire. Itaque ſenſum illum natura indidit omnibus hominibus, ut de ſe loquentes, aut ſeipſos innuentes, manũ admoueant ad pectus. quod annotatum à Chryſippo Stoico, ne quicquam à Galeno medico exagitatur: præſertim quod non pro euidẽti atq; inuincibili argumento ſumendũ hoc eſt, ſed pro coniectura, non omnino reſpuenda. Nullum eſt membrum, quo non aliqua animalia careant. ſunt quæ pedes, quæ caput, quæ pulmones nõ habeant: quæ cor non habeat, nullum eſt, aut aliquid ſaltem, quod uicem obtineat cordis, uel in ipſis quoque ſtirpibus.

Cor in medio corpore.

De ſe loquẽtes manum admouere pectori.

IOANNIS LODOVICI VIVIS VALENTINI, DE ANIMA & VITA

LIBER SECVNDVS.

Homini, quòd ad ſempiternum illud bonum ſit conditus, facultas eſt tributa boni expetendi, ut bono ſe cupiat applicare atque adiungere: quæ facultas, uoluntas nominatur. Voluntas. Non expetet autem, niſi intelligat: unde altera exiſtit facultas, quæ intelligentia nominatur. Quoniam uerò animus noſter non ſemper eadem in cogitatione inſiſtit, ſed ad actus alios ex alijs tranſit, receptaculo fuit illi opus, in quod priora cogitata, alijs ſubeuntibus, conderet, ceu in theſaurum rerum abſentium: quas res, quum uſus poſcat, repetat, ac depromat, huic muneri, memoria eſt nomen. Intelligentia. Memoria. Ita hominis anima, quà eſt hominis, ex tribus conſtat præcipuis, ſiue functionibus, ſiue facultatibus, ſiue uiribus, ſiue muneribus ac officijs, ſiue (ut alij appellant) potẽtijs ac partibus. nõ quòd partes habeat id, quod eſt inſectile, ſed partes pro officio ac munere uſurpamus. Hæ autem ſunt, mens, ſiue intelligẽtia, uolũtas ac memoria: in quibus relucet imago diuinæ trinitatis, ſicuti à ſanctis patribus demonſtratum eſt. Quæ ſint harum facultatũ actiones, quot, quales, qui earũ ortus, progreſſus, incrementa, decremẽta, occaſus, perſcrutari longè arduiſſimũ ac difficillimum, pleniſſimúmque intricatæ obſcuritatis: propterea quòd ſupra mentem hanc non habemus aliam,

quæ inferiorem poßit ſpectare ac cenſere: quemadmodum mens ipſa, de ſenſibus & parte uegetabili facilè iudicat, nempe inferioribus. Deus quoque facultates has nobis magis conceßit ad uſum noſtrum, quàm ad earum notitiam, quales ſint, ipſe nouit, autor illarum: nos opifices eius ſumus, per illas. Sed pulcherrimum tamen eſt (quia de re pulcherrima ac præſtantißima, adq́ue animum componendum in primis conducibile) quæ ſit mentis noſtræ qualitas, uis, functiones, opera, quatenus licuerit, perſcrutari ac eruere quicquid ea exercitatione fuerit excuſum repertúmq́; grande profectò & ſtudij precium fuerit, & ſpeculationis. nihilq́; proferetur, quamlibet tenue ac exiguum, quin pro magno habendum ſit. Porrò facultates, quod uox declarat ipſa, ad faciendum ſunt paratæ. quocirca ex factione facultates diſtinguuntur: nempe operatione, & opere. quæ quidem ab eſſentia rei deriuentur, nõ ab inhærẽtibus, aut ijs quæ extrinſecus accidunt: cuius rei eſt in ſenſibus exemplum. oculi enim facultas eſt uidere, non hunc colorẽ aut illũ, hoc aut illo modo: ſed ſimpliciter, ac nudè. Intelligentiã facimus duplicem. nam & in uniuerſum eſt mens tota, & functio quædam illius particularis. Mentem autem noſtram annotamus intelligere, quæ foris ueniant, & intellecta uelut in capſulam quãdam ad tempus reponere: unde quum opus ſit, repetat. repetitio hæc, & quaſi ſcrutatio, conſideratio appelletur: inde in recordationẽ uenitur. Videmus dehinc illa, quæ intellexerit, inter ſe conferre, hinc ad alia diſcurrere: quæ ubi perfecerit, cenſet, ſtatuit, iudicat quid uerum, quid falſum, quid bonum, quid malum. hinc uoluntas, quod eſt bonum, aſciſcit: quod malum repellit. Atque huc ſuperiores facultates actionésque referuntur,

Partes mentis.

Conſideratio.

feruntur, quæ etiam ab hoc ultimo ad primum eiſdem gradibus recurrunt. uoluntas enim nihil ſequitur, aut fugit, quod iudicium non cenſuerit prius bonum eſſe, aut malum. Nihil porrò ſtatuit iudicium, quod non ſit confectum ratione, nec conficitur niſi collatum. conferri autem non poteſt, niſi conſideratum, & repetitum à memoria: nec hærebit memoriæ, niſi prius cognitum atque intellectum. Offeruntur autem abſentia cognitioni, quod non in ſolis rebus præſentibus ſit appetitus uoluntatis noſtræ, aut auerſio, tum diſcurritur, propterea quòd excelſa & procul diſſita expetit, ad quæ eſt per gradus & longa inueſtigatione ueniendum. Poſtremò quæ nouit, quæ elicuit, quæ expetit, aut declinat, quieta interdum contemplatur, quæ eſt uelut quies quædam animi. Ergo ſunt hæc in anima rationali munera, uoluntas, memoria, mens, & ſub mente ſimplex intelligentia, conſideratio, recordatio, collatio, diſcurſus, cenſura ſeu iudicium, contemplatio, de quibus ſigillatim eſt diſputandum.

SIMPLEX INTELligentia.

Eſt prima & ſimplex apprehenſio eorum quæ menti proponuntur: nec aliter ſe habet in mente, quàm oculus in corpore, imaginatio in animo. Neq; uerò ſimplex nominatur ideo, quòd ſimplicia tantùm cognoſcat, hoc eſt ſingula rerũ, ut ſenſus: ſed quod nihil aliud quàm comprehendit, ac uelut intuetur, quæ offeruntur. ea uero quantumlibet uaria, compoſita, connexa: ut ratiocinationes, ſermones longos & multiplices, uiſa cõfuſiſſima. Quum quid animo offertur ſimplex, & ſine compoſitione, ſi id præſens eſt, imaginatio recipit eam figuram, quæ

*eſt oblata ſenſibus: ſin abſens, ut quum de eo fit in ſermo=
ne mentio, ſi res eſt quæ cadit ſub ſenſus, & memoriæ im=
preſſa, phantaſia repetit formam à memoria. quod ſi ea
ſit res, quæ cognoſci à ſenſibus nõ queat, eſſe quidem aut
non eſſe, hoc aut illo modo colligit ratione mens: imagi=
nem tamen ei affingit phantaſia, ex rebus ſibi notis de=
ſumptam. ſic effigiat Deum, angelos, mentes noſtras, &
quæ ſunt eiuſmodi. Idem facit in rebus corporalibus,
quas ignotas ex notis ſibi depingit: ũt leonem, elephan=
tum, Romam, Lutetiam, & eiuſmodi quæ nunquam an=
tea uiderit. Vniuerſale nullum eſt in imaginatione, ſicuti
nec in natura: tantummodo à ratione diſcurrente attin=
gitur, ſub imagine confuſiſſima ac tenuiſſima, dum mens,
quantum efficere poteſt, phantaſiæ ſe notis exuit. Diffi=
cile dictu eſt, quas habeant in animo effigies, qui cæci
ſunt nati. Et ut neceſſarium eſt ad cernendum, ut ſit ocu=
lus apertus: ita & intelligentiæ, ad intelligendum, neceſ=
ſaria eſt attẽtio: ſeu aduerſio quædam animi, quod Græ-
cis dicitur ϖροσέχειν τὸν νοῦν. hæc eſt uelut mentis quæ=
Impedimenta intelligẽtiæ. dam apertio, ad recipiendum quod offertur. Intelligen=
tiæ huius impedimenta ſunt, uel intrinſecus ab alia cogi=
tatione uehementiore animo occupato & abſtracto, uel
à cogitationum tumultu, dum aliæ alias ſubinde extru=
dunt. tranſit enim mens ad diuerſas, nec in ulla ſiſtit: tum
uoluntas menti imperat, ut alias res agat, eámq; à præ=
ſenti negocio abducit. quod nec fit, niſi animus, quo uo=
luntati morem gerat, uenientem intelligentiam alia co=
gitatione tanquã pro foribus obiecta excludat. Extrin=
ſecus cauſa eſt in corpore, in frigidis & craſſis humo=
ribus, qui ſpiritus gignunt denſos & tardos, ac proinde
ad percipiendum non ſatis idoneos. Foris quoque, quum
ſenſus*

ſenſus alijs rebus ſunt ualde occupati,ab aliarum rerum attentione mentem auertunt. ſed hoc ad illud refertur, quod alijs cogitationibus alias uel pelli diximus,uel excludi:neque enim ſenſus quicquam officerent, niſi illis ſe mens accommodaret, & tanquam præberet aurem loquentibus.tametſi interdum uehemens & laborioſa ſenſuum corporalium actio impedit intelligentiam, quod ſpiritus auertit aut deuincit,qui ſunt mentis inſtrumentum præcipuum,ut in morbo & dolore. Qui ſic cogitationibus iactantur, animo uelut peregrinantur ſemper, nec unquã ſunt in re præſenti.aliud agentes nũcupantur, quibus magna uitæ pars inutiliter tranſigitur. Sunt qui priorẽ ſermonis partẽ non intellexerunt:ex intelligentia autem poſterioris,quid ſibi prior uoluerit,rectè coniectant: uel ex ueſtigijs exiguæ intellectionis ſuperiorum, uel ex collatione coniecturarum à negantibus ad aientem.non eſt uerìſimile hoc eſſe,nec illud aut illud: igitur quartum hoc, quoniam nullum reſtat aliud. Itaque duæ ſunt in totum cauſæ non intelligendi, uel quum occupatus eſt artifex, uel quum inſtrumentum non ſubſeruit.in quo & delaſſatio comprehenditur ingenij; quæ ab ipſo non eſt,ſed ab inſtrumentis. Mens enim noſtra non habet uim infinitam, nec quantam uult in actione præſenti, uel in materiam obiectam: ſed in duratione temporis,& continuatione operis. quocirca in ſuis iſtis actionibus nunquam ſua ipſius imbecillitate deficit, ſed organorum. Reparatur *intentio feßis uel quiete, uel ſola auerſione animi ad aliud,ut in defeßis: & eo facilius, ſi à re graui ad leuem, à moleſta ad iucundam. tum exhilaratione ſenſuum, uelut amœno ſpectaculo, harmonia,refectione cibi & potus, ſeßione ſi ſteterit, aut ſtando ſi ſe-*

derit, uel inambulatione, excitatione noui affectus, letitiæ, mœroris, cupiditatis, ultionis, ut cuiuſque eſt procliuitas: denique re quacunque, quæ recentem ſpiritum ſufficiat.

DE MEMORIA ET REcordatione.

MEmoria eſt facultas animi, qua quis ea, quæ ſenſu aliquo externo aut interno cognouit, in mente continet. Itaque actio huius tota eſt introrſum conuerſa. Eſt enim memoria uelut picta tabula, quæ ut aſpectu oculorum efficit actum notitiæ, ſic illa intuitu animi intelligentis, aut cognoſcentis: quæ notitia non eſt ſimplex. nam conſideratio eſt, quum inquirit & ſcrutatur: recordatio uerò, quum ad id peruentum eſt, quod uolumus. Eſt & in recordatione recultus, quum animus inſiſtit in recordatione rei alicuius, multum eam retra-
Recolere. *ctans cognitione, & reuoluens, quod recolere nominatur. Quæ recordatio ſimplici gignitur intuitu animi in memoria, ea communis eſt nobis cum beluis: quæ autem fit per gradus quoſdã & diſcurſum à rebus quæ ante animum obſeruantur, ad ea quæ ſubterfugerant, hominis*
Reminiſci. *eſt propria, qui ſolus diſcurſu utitur: reminiſci à philoſophis nuncupatur. Neque in hoc nobis conuenit cum uſu communis loquendi. nam Vergilius de equo dixit, Dulces reminiſcitur Argos. Sed teneamus ad commoditatem diſſerendi, uocabulum uſu ſcholarum tritum: & ſit nobis reminiſcentia, quod Græcis ἀνάμνησις, quæ eſt in recordationem reductio, quaſiq́; recordationis recordatio. Habemus igitur memoriam, recordationem, reminiſcentiam. Memoriæ ſedes ac uelut fabrica, in occipitio*

eſt à Natura collata, admirabili ſapientia, quòd præterita cernat. illic uelut oculum habemus quendam multo præſtantiorem, quàm ſi corporalis aliquis eſſet aſtructus: qualis in fronte, quod in fabulis eſt de Iano. Memoriæ, ſicuti & manus, duæ ſunt uires, apprehẽdere & retinere. apprehendunt facile, qui humido ſunt cerebro. Eſt quidem cerebrum omne humidum, ſed ſupra modũ intelligi conuenit. ut ſigillum celeriter in humore fluido imprimitur, ſed non diu hæret, niſi in arefacta materia: ita bilioſi ad retinendum ſunt aptiores, ubi ſemel apprehenderunt. Temperamentum autem ad utrunq; eſt idoneum: quod in quibus eſt pueris, bonitatẽ ingenij arguit, ut Quintilianus annotauit. adiuuatur enim ingenium à memoria, ut & percipias facilè quæ uelis, & celeriter ac fideliter reddas, quum ſit opus. quæ duæ partes, illico & bona fide repræſentare, illius ſunt, quod retinere nominaui. Nam ſunt qui continent quidem, ſed in reddendo quaſi depoſito uel tardi ſunt, & diu laborant quærẽdo, uel reddunt mala fide: nempe aut non integrè, aut confuſè, & perturbatè. quod qui faciunt, ingenia habent inuerſa, atq; infelicia. Iuuenes propter calorem, & humores puriores, plus pollẽt memoria, quàm ſenes. Primum in quod ætas inuadit, inquit Seneca, eſt memoria: nec ullum ſenectutis certius ſignum, quàm memoriã labaſcere: remittitur enim ætate calor, & ſpiritus condenſantur. Cæterum memoriæ loco magnum ſubſtituit Deus bonũ ſenibus, prudentiam, uſu rerum collectam, & iudicium acrius & efficacius. Nec memoriam habent omnes pariter ad omnia. ſunt qui uerba, ſunt qui res meminerunt facilius: ut Themiſtocles rerum, Hortenſius uerborũ recordatione dicuntur ualuiſſe. quod exemplum poſitũ ſit,

Memoriæ partes duæ.

Memoria varia.

pro toto & hominum & rerũ genere. Nam *alij curioſa, alij recta & ſimplicia, alij publica, alij priuata, alij uetera, alij noua, alij ſua, alij aliena, alij uitia, alij uirtutes recordantur citius & melius, ut eſt cuiuſq; ingenij pronitas, & attendit ad hæc aut illa libẽtius.* Attentio *enim memoriam confirmat, ut ſtatim dicam.* Et *quemadmodum in pictura, non omnia quæ expreſſa ſunt, uel cernimus, uel animaduertimus, uel quum quærimus occurrũt: ita in memoria multa habemus nobis incognita. & quæ nos non habere credimus, quum habeamus, ſicut à contrario. tum quæ habere ſcimus certò, multum tamẽ quæſita, indagata, inueſtigata non comparent: quæ ſi quis efferat, ſtatim agnoſcimus, ut in loquendo.* Nam *pleriq; linguas intelligunt auditas, quas loqui neſciunt: loquendo enim quærimus, audiendo autem offerũtur, & recognoſcimus.* Memoriæ *plurimum confert naturalis contemperatio corporis, quali fuiſſe præditos illos credibile eſt, quorum magnitudo memoriæ monumentis literarum celebratur,* Themiſtocles, *Cyrus,* Cineas, Hortenſius. Adiuuatur *tota ratione uictus, cibis, potionibus, exercitamentis, quiete, ſomno moderatis, & ad facultatis illius inſtrumẽta accommodis.* Sunt *quædam quæ peculiariter proſunt memoriæ, alia quæ obſunt, obſeruata medicorum cura, & libris conſignata.* Et *quemadmodũ non imprimitur in aqua fluenti ſignum annuli, ita neq; in memoria res cognitæ, cerebro uehementer agitato. quale eſt in pueris infantibus, propter continua incrementa corpuſculi: tum in ebrijs & ægrotis, quum ualida uis ardoris ſpiritus omnes rapit ſecum, conuoluitq;.* Difficile *item recipiunt, qui in occipitio frigidos habent humores, ac proinde duros, quorum eſt natura ad impreſſionem*

Memoriæ quæ conducant.

ſionem ſaxea: tales ſunt ſenes, & tardi, & torpētes. Qui uerò ſani ſunt & integri, ſed celeres habent ſpiritus, apprehendunt quidem citò, ſed non adeò continent: cuius ſunt generis bilioſi. Lenta ingenia, inquit Ariſtoteles, recordationis fide ualent, acuta autē reminiſcentia. Tenacior eſt memoria in tardo, ſicut diuturnius ſigillum in ſaxo aut ferro: redeunt tamen celeres facilius in recordationem. Altè deſcendunt in memoriā, quæ attentè ſunt à primo accepta, & cum cura. quo fit, ut ingenioſiſſimi ſæpe homines, & bono memoriæ prolixè inſtructi ornatíque, non tam recordentur multa, quàm qui illis non ſunt pares his dotibus: quòd neglectim multa uident, legunt, audiunt. Si ſe adfectus aliquis cōcitatus, primæ rei cuiuſque memoriæ admiſcuit, recordatio eſt deinceps facilior, promptior, diuturnior: ut quæ cum maxima lætitia uel dolore ſunt in animum ingreſſa, horum longiſſima eſt memoria. eáque de cauſa mos eſt quarundam gentium, in ſtatuendis agrorum limitibus acriter cædere pueros qui adſunt, ut firmius & diutius recordentur illorum finiū. Exercitatione & meditatione crebra magnum memoria ſumit robur. fit enim & ad accipiendum prompta, & ad plura capienda latior, & tenacior ad continēdum: nec eſt ulla in toto animo functio, quæ perinde cultum ſui deſideret. Ingenij munia non fiunt quiete ac ceſſatione deteriora, ſæpe etiam renouātur, & præparata plus uigoris acquirūt. Memoria, ſi non exerceas, hebeſcit, ut tardior fiat indies, & ſegnior ocio ac quietudine. Obliuiſci autem triplici ratione dicimur: uel quum imago illa in memoria depicta eraditur prorſum ac deletur, uel quum interlita eſt atque interrupta, uel quum quærentem ſubterfugit: uel quum obrupta eſt, & quaſi

Obliuionis ratio quadruplex.

*quaſi uelo quodam contecta,ut in morbo uel affectu con citato. prima eſt uera, & maximè propria obliuio:ſecunda eſt obſcuritas,ſeu litura:tertia & quarta, occultatio.quæ deprehendere eſt in tabula,cuius imaginū alia eſt deleta,alia eſt interlita uel interciſa,alia nos fallit,alia eſt operta uel exoleſcens.*Obliuiſci *etiā dicimur eorum,quæ à natura ipſa accepimus,quum de primis illis & naturalibus informationibus dubitamus,quæ euiden tiſſimæ & certiſſimæ ueritates nūcupantur.perinde eſt enim,ac ſi eas aliquādo didicerimus, naturæ inſtitutione.* Prima *obliuio, noua prorſum cognitione indiget: quarta detectione,ut ſanitate corporis aut animi:reliquæ duæ inſtauratione,ut ueſtigatione,& quaſi gradibus ad id ueniatur,quod quærimus,ut ab annulo in aurifabrum,ex hoc in monile reginæ, hinc in bellum quod geſſit uir eius,à bello in duces,à ducibus ad eorum progenitores aut liberos,hinc ad diſciplinas quibus ſtudebant:in quo nulla eſt ad ſiſtendum meta.* Gradus *hi per omnia argumentorum genera latè ſeſe diffundunt.à cauſa ad effectum,ab hoc ad inſtrumentum, à parte ad totum,ab iſto ad locum,à loco ad perſonam,à perſona ad priora eius & poſteriora, ad contraria,ſimilia:in quo diſcurſu non eſt finis.& ſunt tranſitus quidam longiſſimi,imò ſaltus:ut ex* Scipione *uenio in cogitationem potentiæ* Turcicæ,*propter uictorias eius de Aſia, in qua regnabat* Antiochus:*ex nomine* Ciceronis *uenit in recordationem* Lactantius, *qui fuit eius imitator:ex hoc de chalcographia.nam is liber dicitur formulis æneis excuſus uel primus,uel de primis.*Reminiſcentia *hæc uel naturalis eſt,cogitatione ultro ab alijs ad alia tranſeunte:uel uoluntaria,ſeu iuſſa,quum animus in recordationem*

nem rei alicuius conatur peruenire. Facilia ſunt ad recordationem ordine notata, & præſcripta: in quo genere præcipuæ ſunt mathematicæ traditiões. Verſus quoque ad memoriæ fidelitatem conducunt, propter ordinē compoſitionis, & ſtructuram nō temerè uagantē ſparſámque, ſed certis limitibus concluſam, ut animum non patiātur aberrare uia, ceu repagulis quibuſdam utrinq; munita & obſepta. uiciſſim temerè effuſa, uel diſſolutè congeſta, difficile eſt & capere, & continere. Quocirca & qui recordari aliqua cupiunt, diligenter attentéque ordinem eorum animaduertunt, quæ mādant memoriæ: & artis huius magiſtri, loca quædam diſcipulis ſuis edi ſcenda exhibent. Nam quæ ſimul ſunt à phantaſia comprehenſa, ſi alterutrum occurrat, ſolet ſecum alterū repræſentare: unde ſedes illæ exiſtunt in artificio memoriæ, quippe ad aſpectum loci de eo uenit in mentē, quod in loco ſcimus eueniſſe, aut ſitum eſſe, quando etiam cum uoce, aut ſono aliquo quippiam contingit lætum, eodem ſono audito delectamur: ſi triſte, triſtamur. quod in brutis quoque eſt annotare: quæ ſi quo ſono uocata gratum aliquid accipiunt, rurſum ad eundem ſonum facile ac libenter accurrunt: ſin cædantur, ſonitum eundē deinceps reformidant, ex plagarum recordatione. qua in recordatione gemina illud uſu euenit, ut ex re minore ueniat nobis de maiore in mentem ſæpius, non è cōtrario. Maius uoco melius, præſtabilius, rarius, precioſius, charius, denique quod nos pluris facimus. ut quoties aſpicio domum, quæ Bruſſellæ eſt è conſpectu regiæ, uenit mihi in mentem Idiaqueus, cuius illud erat hoſpitium, & in qua nos ſæpiſſimè, quantúmque per illius negocia licebat, diutiſſimè ſumus collocuti de rebus utrique iucundiſſimis: non

mis:non tamen quotieſcunq; Idiaqueus obſeruatur animo,de ædibus illis cogito.notabilior eſt ſcilicet animo meo Idiaquei recordatio,quàm illarum ædium. Eundẽ in modum de ſonis,de ſapore,de odore.Puer quum Valentiæ febri laborarẽ,& deprauato guſtu ceraſa ediſſem,multis poſt annis quoties id pomum guſtabam,toties non ſolùm de febri memineram,ſed habere mihi illam uidebam. Quapropter nuda eſſe oportet ea loca, quæ memoriæ mouendæ aßignantur,ne ſi quid habeant inſigne,aut illuſtre,hoc eſt nobis notabile,obruant quod eis fuerit commendatum,non aliter recordatione inſigne illud rapiente,atque in eo occupata, reliquorũ oblita,quàm uentriculo de multis cibis eo qui naturæ ſuæ maximè eſt congruens,alijs neglectis.Et quoniam ſimilitudo ex multis uelut unum reddit,facilis eſt & uſitatus nõ memoriæ ſolùm,ſed cogitationis quoq; error,ut à ſimili trãſeat ad ſimile.pro Gregorio ſumimus Georgium,pro enthymema problema,Pindarus pro Pandarus:quæ ſimilitudo eſt in uerbis ex medio, principio,fine.tum in rebus,ex eo quod in illis attentio conſiderat: ut Xenocratem pro Ariſtotele,in Philoſophia & diſciplina Platonis:Scipionem pro Q.Fabio,in bellis Punicis:Irum pro Codro, in paupertate:Demoſthenem pro Cicerone,in eloquentia:Narciſſum pro Adonide,in pulchritudine:allium pro cepis,in odore. Eodem modo de loco,tempore, de actionibus aut qualitatibus, quorum exempla patent latißimè.Similitudo perturbat memoriam,ut oculos corporis, ne iudicium poßit rectè ſtatuere de eo quod eſt ad ſe delatum confuſe. Hoc uitiũ uel in prima attentione naſcitur,quòd intelligentia non ſatis animaduertit quæ offeruntur, ut integra ea diſtin-

Error ex ſimilitudine.

ctáque

ſt.ique poſſet memoriæ commendare: quo in genere ſunt aliud agentes. uel in ipſa memoria, quæ parum ſyncera fide cuſtodijt. uel in ſecunda conſideratione, quæ eſt attentio, quum perperam ea quæ integra erant in memoria repoſita, depromit: quod aliàs negligentia uel ſocordia quadã accidit, aliàs commotione animi, ut in ebrijs, iratis, metuentibus, amantibus, inuidẽtibus, exultãtibus, & huiuſmodi. Sicuti quum depoſitum nõ tale redditur, quale traditur in uitio eſt aut accipiens, aut cuſtodiens, aut repræſentans. Perturbatur item conſideratio, quum iuſſæ aliquid quærere, aut depromere, obijcitur extrinſecus diuerſum quid, uel alienum. Salutauit me heri in foro Petrus Toletanus, nec ſatis animaduerti, nec ſatis memini. ſi quis ex me quærat, quis te in foro heri ſalutauit? ſi nihil addat, facilius reſpondero, quàm ſi dicat, Io. Manricúsne, an Lod. Abylenſis? Si quæratur, quis fuit Socratis pater? citius occurret memoriæ, quàm ſi addatur, Num non Democritus? magis intricat adhuc conſiderationem, quum res eſt in uitio ſimilitudinis poſita. Dum enim conſideratio aliquid ſcrutatur, unicum munus arripit, in quod ſolum incumbit: quum uerò aliud eſt obiectum, additur occupatio refellẽdi eius. ita labor fit duplex: prior, reijciendi quod non conuenit: alter, eius quod conuenit, reponendi. Diſtinctio temporum reminiſcentiæ, eſt neceſſaria, alioqui confunderentur imagines: ut in tabula, ſi aliæ ſuper alias abſque interuallo depingantur. Quæ uacuo animo & tranquillo accepimus, facilius hærent in mente, ſuique ueſtigium imprimunt diuturnius ac expreſſius, ſi modò attente animum applicamus. qua de cauſa quæ prima ætate uidimus atq; audiuimus, ea diutius recordamur, & integrius: eſt enim

tunc

tunc ſoluta curis & cogitationibus mens, tum etiam attendimus diligenter: quippe ætate illa admiramur omnia, tanquam noua. at quæ admirationem nobis mouēt, ea ſollicitè ſpectamus, altéque in animū deſcendunt: itaque & expreßius ſunt in memoria depicta, faciléq; occurrunt recordationi, & diſtinctè depromuntur. Senes præterquàm quòd uitio ætatis difficilius capiunt ac retinent (ſpiſſantur enim eorum ſpiritus, nec facilè imagines recipiunt) occupatio quoque, & in res uarias intentio tumultuatur intus, ut nec quiete quicquam admittat, nec quum quæritur, ſinat inueniri. Deteruntur quoque imagines in memoria inſculptæ, unde recordatio exiſtit manca, & quæ aliquid ſemper uideatur requirere. exciderunt enim circumſtantiæ loci, temporis, perſonarum, quod eſt primum memoriæ per ætatem labaſcentis uitium. Conſideratio eſt, quæ ſcrutatur ea quæ ſunt in memoria recondita. Imagines rerum, quas memoria conſeruat, in lucido ſpiritu ſunt impreſſæ: qui ut eſt calidus & agilis, nunquam conquieſcit. quam uerò illius partem attingit acies conſiderationis, hoc eſt ſpiritus ſeruiens conſiderationi, eam intuetur, eóque non ſemper omnia recordamur, nec ea quidem ipſa quæ uoluntas imperat. nam ſæpe quærimus, quæ non inuenimus, quæq; poſtmodum ſeſe ultro offerunt, etiam per quietem: ut quibuſdā, quam ſolutionem argumēti, aut nomen rei diu multúmque uigilantes inquiſierant, in ſomnijs reperiunt. Quædam recipit intelligentia prima illa ſimplex, quæ eſt de ijs quæ extrinſecus obueniunt per uidendi uel audiendi ſenſus, quæ nō animaduerſa tradit ſtatim memoriæ, attentio uerò, uelut exurgens conſiderat in memoria, & intelligit interdum continuo pòſt, nonnunquam longo interuallo

interuallo: haud ſecus quàm ſi quis uel à ſomno excitaretur, uel ex alienatione mentis ad ſe ipſum rediret. Hi ſunt uel ingenio tardi, aut animo peregrinantes, aut intenti ualde aliò. quod etiam in uiſu & auditu euenit, quum ſenſus communis aliud agit, ſicuti eſt antea declaratum.

DE COMPOSITA INtelligentia.

SVbſtantiæ puræ, hoc eſt adhærentibus denudatæ, nulla eſt in animo imago, ſed tantummodo adiacentium, quæ illam conueſtiunt ac operiunt. Recepta autem prima illa imagine, ac ſimplici, quæ eſt per ſenſuum ianuas ingreſſa, addit ei phantaſia ſimulachra & formas alias ex ijs qualitatibus uel actionibus, quæ hauriuntur ſenſibus. Ratio uerò accedens, confert illa inter ſe, eſſe talia uel non talia, agere ſic aut illa, uel ſecus. Hinc ea quæ nullis cognoſcuntur ſenſibus adiungit, quæ in ſchola ſyncategoremata nominantur, hoc eſt conſignificantia. Syncetegoremata. ideóque hæc plura ſunt & aptiora, quo magis augetur ratio: ut in uiris quàm pueris, in ingenioſis quàm ſtupidis, in doctis quàm imperitis. Phantaſia nihil coniungit, aut ſeparat per copulam, uelut hoc eſt tale, aut non eſt tale, ſic agens aut non agens: ſed ſic coaceruat hoc tale non tale, hoc uel illud agens, hoc modo aut illo, uel è contrario. quod oſtendit puerorum & rudium & craſſorum hominum ſermo, qui multum coniunctiones omittunt in loquendo, congerunt tantum rerum nomina abſque nexu. Tranſit ratio ab adhærentibus ad ſubſtantiam, & exculpit non iam quale ſit quicque ſolummodo, aut quid agat, ſed quid ſit aut non ſit; quorum aiens uocatur coniunctio, negans autem ſeparatio.

RATIO

QVæ intelleximus, conſiderauimus, contulimus, omnia ſunt parata in uſum rationis: ea uerò eſt collationis progreßio ab uno in aliud, uel à quibuſdam ad aliud uel alia. Ideóque etiam diſcurſus nominatur, & reputatio: quòd ſicut in uite putantur ſarmenta inutilia, ita in ratione, ut ſolum utile retineatur purum (quod dicitur) & putum, quoad eius quidem præſtari poßit. Nec perturbet nos, quod diſcurſum diximus. nam interdum ratio non tam curſu ingreditur, quàm ſalticulis per diuerſa delibando. eſt enim ratio alia per ſuos gradus continua ſerie diſcurrens, eſt alia tranßiliens, & medios aliquos gradus intermittens, uel ex ignorantia recti ac congruentis progreſſus, uel quod illos attingere minimè exiſtimat neceſſarium. Phantaſia nullam ſibi poteſt figurare imaginem, niſi ex ijs quæ prius uſurpauit ſenſibus, ſiue aliqua talis ſit in natura rerum, ſiue ab ipſa conficta, ex una aliqua aut diuerſis. Ratio autem tanta rapiditate uolitat per eas imagines, ut uel nullam omnino in ſe concipiat: uel adeò leuiter, ut ferè nulla eſſe uideatur: nihil enim ſumit de inhærentibus ſingularibus. Ideóque aſpicit procul quidem, abiungit ſe tamen à uiſis, quantum poteſt efficere. nam ſi illis ſeſe inuolueret atque implicaret, haud aliter quàm torrente raperetur, ut in ebrietate & furore: & eum ad modum cerneret, quo quum per conſpicilla depicta & uariegata. Ideóque magna ſanitate mentis eſt opus, ad bene diſcurrendum per ea quæ conuenit. mens enim, quæ uiſis agitata non ualet ſeſe ſiſtere, ſimilis eſt ei qui per lubricum deſcendit. Opus nihilominus eſt ad expeditum diſcurſum miniſterio phantaſiæ, ſi non diſſolutæ, at ſolutæ tamen ac liberæ.

Diſcurſus. Reputatio.

Vtitur quidem ratio phantaſmatis, non ſe illis admiſcet. Senſus ergo inſeruit imaginationi, hæc phantaſiæ, quæ intellectui & conſiderationi, conſideratio recordationi, collationi recordatio, rationi uerò collatio. Senſus eſt uelut umbræ aſpectio, phantaſia ſeu imaginatio imaginis, intelligentia corporis, ratio effectionis ac uirium. Eſt diſcurſus quidam rationis, iuſſus à uoluntate, ut aliquid uel rerum inquirat menti, uel bonum ipſi uoluntati. Eſt alius ultroneus, ſuapte ſponte procedens, ui mentis libera ac ſoluta, quæ quieſcere non poteſt. Spontanea ratio nõ tam ex certis & notis principijs aggreditur opus ſuum, quàm iuſſa: quoniam negligentius ſcrutatur, quid ſit in quaque re ueri & falſi, boni & mali. Notitia humana eſt ab ijs, quæ ſenſibus ſunt cognita, ad ea quæ animo & mente: nempe à ſingularibus ad uniuerſalia, à materialibus ad ſpiritalia, ab effectis ad cauſas, à promptis & patentibus ad recondita. Deo autem omnium opifici atq; autori, cauſæ priores ſunt ac notiores quàm effecta, uniuerſalia quàm rerum ſingula. In nobis quoq;, ut quiſque maximè uel ingenio ualet, uel rerum uſu, uel doctrina, magis uiam naturæ, hoc eſt Dei, ſequitur in cognoſcendo & colligendo: qui autem craßiores ſunt, hanc ſenſuum uiam tenent. Diſcurſus autem rationis, per omnes locos argumentorum uerſatur. Fit etiam uel à negatione ad affirmationem, ut non eſt hoc, nec illud, ergo illud: qui eſt diſcurſus obliquus. uel à negatione ad negationem, neq; hoc, nec illud, nec aliud, incertum ergo quid: qui eſt ſpurius, ſeu νόθος. eſt rectus alius, & legitimus, à re ad rem: ab affirmatione item ad negationem, hoc, ergo non illud. Ratio data eſt homini ad inquirendum bonum, ut id uoluntas amplectatur. bonum bruti

apertum eſt, nempe in corpore: noſtrum in mente occultum. ideóq; nobis opus fuit ueſtigatione ueri in tenebris, illi tenebras non habent. illorúmq; extimatiua, ad bonum

Duplex ratio.

tantum & malum fertur: noſtra autem etiam ad uerum & falſum. Vnde duplex exiſtit decurſus: ratio ſpeculatiua, cuius finis eſt ueritas: & ratio practica, cuius bonum. prior ſiſtit ibi, altera tranſit ad uoluntatem, & ſpeculatrix non eſt ſimplex. nam eſt uel in ueritatibus, quæ ſenſu aut phantaſia, aut ex ijs collectis rationibus licet conſequi, quæ uocatur inferior: uel in ijs quæ ſunt ſeu altiora, ſeu magis abdita, quæ ſuperior. In queis duabus non æqualiter homines uel ualent, uel ſe exercent. nam ut ſunt qui melius cernunt ueſperi, quàm in meridie: ſic quidam bene ratiocinantur de ueris, non item de agendis. quidam uice uerſa, quòd agendi ratio in experiundo uerſatur, ſciendi uerò in acie mentis: & alij in artibus manuarijs ſunt præſtantes, ut ingenij uis huc uel illuc ſponte naturæ inclinauit. Ratio eorum quæ aguntur

Prudentia.

in bono, eſt prudentia: eorum autem quæ exercentur in utilibus uitæ huius exterioris, ut Ariſtoteli placet, eſt

Ars.

ars. Quoniam uerò certius operatur expertus, quàm ſciens, idcirco ad prudentiam uel artem non ſola ſcientia ſatis eſt, experimentis etiam eſt opus, memoria & recordatione comprehenſis. eámq; ob cauſam inexperti nec probi artifices ſunt, nec prudentes ſatis: ueluti iuuenes, & qui manum operi quod didicerunt, non admouere. acies enim mentis doctrina exacuitur & expolitur, uis autem agendi atque operandi exercitatione. Rationis meta in contemplatione, eſt ueritas: in agendis autem, bonum. poſterior hæc ex collatione uerorum & bonorum profert iudicium. Collatione hac uerorum &

bonorum

bonorum carent beluæ, ut quæ ad primum oblatum bonum rapiuntur. Noſtrum porrò iudicium cunctatur, atque ambigit, & ſiſtit, & reuocat ſeſe. Nec eſt tamen dubitandum, quin ut muta animalia pronitates, & quaſi regulas ab bonum ſuum quaſdam à Deo acceperint, ita & homo ad bonum ſuum, & propter bonum, ad uerum. non enim meliore conditione exiſtimandum eſt fuiſſe procreatum à tanto artifice, id quod deterius eſt, quàm id quo nihil eſt ſub cœlo præſtantius. Sed menti noſtræ magnas & denſiſſimas nebulas ſcelus offudit. itaque deprauati ſunt recti illi canones. Ex ignorantia multi errores naſcuntur, quum ex illis uniuerſalibus ad ſpecies & rerum ſingula iudicium deducimus. Sed reſtant nihilominus in nobis reliquiæ illius tanti boni, quæ ſatis teſtantur, quantum id fuerit quod amiſimus, hæc à uulgo theologorum ſynteresis nominatur, quaſi conſeruatio: Hieronymo eſt conſcientia, Baſilio naturale iudicatorium, Damaſcenus lucem mentis noſtræ uocat. Philoſophi quiddam tale ſunt procul intuiti, qui anticipationes tradunt, & naturales informationes, quas non didicimus à magiſtris, uel uſu: ſed hauſimus, & accepimus à natura, tametſi alij alijs pro magnitudine ingenij plures certioreſque ſunt has rgulas ſortiti: tum excoluntur, elimantúrque uſu, experimentis, diſciplina, meditatione. Hæc mentis noſtræ ſiue lux, ſiue cenſura, qua rectè, qua obliquè, ſemper tamen ad bonum & uerum deuergit, & fertur prona. Vnde exiſtit approbatio uirtutum, & improbatio uitiorum: atque hinc leges & præcepta morum, & intus in unoquoque conſcientia, quæ delicta ipſa ſua arguat, reprehendat, damnet, niſi penitus ſenſu humano careat, & degeneret in brutum.

Menonis argumentum.

Ex his quæ diximus, difficultas explanatur, quam Plato attingit in Menone. nam is ut colligeret conditas eſſe humanas mentes, non rudes, ſed magnis ſcientijs artibuſque inſtructas & ornatas, illud adducit argumentum: Alioqui, inquit, non magis primis certiſsimiſq; aſſentiremur axiomatis, quàm contrarijs. nec ea quum primùm proponerentur, illico agnoſceremus. haud magis utiq;, quàm ſi quis ſeruum fugitiuum, quem nunquam antea uidiſſet, quærens, ſi is occurrat, agnoſcat, aut apprehẽdat: Verùm nõ habet mens noſtra ante corpus eruditionem: ſed quum conderetur, accepit propenſiones ad uera potius, quàm ad falſa: & ex propenſione ac congruentia canones ſiue formulas, quas ſi diſciplinarum omnium ſemina libeat nuncupare, nihil equidem repugno. Nam, quemadmodum in ipſa terra ſemina ſunt à Deo indita ſtirpium omnium, quos ipſa ultrò quidem proferat, ſolertia tamen diligentiáq; hominum excoluntur, redduntúrque ad uſum aptiora: ſic in mente uniuſcuiuſq; ſemina ſunt initia, origines artium, prudentiæ ſcientiarum omnium. quo fit, ut ad omnia naſcamur idonei. nec ulla eſt ars, aut diſciplina, cuius non ſpecimen aliquod mens noſtra poſsit edere, rude quidem & malignum, ſed aliquod tamen. Perficitur autem id, cui doctrina & exercitatio acceſsit: ut in ſtirpibus ij ſunt meliores alijs, quibus agricolæ addita eſt manus ac induſtria. Et loquor de cognitione rerum natura conſtantiũ. nam ea quæ ſunt prorſus hominum excogitata ingenijs, ſine præceptore & doctrina non poſſunt percipi: ut lingua aliqua, Latina puta, aut Græca, aut Hiſpana. Ergo quòd brutæ animantes primam illam ſequuntur naturam, integram adhuc atq; intemeratam, non errant in ſuis neceſſarijs: homo qui

mo qui ſuas coniecturas ſectatur, aberrat per eas ſemitas, quas ipſe ſibi fecit, regia uia relicta. & bruta eiuſdem ſpeciei, eodem agunt modo, nempe eandem ſequentes naturæ institutionem, & monita. homo, quia uariè iudicat, diuerſiſſimè agit, atque aduerſiſſimè. Hoc loco *quæſtio illa iure occurrit, utantúrne bruta ratione, an diſcurrant, & ignota colligant ex notioribus? quæ multos ueterum non tam concluſione ſui torſit, quàm tractatione: ferè enim in eam omnes diſcedũt ſententiam, carere illa rationis bono.* Plutar. *libellum ſcripſit, cui fecit titulum,* Quòd *mutis animantibus inſit ratio: declamatorio magis ſtylo ac more, quã philoſophico. non enim ualidis ullis nititur argumentis, ac dignis ſchola philoſophiæ, ſed populari tantummodo eluſione, magiſque de probitate ac uitioſitate morum cauillatur, quàm de ratione.* Laurentius Valla *in* Dialectica, *ratione præditas eſſe argutatur. ſed in eo opere, ſtudio contradicendi & argutandi cæcus, rapitur in multas ineptias atque abſurditates tranſuerſus.* Alij *rationabiles dixerunt eſſe, ex ignorantia, quænam res eſſet ratio, & quibus ornata qualitatibus: quod iam aperiamus.* Si *diſcurſus eſt tranſitus aliquis ab aliquo in aliud, dubitandum non eſt, quin diſcurrant muta: ſin per collationem à minus notis progreſſus ad magis nota, uel ab uno ad aliud, ex illo dependens aut ſequens, manifeſtum eſt non diſcurrere. à notis enim nón proficiſcuntur ad ignota, quorum omnia iudicia ſunt de ſingularibus: non ut à generalibus ad ſpecialia deſcendant, inde ad ſingularia, uel aſcendant rurſum hinc ad illa, ad exculpendum uerum.* Sed *neque nôrunt abſentia, ut ab ijs uel ad alia ueniant abſentia, uel ad præſentia, aut è contrario: nec alia ex alijs in eorum tranſi-*

Brutis an inſit ratio.

tu dependent, aut naſcuntur. nam in ijs quæ cognoſcunt præſentia & ſingularia, manent illico cũ approbatione uel reprobatione. Diſcurſus autẽ non ſtatus eſt, ſed progreſsio. Itaq; noſtrũ iudicium, dũ collationes componuntur inter ſe in curriculo rationis, nõ acquieſcit, ſed pẽdet incertum. ſed nec exordiũtur bruta ab a (ut exemplo loquar) ut inde tranſeãt in b, ad cognoſcendum c: nec ab a, d b atanquã coniunctũ, & progrediẽs ab a: ſed quia non placet a, quærunt aliud, incidúntque in b, ueluti quum canis herum ſuum, uel feram ueſtigat: odoratur enim hunc hominem, uel aſpicit. ſi odorem aſpectúmque heri referat, acquieſcit in eo, etiam ſi non ſit herus: ſin ſecus, eo relicto confert ſe ad alium, inde ad alium, nullo nexu cohærentem cum priore, quoad in eum incidat, quem quærit. Accedit huc, quòd brutum ſequitur id quod uel ſenſu eſt ſimpliciter cognitum, uel à phãtaſia copulatum compactúmque, uel ab extimatrice ſtimulatum, tanquam tacito calcari naturæ. homo autem componit ac diuidit, & ab alijs ad alia tranſit, conferens ea inter ſe, ex quibus aliquid pariat atq; eliciat. Et animas brutorum orbas eſſe rationis, ex figura ipſa formæ, totóque corpore facile eſt colligere. Oculorum humanorum aſpectus quoquò uerſum circumactus intentúsque, multa nos docet, illa uerò abiecta ſunt ſemper in terram. adde his, quòd ſortita ſunt etiam corpora ad artes exercendas inepta. Deus autem, quibus facultatẽ rei alicuius agendæ attribuit, eiſdem quoque organa adaptauit, ei actioni accommoda: uidelicet ſapientiſsimi artificis hoc eſt munus. Sed nec egent animantes ratione, quæ in illis eſſet ſuperuacanea. nam ab bonum ſuum impetu naturæ ſuæ uadunt: próque rationali intelligentia indita eſt illis ſpeciatim naturalis

lis

lis quædam ſolertia ad ſe tuendum, conſeruandúmque, quæ abunde ſufficit.quod admirati aliqui,rationem nominarint:ut in ape fauorum & mellis cõſtructio,in formica ciborum proſpectio,in araneo textura, & uenatio in cane:in equo,in ſimio,in elephãto,multa humanæ intelligentiæ ſimilia.quæ ſi quis ideo rationem uocet, quòd magna ſané ſunt,& admirabilia, quid obſtat quo minus quæcunque naturaliter fiunt admiranda,à ratione profecta eſſe confirmet? Proficiſcuntur quidem illa à ratione non rei naturalis,ſed naturæ,hoc eſt autoris Dei.*neque enim magnum aliquid fieri ſine ratione poteſt,ſi modo rationis nomen in diuinam illam ſapientiã competit.* Itaque *& herbas ſtirpesq́; omnes, & lapides pleroſque,& aquas multas, & alia, quorum mirandos uidemus effectus,ratione eſſe donata arbitrabuntur.* Ad *hæc carere beluas quacunque religionis ſpecie,grande profectò eſt argumentum irrationabiles eſſe,& mortalibus animis præditas.fructus enim & fons pietatis non eſt in uita hac mortali poſitus:ergo eſt in altera,quæ hanc conſequitur.* Ratio *porrò noſtra, quæ tantum eſt munus,támque excellens,non eſt propter res tam uiles & momentaneas conceſſum,quàm eæ ſunt,in quibus hominum uita uerſatur,& ſe occupat:(quanto adhuc uiliores ſunt,quibus uita traducitur mutorũ:)ſed ut* Deũ *cognoſcamus,colamus,amemus, quo nihil eſt maius,aut præſtabilius,digniúſque ratione, re omnium excellentiſsima. hæc uerò eſt religio, cuius bruta ſunt penitus expertia:quemadmodum contrà nullus eſt hominũ, qui non religione tãgatur aliqua.* Et *quemadmodum lapidi aſsignata nõ eſt uita arboris,quod ei ſufficeret ſua eſſentia torpens,& in ueſtigio ſemper immobilis:nec arbori*

ſenſus aut phantaſia, quòd ad uitam illam nihil eſſet iſtis opus: ſic neque mutæ animãti tributa eſt ratio, quoniam ad eius uitam atque eſſentiam tuendã, imaginationi adiuncta extimatio abunde magnum eſſet præſidium. Iam *uerò & non loqui illas, defectum rationis oſtendit. nam ſi ratione intus ducerentur, quid illis deeſſet ad loquendum?* Haud *quidem, quòd ſermo ſit diſcrimen inter hominem & beluam eſſentiale, quod quibuſdã placuit, non ſatis in quo ſita eſſet eſſentia conſiderantibus: ſed naſcitur ex illo diſcrimine, ratione ſcilicet, tanquam riuus è fonte.* At *in brutis alia alijs præſtant ingenio, acumine, prudentia. nam hoc dicet aliquis:* Non *ſunt hæc quidem talia, ſed ſimilia: in nobis enim ſolis ingenium eſt & prudentia. quemadmodum ſtirpium quoſdam annotatũ eſt ea agere, propter quæ ſenſu eſſe præditos credi poſſit, & lapides nonnullos. ſimulachrum quoddam referũt uitæ, quum conſtet nec plantis ullum ineſſe ſenſum, nec lapidibus exciſis, præſertim uitam. umbræ ſunt iſta, non uera corpora.* Et *quẽadmodum homines omnes rationis facultatem accepimus, ſunt tamen inter nos magna in eiuſmodi facultate diſcrimina, omnes tamen ſumus rationabiles: ſic beluæ naturæ doctrinam hauſerunt omnes, ſine ratione, ſed alia alijs doctrinam hanc ſortita ſunt uel purius, uel largius, quum ſint tamen omnes irrationabiles.* Hoc *fecit omnipotens ille autor omnium, ut ſerie quadam rerum gradus inter ſe applicaret, quibus ad ſuprema ab imis aſcenderetur, quemadmodũ in* Prima *philoſophia docuimus.* Verùm *non eſſe illa rationis opera, hinc eſt intelligere ſicut* Gregorius Nyſſenus *annotauit, quod eadem ſpeciatim agunt, neque illorũ operationes uariantur multitudine diſsimili, ſed iuxta maius aut*

ius aut minus:ita ut ſi qua animans paulò operetur diuerſius quàm cæteræ eiuſdem figuræ,alteri protinus ſpeciei adiudicetur.Accedit his,quòd per rationis diſcurſum erigit ſe homo ſupra ſenſus & phantaſiã,incluſumque ſeſe illis teneri aſſequitur.ſicut qui clauſus eſt in cubiculo, etſi alia non uſurpet ſenſibus, quàm quæ ſunt in illo,intelligit tamen multa eſſe extra eum locum. brutũ uero haud ſe habet aliter quàm infans, qui per uitrum cæruleum aut rubeũ intuens,ex ignorantia unde id fiat, omnia quæ cernit,exiſtimat eſſe illius coloris. Sed iam ad alia tranſeamus.nam hunc locũ arbitror abundè eſſe planum factum.Diſcurſuum magna eſt uarietas, ut ſunt diuerſiſſima in hominibus ingenia:partim ex conſtitutione ipſa naturali,partim ex doctrina,aſſuefactione,& huiuſmodi de quibus pòſt loquemur.Sed ut ſummatim dicam,eſt diſcurſus quidam acutus circa rem aliquam,penetrans illius intima:eſt alius ſagax ex paruis coniecturis,aut procul diſsitis,perueniens quò intendit:alius eſt latus, multa complectens. eſt enim in quibuſdam tanta mentis amplitudo,ut uno uelut intuitu cuncta circumſpiciant quæ ad rem faciunt:his & phãtaſia expeditiſsima eſt,& apertus memoriæ theſaurus,& expedita conſideratio,& recordatio integra uigénſque.lenta enim phantaſia,aut memoria obſerata,aut cõſideratio ceſsans,aut recordatio imbecilla, tardum infelicémque diſcurſum efficit:ut in infantibus,ægris,commotis, magno affectis ſenio.In intelligentia eſt ceu aſpectus quidam eorũ quæ uidemus, uel audimus:iſte eſt ſimpliciſsimus. eſt alius, quum procul quaſi intuemur,quò quidq; pertineat:iſtud ex diſcurſu rationis petitur in rebus ignotis, aut aſſuefactione in notis:qualis eſt in canibus ,equis, elephantis,

Diſcurſuũ uarietas.

qui

qui aliquid uſu, aut diſciplina noſtra perceperunt. Di*ſcurſus finis eſt inuentio, ſeu concluſio rei, ſiue collectio.* Non *aſſequimur autem quod petimus, eiſdem de cauſis, quibus canis amittit feram, quam perſequitur. uel quia diſcurſus tardus eſt natura, res autem procul diſsita, ut non habeat ſatis uirium ad perueniendum: uel ſegnis eſt uoluntariò, ut quum nõ libet attendere: uel ſequitur, quà non conuenit, ut qui uiam non tenent, qua ſit inſiſtendũ: ſeu infelicitate ac tenebris ingenij, ſeu perturbatione aliqua temporaria, ut in affectu concitato, & uarijs cogitationibus, quæ obturbant mutuo: uel quia præteruolat, ut in nimium acutis, & qui celerrimam habent phantaſiam. hi enim ulterius tranſcurrunt, quàm ubi res eſt poſita: ita quod oportet à tergo relinquentes, in res minimè neceſſarias incidunt, ut ineptias: abſurditates, dementias, res denique ab eo quod conuenit alieniſsimas. oportet enim ilico poſt diſcurſum, phantaſiam & ſcrutationem memoriæ ſiſtere, ut mens quod ſectata eſt, commodè apprehendat, ne aliò rapiat eam concitatio illa uelociſsima.*

IVDICIVM.

I*Vdicium eſt cenſura, hoc eſt approbatio & improbatio rationis, diſcurſus uidelicet & clauſulæ: quod eſt in mente uelut amuſsis quædam & norma, aut ut examen in libra.* I*taque dum ratio eſt in actione ſua, quieſcit iudicium: ea ubi functa eſt ſuo munere, exurgit cenſura, & iudicat primum de connexione, hinc de diſcurſu: quem ſi approbet, nõ poteſt reprobare clauſulam.* H*æc ſi abſurda uideatur, & receptæ infixæq; prius ſententiæ cõtraria, hæret iudicium, ſeq; falſum eſſe ſuſpicatur.* S*in autẽ nihil*

nihil metuit fallaciæ, tranſit in ſententiam diuerſam, ui argumētationis impulſum. eáq; eſt maxima uis, ſeu unica potius, quæ poteſt menti adferri, ſi uериſimilis ratio oſtēdatur, ad reliquas omnes uiolētias immobili. Quod ſi non rectè eſſe diſcurſum, & qua oporteat, arbitretur, continet ac cohibet ſe, nec quoquam inclinat. quod frequens ſapienti accidit, propter magnam uarietatem, & difficultates in omni probabilitate, quæ citius docti hominis & cordati cogitationi occurrunt, quàm rudis & ſtulti. nec malè qui prouerbium finxerunt, ab ſtulto iudice præcipitari ſententiam: pauca enim circumſpicit. Et ſicut ratio utitur formulis dialecticis, quæ ſunt de probabilitate, ita iudicium ijs quæ de argumentatione, in quibus ob ingenij noſtri tenebras ſæpe fallitur. bene enim confici putat argumentationē, quæ eſt praua: unde in imperitis præferuidíſque ingenijs, definiendi ac pronunciandi exiſtit temeritas præcipitata. Non rarò etiā poſt rectum exactúmque diſcurſum obijcitur attentioni concludendi ac iudicandi quædam uelut nebula, qua iudicium hallucinatur, aliúdque pro alio ſumit. quod accidit ualde biliosis, etiam exercitatis & ſapientibus: atque eò magis, ſi uel metu, uel iracundia, uel pudore percellantur. quocirca rectius hi de ſcripto diſſerent, quàm loquendo. Sunt qui ipſi aptè ratiocinantur apud ſemetipſos, uerùm molles ac lubrici facile ſe ab alijs ſinunt auferri, ſiue ex affectione, ſiue qui non multum ſibi fidunt. Iudicium rectum & ſanum eſt, quod aptè circumſpicit, quid ex quo naſcatur, quid cuique ſit conſequens, quid alienum, quid repugnans, quid congruens & conſentaneum. hoc bono nullum eſt maius ad diſciplinas atq; artes omnes, denique ad uitam uniuerſam. Non uſu, nō co-

Iudiciū rectū quod.

gnitio

gnitione rerum multarum & uariarum, non acumine, non eruditione & ſcientia diſciplinarum atque artium, ſed hoc ſolo diſtant maxima & præſtantiſſima ingenia ab infimis, aut mediæ notæ. Veritas res eſt menti congruens, ut bonum uoluntati: mẽdacium autem, aliena atque inimica, ut malum uoluntati. alijs quoque ſenſibus, ſunt quæ conuenientiam cum eis habent, ſunt quæ inconuenientiam. Itaque ſi iudicium cenſeat concluſionem eſſe ueram, illi ſe applicat, & eam complectitur tanquam ſibi congruentem: quæ complexio, aſſenſus, ſeu opinio, atque exiſtimatio dicitur. ſin falſam, auerſatur, quæ eſt diſſenſio. Eſt aſſenſus quidam firmus: hæc fides nominatur, quam Cicero in Partitionibus finit, opinionem eſſe firmam. eſt alter infirmus, quæ eſt ſuſpicio: ut ſi hoc neutrum, nec in bonum uergens, nec in malum. medium inter aſſenſum & diſſenſum, eſt dubitatio, ſeu ambiguitas. Credulitas & incredulitas magis habitum mentis ſignificãt, quàm actionem. Creduli ſunt, qui cupiũt, qui metuunt, ſimplices, mites, beneuoli. Increduli ſunt, qui rationes cauſasq́; cuiuſque rei non aſſequuntur, aut non intelligunt: qui contrarias habent rationes, quibus uariè detinentur: qui nollent, qui cupiunt immodicè, experti res non ita eſſe, aut euenire. Sunt naturaliter ingenia quædam praua & maleuola, prona ad incredulitatem uniuerſalem, quæ conglutinationem omnem applicationemq́; ad alia ingenia refugiunt, nihilque uolũt credere, niſi quod ipſa uel inuenerint, uel attulerint. Suſpicacitas, habitus eſt animi in deteriorem partem. tales ſunt inuidi, auari, ambitioſi, malicioſi, maleuoli, experti mala multa, dãna, fraudes: uelut ſenes, & qui in negocijs doloſis ſunt uerſati, aut inter ueteratores, aut fraudulentos. Suſpicio gignitur,

Aſſenſus. Fides. Suſpicio. Dubitatio. Suſpicacitas.

gnitur, quum leues quidem remur eſſe coniecturas, non tamen nullas, & quæ ſatis ſint ad mouendum: utpote quũ in contrarium uel nullæ omnino ſint, uel tales quas plus uirium habere exiſtimemus, quàm diuerſas. Aßenſus facilius in ſecuritate elicitur, quàm in cura & ſollicitudine. citius enim eũ capias, qui nihil timet, ac proinde nec cauet. Quocirca promptius fabellæ conſentimus ſimpliciter narratæ, quàm argumentis, ex præparato ad pugnam certaménque inſtructis: eóque ad fidem uulgo faciendam utilior eſt rhetorica, quàm dialectica, uti eſt à nobis alio loco demonſtratum.

DE INGENIO.

Vniuerſam mentis noſtræ uim, de qua ſumus hactenus loquuti, ingeniũ nominari placuit, quod ſe inſtrumẽtorum miniſterio exerit & patefecit. mens enim eſt in hoc corpore, ſicut qui clauſus in cubiculo, nõ aliã habet feneſtrã, per quã foràs proſpiciat, quàm uitreã: is profectò nec alia poteſt, quàm quæ uitrũ patitur, intueri. quod ſi nitidum ſit ac pellucidum, clarius: ſin puluere obductum ac ſitu, obſcurius cernit. Eſt item ſicuti ſapiens in domo ſtulti; nempe à ſedibus ſenſuum: ab illis quippe ducitur. Et quemadmodum concluſus cubiculo, non ignorat obſtare ſibi uitrum, quo minus res clarius cernat ac apertius: ita mẽs noſtra in corpore: quæ, tametſi ducitur à ſenſibus, eos tamen ipſa corrigit. Hieronymus in Iouinianum, mentem noſtram in ſenſibus ſimilem facit ſedenti in equo. Nuſquam it ſeſſor, quin uehatur ab equo: ſed regit tamen equum. atque hoc eſt inter hominem & beluam diſcrimen, quòd homo fulcit ſenſuum imbecillitatem, & crebros lapſus, fallaciámq; illorum Ingenium.

lorum per rationem aſſequitur:brutum autem,quod rationis ſit egenum,nihil horum intelligit. Hæc eſt mentis noſtræ abductio à materia,quòd ſupra materiã,ſupráq; ea omnia quæ ſunt materiæ atque imaginationis,ſe ſuſtollit.non quod ſine inſtrumento materiali aliquid hic poßit,dum inter concreta & corporalia uerſatur, uti iam diximus. Quo fit,ut ſæpenumero ab actionibus ſuis retardetur,quum minus ſe inſtrumentum illius facultati obſequens præbet. Cuperet quidem mens plerunque optimis,ac præclarißimis cogitationibus ſe oblectare: ſed impediunt eam organa,auertúntque inuitam ac repugnantem,& traducunt ab excellentibus contemplationibus ad luſus,ad ineptias, & res leuißimas, quibus facilia ſe & tractabilia exhibent inſtrumenta. Sed functionis rationalis organa ſunt in cerebro,ſpiritus quidam tenuißimi & lucidißimi,quos illuc exhalat ſanguis cordis. ij ſunt organa intima cognitionum omniũ. Qui
Cor. *quum frigidi ſunt,à ſanguine frigido circa cor euaporati,ſegnes exiſtunt actiones mentis, & languidæ:unde homines fiunt hebetes ac torpentes. quod ſubſignificat Vergilius,quum in Georgicis dicit:*

Sin has ne poßim naturæ tangere partes,
Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis.

Rurſum quum calidi ſunt ſpiritus,celeres & concitatæ ſunt actiones.hinc fit,ut cordis habitudo atque affectio ad cogitationem atque intelligentiam non parum conferat. Vnde homines uel cordati nominantur,uel contrà excordes & uecordes:& Corculum Naſica ille appellatus,quòd eſſet ſapientißimus.ut cor etiam pro mente ipſa ſumatur,hac eadem de cauſa:uelut in ſacris literis, De corde prodeũt cogitationes,& Deus ſpectator cordium

dium appellatione peculiari nuncupatur, ac propria. Et *quanquam fons atque origo omnium actionum animi fixa ſit in corde, officina tamen eſt in capite. nec enim intelliget mens, aut iraſcetur, metuet, mœrebit, pudefiet, prius quàm ſpiritus illi à corde exilientes, ad cerebrum peruenerint.* Documento eſt, *quòd quantumuis ſanguis ferueat circa cor, niſi is ipſe feruor caput attigerit, nulla exurgit animi perturbatio: ut in uiris animoſis & moderatis, in quibus ſanguis efferueſcit in præcordijs, nullam tamen edunt iratorum ſignificationem, quòd cerebrum nondum ſit excalfactum. Sanguis & ſpiritus ſequuntur quatuor principum qualitatum uim & naturam, prout quæque in commixtione inualuit: pituita humores gignit craſſos, functionésque intelligentiæ lentas: bilis flaua, ſubitas & celerrimas: ſanguis, moderatas.* In *inſanis & furioſis exardeſcunt liquores omnes: in ſtupidis refrigerantur, ac condenſantur.* Quo *fit, ut utrique ualentes ſint corpore ac robuſti, furioſi ad agendum, propter feruorem qui eſt in actione prævalidus: fatui ad patiendum, propter frigus quod eſt firmæ patientiæ. Calor & humores contemperati, faciunt ad acumen & ſanitatem ingenij.* Cogitationes *ex flaua bili concitatas & uagantes, temerè ſiſtit atra bilis, ut in id quod agunt, intendant. quin etiam eadem bilis fuſca, nempe denſa materia, ſi accendatur, plus ignis caloriſque concipit. idcirco non uolitat per ſummam rerum faciem, ut flamma ardens in ſtuppa, uel paleis: ſed penetrat intima, & profunda. Accenditur porrò melancholia ex agitatione cogitationum, uel affectionum calidarum.* Oportet *autem eam eſſe alijs humoribus admixtam, præcipuè flauæ bili, tanquam frænum, ne illa ex ingenio & natura ſua*

Melãcholia in ingenio.

inſtabilis, quò minimè conuenit, ſeſe proripiat. Nam ſi ſola ſit atra bilis relicta ex aduſtione humorum omnium, multa & obſcura inuadit cerebrum, denſat atque offuſcat ſpiritus, unde furioſi & maniaci euadunt: tum exugitur corpus, ac debilitatur. quod in omni etiam contingit uehementi cogitatione, atque intentione mentis. Nam in illa cerebri atq; ſpirituũ actione, aduocatur mirabili naturæ artificio à uentriculo & uitalibus calor ad caput, tanquam ad eam partem mittatur ſubſidio, ubi plurimùm laboratur. qua ex cauſa cruditas exiſtit, noxiorúmque humorum redundantia, & debilitas neruorum, deniq; corporis uniuerſi infirmitas atque afflictio. Quod ſi ſubtilibus & claris ſpiritibus admixta ſit nigra bilis, dexteritatem parit rationis, iudicij, prudentiæ, ſapientiæ. hi enim deſcendunt altè, excudúntque atque inueniunt præclarè quàmplurima. Huc pertinet Platonis dictum illud ex Democrito Abderita ſumptum: Nullum excellens ingenium ſine mania, hoc eſt furore, qui furuæ bilis effectus eſt. Quocirca uini naturam refert atra bilis, ut ex ratione corporis, in quod infunditur, actiones producat: quemadmodum eſt fusè ab Ariſtotele in Problematis tractatum. Sunt ergo omnia hæc mentis inſtrumenta: nec aliter quàm quum artifex inſtrumenta diſponit, aptátque, non poteſt operi faciendo intendere: ita & facultas rationabilis in infantia, circa liquores atq; ſpiritus occupata penitus, nequit illas ad functiones ſuas conuertere. eſt enim in aptatione & accommodatione illa tanta permixtio confuſióque omnium, ut ratio quoque perturbetur atque obruatur ipſa, quo minus exequi munus ſuum ualeat, ut in officina quapiam perturbata. tum motus ille atque agitatio materiæ, non ſinit rerum effigies

gies hærere in phantaſia. Et quemadmodum in infantiam non utitur ratio ſuis organis, quia nondum ſunt apta: ſic neque in decrepita ſenecta, quia iam deſierunt eſſe apta, magno ſcilicet uſu detrita & corrupta. Ex hiſce humoribus atque ſpiritibus, naſcitur ingeniorum non uarietas ſolùm ac diuerſitas, ſed aduerſitas quoq; tanta, quanta eſt inter hominũ facies. de quo ſum loquutus nonnulla in opere De tradendis diſciplinis. Quidam habent uires ingenij ualidas ad laborem ferendum, & inſiſtunt operi: ut melãcholici, uel phlegmatici. Loca & tempora eiuſdem qualitatis ad idem faciunt, quum nõ omnino caloris uigorem frigiditas debilitauit, nec reſtrinxit lucem obſcuritas. ideóq; hi artibus manuarijs ſunt apti, in quibus opus eſt patientia experimentorum, & fruſtrationi operis non indignari, neque ex offenſione materiam de manibus abijcere. Alij leues atque infirmas habent uires, nec diu poſſunt durare in opere: ut biliosi, & calidè ſanguinei, tum populi feruentium regionum, & alij per æſtum. ualent enim impetu, non conſtantia. Alij refugiunt laborem attentionis, ex graui & craſſa materia. alij ex delicijs, aut inſuetudine, uel deſuetudine. Alij non patiuntur ſe alligari, nec quicquam poſſunt augere ex præſcripto, ſed pro libito animi ſui liberi ac ſoluti. magnóſque labores ipſi ultro ſuſcipiant facile, leuiſsimos autem indictos atq; impoſitos non ferant. Celeriter currunt quidam, ſed nõ longè, ita ut in progreſſu admirabiliter mutentur, & multo alij ſint, quàm de principio. Nonnulli ut lentius, ita & longius perueniunt. Multis eſt crebrò conquieſcendum, recipiendúsq; de integro impetus: qui facilè delaſſantur, quibúsq; caligo ob aciem mentis offunditur, hos enim ſemper uenire recentes conuenit: ut ue-

Ingeniorum diuerſitas.

recundi, meticuloſi, iracundi. omnis quoque animi affe-ctio commota, uelut nebulam offundit ingenio. Sunt qui-dam imperturbati, & ſibi conſtantes, quibus ſtatim ue-nit in mentem, quicquid eſt opus ſiue laceſſendo, ſiue re-ſpondendo: quibus omnia ſunt ad manũ, & ingenium ha-bent in numerato, ſicut de Vinicio dixit Auguſtus. Ali-qui in uno quolibet acutiſſimi, in multis perturbantur, & tanquam obruuntur copia. Alij quocunq; intenderint rectà, perſpiciunt acutè, acriter, ſubtiliter: non circum-ferunt tamen oculos ad ea quæ ad dextram, uel ſiniſtram obiacent, qui acuti quidem ſunt, ſed imprudentes, & iu-dicio carent. Mutantur ingenia quædã in melius, ut cho-lericorum, quum deferbuerunt, mutantur in peius, ut in pituitoſis, quibus humore illo frigido inualeſcẽte, extin-guitur calor. Itaq; obbruteſcũt, qui in primo ætatis cur-riculo uidebantur cordatiſſimi. Mutantur item ex curſu naturæ ſuæ: aliàs quoque ex natura loci, uictus, ocij uel negocij. Sunt qui crebras recipiunt uarietates, ut inge-nia ſui diſſimilia. ſunt qui per longa interualla, ut in fle-xu ætatis, in iuuenta, in ſenecta, poſt morbum aliquem grauem. Expedit ijs qui tenuiſſimos habent ſpiritus, in-craſſari à loco, uel uictus ratione: qua de cauſa melan-choliam bilioſis & ſanguineis utilem diximus. Dictu mi-rum, eſſe quoſdã ſano ad omnia ingenio, præter quàm ad aliquod unum: ut Horatianus ille haud ignobilis Argis,

Qui ſe credebat miros audire tragœdos,

Cætera qui uitæ ſeruaret munia: & quæ ſequuntur. In materia quoq; permagna eſt diuerſitas. quorum in-genium altè penetrat in ima rerum, ij multum ualent in rebus grauiſſimis ac ſolidiſſimis. qui uolitant per ſum-ma, ſunt arguuli & dicatuli & cauillatores non ſolidi

intuentur

intuentur minutias quaſdam minimè neceſſarias, quas alij negligunt: aciem habent ſcalpelli, non enſis, ut facile diſſecent pilum latum: rei tamen duræ ſi admoueantur, retunduntur. alij ſunt diſciplinis præſtantes, alij prudentia rerum agendarum, alij artibus manuarijs. Ex *diſciplinis autem ſunt quidam natura ſua poetæ, alij ad linguas perdiſcendas appoſiti, in reliqua eruditione reluctantes atque infelices. Videas quoſdam ad dicẽdum natos fictóſq;, quorum orationem ſimplicem nulla arte adhibita admireris, & artificioſiſſimè dicunt, abſq; arte. horum propriæ ſunt mathematicæ, illorum medicina, aliorum ius ciuile, aliorum myſteria ſcrutari.* Hæc *eſt diſtributio donorum* Dei. *nemo poteſt gloriari ſe accepiſſe omnia, nemo conqueri ſe accepiſſe nihil.*

DE SERMONE.

Democritus *ſermonem aptè nominauit riuum rationis: &* Græcis *eadem uox λόγος, & ſermonem & rationem ſignat. ſermonem autem & uerba non ſolùm ea uolo intelligi, quæ ore proferuntur, ſed quæ ſcribuntur etiam. ex uniuerſa autem mente, tanquam ex fonte fluit ſermo: & ſimplicia uerba, ex ſimplici intelligentia, compoſita ex phantaſia, apta uerò & connexa ex ratione coniungente & ſeparante, ſermo integer ex ratione diſcurrente, & iudicio aptante clauſulas.* Quo*circa animaduertere eſt eos, in quibus parum uiget ratio, tanquam in pueris & fatuis, omnia ſimplicibus atque inconiunctis uerbis exprimere, quod uitium in linguis quoque infantibus annotatur. & quanquam ex animo profluant uerba, non tamen eadem eſt illic compoſitio quæ in uerbis. multa enim ſimplicia explicantur com-*

poſità:multa quæ erāt ſimpliciter foras prolata,animus non ſimpliciter accipit, ſed aliquid adiungit, & affin- git, ex celeritate phantaſiæ coaceruantis pingentiſque. multis deſunt uerba:opus eſt longo circuitu,qui hebetes ſunt,phantaſiámque habent impeditam, & recordatio- nem lentam ſegnémque, ægrè quæ ſentiunt eloquuntur. Quibus eſt ratio ac iudicium citum, ſed inefficax, ij lo- quaces eſſe poſſunt,eloquentes autem nullo modo. Elo- *quentiam uoco,abſolutam expreſſionem eorum quæ men te conceperis,aptis atque accommodis uerbis:quod po- ſitum eſt in perfecta cuiuſq; linguæ cognitione,tum con- nexione ſermonis congruenti, & rationibus appoſitis. quod eſt iudicij non ſolùm acutiſſimi,ſed etiam ſolidi,& circumſpecti.* Salluſtius *de* L. Catilina *bene expreſſit:* Satis loquentiæ, ſapientiæ parum. *& multos uideas fa- cundos innarrando,in argumentis planè infantes: ſicut è contrario.* Expenſio *hæc eorum quæ dicenda ſunt, & circumſpectio illorum quæ adiacēt, loci,temporis, per- ſonarum,atque huiuſmodi,tardiloquos ſæpe ac paucilo- quos facit uiros magni ingenij. leues autem & acutuli, quòd nihil penſi habeant quid profundant, uerboſiſſimi ſunt.* Cogitatio *diſſoluta,quæ nullis rationis frænis cohi- betur,ut infatuis et inſanis,loquaciſſimos facit.ita enim profundunt omnia, ut ueniunt in buccam.* Penetratio *quoque acutiſſima in rerum intima, & lata multarum magnarúmque rerum cogitatione complexio, infantia nonnunquam reddit præſtantiſſima & clariſſima inge- nia: non enim apta inueniunt uerba, quibus exprimant res tantas .qui uerò de rebus iſtis, quæ quotidie uerſan- tur in manibus,locuturi ſunt,ijs & uerba & ſenſa accom moda facilè ac copioſè ſuppetunt.* Eget *quoque ſermo*

Eloquentia.

doctrina

doctrina atque exercitatione: nec mirum eſt, acutos interdum, & multis amplisq; diſciplinis homines eruditos eſſe infantes, qui linguam parum didicerint, uel parum exercuerint. Memoria loquendi facultatem uehementer adiuuat: & qui ea pollent, facilè linguas perdiſcunt, loquuntúrque expeditè, tanquam theſauro benignè ſuppeditante, quæcunq; ſint opus. nec immeritò peritia linguarum inter exempla memoriæ reponitur, ut in Cleopatra Aegyptia, & Mithridate Pontico, & Themiſtocle Athenienſi. qua de cauſa melius omnes quamcunque linguam intelligimus, quàm loquimur. In loquendo enim quærimus, quæ proferamus: quæ ſæpe nos latent, nec ſe diu quæſita oſtendunt. in intelligendo autem, tantummodo agnoſcimus oblata. exiguus porrò eſt hic labor, præ illo. Inuenias tamen nõnullos, qui quod loqui ſciant, idem ipſum ſi audiant, non intelligent. ſcilicet quum loquuntur, quærunt ipſi uoces per ocium, & fingunt: quum uerò audiunt, celeritas ſermonis præcurrit attentioni. quo fit, ut intellectio perturbetur. quo de genere ſunt ij potiſſimùm, qui ex lectione didicerunt magis linguam, quàm audiendo. Vehementius autem admirere, ſi uideas, qui quod loqui ſciant, loquentibúsq; alijs facilè intelligant, idem illud eos fallere, ſi legant. hi ſunt ad attentionem ſegnes. quibus loquentibus, uel audientibus, calor ille orationis excitat attentionem: uerſis autem ad legendum, & refrigeratis, remittitur attentio, & torpet intelligentia. Sunt qui melius loquantur, quàm ſcribant: quod de Galba tradidit Cicero. idque euenire ait hominibus ingenioſis quidem, ſed parum doctis: qui ardore illo dicendi remiſſo, quum arte non adiuuentur, impares ſunt ſibijpſis ſcribendo: docto autem homini pro feruore ani-

mi eſſe induſtriam. Sed ars tamen non multum proficit, quum uigor ingenij languet: ſicut in erudito delaſſato, aut ægro, aut perturbato. Alij quum uſum ab eruditis acceperint, nec ſatis tamen nôrint cur quicque dicatur, translati ad ſcribendum, uolunt aliquid efferre politius atque elimatius, diſcedunt à recto illo uſu ad prauum ſermonem atque imperitum. At quandoquidem ſermo ex ratione oritur, tam naturalis eſt homini ſermo, quàm ratio. ubicunq; enim eſt fons, ibi & riuus. Nullus tamen certus eſt ac naturalis, omnes ſunt ex arte, unde diſtinctæ ſunt linguæ, quarum tractatio alterius eſt ſpeculationis. Sermo omnis uel ſcriptis uerbis conſtat, uel prolatis uocibus, quòd etiam nomen ad ſcripturam quoque accommodatur. Vox eſt quidem ſonus quicunque, ſed aptius & peculiarius, quem animans edit ore ad aliquid ſignificandum. Articulatus autem ſonos & diſtinctus ſolius eſt hominis, ad cuius imitationem auiculas quoque & inſtrumenta muſica, quæ ſonos edunt ſine iudicio atque intelligentia, uoces emittere dicimus. Voces in homine ſigna ſunt animi uniuerſi, & phantaſiæ, & affectuum, & intelligentiæ, & uoluntatis: in belluis autem tantummodo affectionum, quemadmodum in nobis uoces inconditæ, quæque à Grammaticis interiectiones nominantur. Admirabile eſt, tantam humani oris ſonorum diuerſitatem, tam paucis potuiſſe literis comprehendi, unde confecta eſt uerborum, ſermonis, linguarum tanta uarietas & copia.

Sermo naturalis.

Vox.

DE DISCENDI RATIONE.

Doctrina

Diſciplina

DOctrina eſt traditio eorum quæ quis nouit ei, qui non nouit. Diſciplina eſt, illius traditionis acceptio

plio:niſi quòd mens accipientis impletur, dantis uerò non exhauritur.imò communicatione augetur erudi=tio,ſicut ignis motu atque agitatione. Excitatur *enim ingenium,& diſcurrit per ea quæ ad præſens negocium pertinent:ita inuenit atq; excudit multa,& quæ in mentem non ueniebant ceſſanti,docenti aut diſſerenti occurrunt,calore acuente uigorem ingenij.* Idcirco *nihil eſt ad magnam eruditionem perinde conducens,ut docere.* Diſciplina *eſt duplex.altera eſt appoſitio qualitatis in animo:ut quum lingua noua traditur,quod fit in homi=num inuentis. altera eſt eductio ingenij, de poteſtate in actum:ſicut in ſcientijs artibúſque, quarum eſt materia res naturalis.illarum enim omniũ,ſicuti antea diximus, ſemina ſunt naturaliter menti noſtræ indita,uelut ſtir=pium ipſi terræ:ut nihil uideatur aliud docens agere, quàm quod ſol,quum ui ſua profert ex ſeminibus germi=na,proditura alioqui per ſe,ſed non tam feliciter, nec tam citò.* Docent *bruta ſobolem ſuam,ut citius faciant, quod per ſe nihilominus facerent:ut auis pullum ſuum uolare,felis uenari mures,ut quàm citiſſimè uideant eos ſui ſimiles,hoc eſt in ſua ſpecie perfectos.nos uerò docemus illa,ut quod uel nunquam facerent,uel aliter,faciãt uti nos uolumus.neque aliud eſt noſtra in eis doctrina, quàm aſſuefactio ad nihil ferè aliud,quàm ad corpora=le exercẽdum aliquid,ut loqui,currere,aut modo aliquo corpus ſeu corporis partem aliquam mouere.* Brutũ *ad ſua edoctum eſt magiſterio naturæ:nos indigemus & noſtra exercitatione,& admonitione aliena, ut profera=mus quod eſt inditum.* Curſus *diſcendi eſt ex ſenſibus ad imaginationem,ab hac ad mentem:qualis eſt & uitæ,& naturæ.* Itaque *à ſimplicibus progreſſio fit ad cõiuncta,* Diſcendi curſus.

à ſingulari ad uniuerſale. quod eſt annotare in pueris, qui(ut dudum dicebam)primùm exprimunt partes ſeparatas ſingularum rerum,deinceps coniungunt & copulant.Vniuerſalia etiam ſingulari uocant nomine, ut fabros omnes nomine eius fabri,quem primùm nouerunt: & omnes carnes, capum aut bubulam, ſi eam primùm nominari audierint,quum incipiũt formare uerba.tum ex ſingularibus mens colligit uniuerſalia,unde ad ſingularia rurſum ex uniuerſalibus reuertit.Itaque primi magiſtri ſunt ſenſus,in quorum domo eſt concluſa mens,è

Viſus. *quibus princeps eſt uiſus:qui,ut Ariſtoteles inquit,plurimas nobis rerum ſpecies patefacit,autórque ad inueſtigationem fuit ſapientiæ,quemadmodũ præclarè ſcripſit Plato.nam ex aſpectu nata eſt admiratio,ex qua animaduerſio,& ſcrutatio,ſtudiúmque ſapientiæ.Poſt cognitionem autem rerum inuentam, artéſq; conſtitutas,*

Auditus. *audiendi ſenſus tum plura & maiora, tum celerius docet:accipimus enim breuiſſimo tempore,quæ tradens pauit longo.nec immeritò ſenſum hunc Ariſtoteles diſciplinæ nominauit:quæq; animantes eo careant, diſciplinæ non eſſe capaces.Quo magis miror fuiſſe mutum & ſurdum natum, qui literas didicerit. fides ſit penes Rodolphum Agricolam,qui id memoriæ prodidit,& ſe illum uidiſſe affirmat. Quãquam in arctis ingenij noſtri limitibus,admirabilis eſt latitudo facultatis ac uirium. Quàm bene egit Deus cum homine,ut quod neceſſariũ eſſet,tam in obuio propoſuerit.Nihil utilius quàm multa diſcere,nihil facilius quàm multa audire.Ipſum quoque ingenium in quibuſdam hominũ,natura ſua dextrũ & felix,uel tenuiſſima ope extrinſecus adiutum mirificè ſeſe extendit & dilatat,ſuique ipſius magiſter eſt atque*

inſtitut

*inſtitutor.nec perinde à ſenſibus doceri, aut etiam interdum ab homine magiſtro poteſt,ut docetur à ſemetipſo:unde ſunt illi αὐτομαθεῖς.*Ingenium *felix habēt primùm,qui rerum imagines eorum quæ loco uel tempore comprehenduntur facile atq; aptè concipiunt,quos Græci εὐφαντασιώτους uocāt,ut* Quintilianus *tradit.hi ſunt ad deſcribendum & narrandum aptiſsimi, unde & argumenta facilè colliguntur efficacia.tum qui uel natura ſua,uel arte celeriter diſcurrunt, & rectè colligunt,& ſolerter coniectant.in quo numero ponuntur naturales* Dialectici,*& potiſsimùm qui cuiuſque rei ultimam originem dexirè inueſtigant:quales fuerunt* Ariſtoteles *&* Galenus.Iam *quibus nullo admonente, omnia quæ opus ſunt,ueniunt in mentem,quos* Heſiodus *in primo genere excellentiæ collocat,qualem fuiſſe* Themiſtoclem *tradit* Thucydides. Grandia *& præſtantiſsima quocunque in genere diſciplinæ ac cognitionis ingenia ſunt naturæ beneficio,quæ inſito quodam uelut impetu ad res maximas præclariſsimáſque impelluntur, & ſortita ſunt in mente imaginem rei exactiſsimam,ceu canonem,ad quē & quæ ipſi,& quæ alij agant in eo genere, accommodent,uelut ad normam:quo fit,ut tum ſua tum aliorum uel errata, uel rectè facta deprehendant acutè, ac dijudicent.*Ideas Plato *formas eiuſmodi nuncupauit rerum agendarum uериſsima & certiſsima exemplaria, quæ ſi extrinſecus doctrina & uſu adiuuentur,dictu incredibile quanta ſit eiuſmodi ingeniorum magnitudo & excellentia.*Iuuat *mirificè ad eam rem, uerſari cum ijs diu & multum,legere etiam attentè ac diligenter eorū monumenta,qui tantum hoc bonum ſunt nacti:neceſſe enim eſt,ut aliquid ex aſsiduo illo uelut affricatu adhæreſcat.*

Accedit

Accedit celeritati huic mẽtis & acumini,meditatio at-
Vſus. *que uſus cuiuſque diſciplinæ,quæ illam auget magnope-re.neq; enim tam ſcitur,quod tacita contemplatione eſt acceptum,quàm quod in exercitamentum uſumq́; tranſmittitur,in artibus actionum & externorum operum,in uirtute,in muſica,eloquentia,fabrili arte, pictoria, & reliquis huiuſmodi:tantóq; eſt profectus maior,ſi perſe ueretur in opere ſine offenſione, aut indignatione animi durandum eſt,& perſiſtendum:quódq; hac non ſucceſsit,alia tentandum.luctari oportet cum opere,nõ indignari.In ſcientijs autem contemplationis, pro meditatione atq; exercitamento eſt tacita cogitatio atq; expenſio,qua altius in rei notitiam penetramus, quàm diſputationibus uel altercationibus:quæ plus ſæpenumerò obruunt iudicium,quàm exacuũt.etiam ingenia mediocria,quæ nõ adeò ſunt formulis illis à natura inſtructa, quantumcunque maximorum ingeniorum adiuta monumentis,non tamen tantum efficient, quantum illa excelſa,& uelut grãdi quodam numine afflata.deeſt enim illis ſuperioribus,quod maximum eſt, exemplar illud rei bene atque excellenter exequendæ.Hæc quidem interna.* Externa *ſunt,magiſter & inſtrumentum.*Magiſtro *non ſatis eſt,bene quæ profitetur ſcire,niſi expeditè ea poſsit explicare,& artem dexteritatémque eam ad rem adiungat.quod ſi contingat,breuiter in magnam eruditio*
Docilitas. *nem docilis diſcipulus euadet.*Docilitatem *adiuuat diligens attentio,quum animus in eo eſt cunctus, quod uidet,quod audit,nec alijs ſeſe cogitationibus procul abducit.*Breuiter *etiam proficiunt, qui recolunt ſingula, & reputant ſecum.*Adde *his,quos non pudet diſcere. qua de cauſa ſuperbi diſciplinæ uiam prauo illo affectu*

latè

late ſibi interrumpunt. Magnum profectus omnis impedimentum, dicebat Bion eſſe arrogantiam. Si fueris diſcẽdi cupidus, inquit Iſocrates, eris breui eruditiſſimus. Adde iſtis illos, qui non arbitrantur ſe multum in eruditione promouiſſe. Præclarè Seneca: Puto multos ad "
ſapientiam potuiſſe peruenire, niſi ſe iam perueniſſe cre "
didiſſent. ſiſtat enim neceſſe eſt, qui nihil exiſtimat reſtare amplius, in quod tẽdat, & tanquã ad extremũ pertigerit, quieſcat. Sunt qui docentẽ præcurrunt: ſunt qui ſequũtur, doctrinámque ſatis capiunt, & ea acquieſcũt. hi ſunt intelligentia præditi, nolunt tamen, aut neſciunt in ea perſcrutari, quod diſcurſum habent rationis lentum, aut uim mentis non in ſua poteſtate, ſed diſſolutè effuséque diuagantem. Ex his autem qui præcurrũt, alij faciunt id dexterè, qui ratione ac iudicio pollent: ineptè alij, qui ad coniectandum ſunt inidonei. Eorum quæ traduntur ab inſtitutore, receptaculum ac theſaurus quidã eſt memoria, quæ illa omnia conſeruat. Superuacaneus Memoria.
eſt labor diſciplinis impenſus, niſi ſit quo accepta contineas. ſi effluunt omnia, perinde eſt ac ſi in dolio pertuſo aquam haurias, ut de filiabus Danai eſt in fabula. Idcirco puerilis ætas accipiendis quæ traduntur eſt appoſitiſſima, propter liberam memoriam expeditámque, nec alijs impeditã cogitationibus & curis. grandiores enim natu adferunt ſecum alios cogitatus, qui non facile uenienti doctrinæ cedunt. Huc accedit, quòd pueri non reputant laborem ſedendi, attendendi, legendi, ſcribendi, ediſcendi, operandi, idcirco minus delaſſantur: adultos uerò non parum defatigat operæ ac laboris expenſio. Græci appoſitè, quos bene rem aliquam edoctos uolebant ſignificare, nominabant παιδομαθεῖς, quaſi à pueritia

ritia inſtitutos. quanquam ſeniori in locum facultatis diſcendi ſuccedit iudicium certius, & prudentia experimẽtis collecta, hoc eſt induſtria pro uiribus. Alterum præceptoris officium eſt, emendare ac corrigere: quod non eſt minus utile, quàm umbratilis explicatio præceptorum: & eo magis, ſi corrector cur quicque uel probet, uel reijciat, tum norit ipſe, tum ſciat tradere, & uelit diligenter explicare. Vitamus enim damnata: pergimus, quà uidemus eum præire, ac nos ducere. Quòd ſi ſolidi ſit & exacti iudicij præceptor, plus ab emendatione paratur iudicij, quàm ex alijs omnibus ſcholæ exercitamentis. Collatio cuiuſque & ſecum procedente tempore, & cum alio, ponit ob oculos quantũ ſimus progreſſi, quid acquiſitum eſt; quid deeſt. Accedunt hiſce omnibus inſtrumenta, non parua utique artificis pars. Natura homini artificium omnium in hoc mundo præſtantiſsimo, inſtrumentum externum eſt largita, cui nullum poteſt omnino comparari, manum ſcilicet: de cuius aptitudine, commoditate, utilitate longum eſſet diſſerere, nec huius tractationis. ipſa etiam uerborum uicem ſupplet: quod uidere eſt in mutis hominibus, & ijs qui inter ſe ſunt barbari. illos enim ſine geſticulatione manuum nõ tam facilè intelligeremus. Tametſi uſum tam apti támque congruentis inſtrumenti ſupra modum peritia ſolertiáq; artificis adiuuat, & regit, & haud ſcio an artificis excellentia tale reddat inſtrumẽtum ipſum. quippe hoc quotidiana experientia facile demonſtrat, quò quis polleat uel ingenio, uel arte aliqua, eo paucioribus & leuioribus, minúſque accommodis inſtrumentis pulchriora atque exactiora opera perficere. nec credere, niſi qui uiderũt, poſsint, quid homo ſiniſtra manu agat,

Emendatio. Inſtrumenta. Manus.

præciſa

præciſa dextra: quid ipſis pedibus, quũ caret manibus: cibum ori admouere, ſcindere, ſuere, texere, acuẽte uim mentis neceßitate, ut in cæcis & mutis. Nihil eſt *menti ſimilius, quàm oculus corporis.* Eruditio *eſt menti, quod lux oculo: & mens eruditionis ope ſpeculatur, ac cogitat, & oculus ope lucis intuetur.* Ac *quemadmodũ ſplendidißima lux præſtringit oculos, ferunt tamen illã paulatim ualidi, opprimuntur imbecilli atq; infirmi: ſic eruditionem ſuſtinent magna ingenia & ſolida, parua atq; inania non ſunt ferendo, ſed ſub illa tanquam onere iniquo franguntur, & concidunt, ut oculi ad magnum fulgorem cernendi uim amittunt. quũ autem perpauci ſint firmis ſolidisq; ingenijs præditi, fit ut in opificijs omnibus uitæq; artibus plurimi multum promoueant, & celeriter: in excellenti uerò eruditione rarißimi, lentè, prætenuiter.* Ingenium *quoque ipſum inferioris notæ, aſſuetum in fulgorem illum eruditionis intendere, adeò ſtupeſcit, ut nec ſcientiam ipſam cernat, nec iam ad res alias translatus inueniatur idoneum & congruens, quemadmodum oculus magno aliquo hebetatus ſplẽdore.* Quin *& ipſi quoque probè ac feliciter inſtituti, quum ſubitò ſe ad res iſtas uitæ inferiores, quæ ueluti in obſcuro ſitæ ſunt, ſeſe transferunt, uidentur cæcutire, ut qui à lucido loco derepentè in tenebroſum ingreditur. quod multi nõ conſiderãtes, admirantur homines doctißimos nõ adeò eſſe in republica aut familiari prudentes, ut imperitos, qui in illis ſunt exercitati.* Et *curſus eruditionis lentus eſt, tardóque ad metam gradu peruenitur: in alijs autem uitæ exercitamentis, plerique omnes multum aſſequuntur breuißimo tempore, & acutiores exiſtimãtur, aptioréſque ad omnia negocia. nimirum ſtudia ſapiẽtiæ*

Cur pauci docti.

poſita ſunt in arduo, affligúntque ac debilitant ingenia, quoad aſſueta iam reſpirent, ac recipiant uires, quum quidem ſunt natura ſua firma & robuſta. Iam uerò reliquæ artes cognitionésq; breuißimis ſunt limitibus comprehenſæ, quos pertingere haud eſt ſanè operoſum, ita indocti felicißimè uidentur in ſuis negocijs uerſari. Sapientia longißimos habet fines, aut nullos potius, & diutißimè eſt decurrendum, prius quàm in tanta curriculi uaſtitate aliquid uidearis promouiſſe. Sed poſtquàm eruditus homo confirmatus, & paratis ex ſtudio ſcientiarum opibus, applicat animum ad uitæ adminiſtrationem, bona utiq; fide, quod rarì à ſe poſſunt impetrare, neque enim tanti eſſe ducunt, ſed quum applicat tamen, longißimè alios omnes antecellit, oſtēdítque manifeſtò, quantum inter ruditatem & peritiam interſit.

DE COGNITIONIBVS, *ſeu notitijs.*

PRima ergo cognitio eſt illa ſenſuum ſimplicißima, *hinc reliquæ naſcuntur omnes, aliæ ex alijs, & creſcunt augentúrque. quod non ſolùm in artibus diſciplinísque experimur, ut* Ariſtoteles *in* Reſolutorijs *docuit, ſed in ipſo uitæ totius curſu.* Rerum *aliæ cadunt ſub ſenſus, quæ foris ſunt expoſitæ, ſeu obuiæ: aliæ ſunt reconditæ. tum ex obuijs quædam ſunt præſentes, quædā abſentes.* Res *expoſitas præſentes cognoſcunt ſenſus, abſentes autem imaginatio. conſideratio autem mētis opes ſcrutatur, & mentem quaſi in ſeipſam reflectit, ut recognoſcat quid contineat, quale quantúmque ſit. ratio autem ex obuijs concretiſque reconditas & uacantes corpore eruit, ex ſingulis rerum generalia: quæ omnia*

tradit

tradit ſuæ intelligentiæ, ac deinde contemplationi, ſi uacat. Et quemadmodum oculi corporis indigent lumine exteriore ad cernendum, ita oculus mentis lumine interiore ad intelligendum & cognoſcendum. Res uel ſunt naturæ huius mutabilis ac temporariæ, uel illius immutabilis ac perpetuæ. ad hæc intuenda opus eſt lumine ſupernaturali, cuius cognitio Sapientia nominatur. Si eſt naturæ huius fluxæ ac inſtabilis, uel eſt in ea uariabile, ut quæ de ſingularibus cognoſcuntur: uel de uniuerſalibus quidem, ſed quæ non obtinent conſtantiam perpetuam, opinabilia nuncupantur à M. Tullio. Eorum claritas ſit ſanè ueriſimilitudo, ſiue (ut alijs placet) opinio, uertentibus è Græco δόξαν. Vniuerſalia, cuiuſmodi ferè ſunt, filium à matre diligi, huic morbo hanc aut illam herbam mederi, ſic affectos animo hæc aut illa uel cupere uel aſpernari, hoc habitu cœli hæc contingere: quæ exceptiones recipiunt, & uarietatem. Tametſi in his magnum eſt inter ſingularia diſcrimen, & qualiacunque uniuerſalia. Nam de generalibus ſtatui poſſunt regulæ ac præceptiones, unde ars exiſtat aliqua, & diſciplina: de ſingulis, utpote infinitis, & infinitè uarijs nulla. neque enim eſt ingenij humani ea perſequi, quorum iniri numerus non poßit. quapropter Plato in infimis formarum meritò iubebat conquieſcere deſcendentes, prius quàm ad inſecabilia peruenirent. Sed reuertamur ad propoſitum. Reſtat tertium, quod eſt in natura mutabili perpetuum & conſtans: qualia ſunt, quæ ſemper eadem atque uniuſmodi perſiſtere animaduertimus, uelut cœleſtia: & in his ſublunaribus, quæ naturalia ſunt generi alicui, aut formæ. Huius lucem habemus à natura inditam, ſicut prius loquebar: ex queis alia permulta col-

Res mutabiles & immutabiles

Sapientia.

Veriſimilitudo.

Scientia. *ligit ratio, cuius cognitio Scientia uocatur. lumen autem ſecundi eſt, longiſsimus quidam ex naturali lumine ſplendor, auctus ſolertia, inſtitutione, meditatione, exercitatione, die ipſa, quæ ultro adfert multa in primis illis naturalibus, iiſque quæ ſunt primis proxima, id eſt, quæ ex principibus breuiſsimo atq; apertiſsimo tramite ducuntur: ſed longius tamen progreſsis tenebræ obuoluuntur ilico, nō à rebus, ſed à noſtris ingenijs, quæ graui hac corporis mole onuſta, & tarditate impediuntur, uel nube aliqua interiecta perturbantur, atque hallucinantur. Itaque modus cognitionis lucisque in aſſequenda ueritate, noſtrarum eſt mentium, non rerum. Nam ſunt qui in rebus apertiſsimis cæcutiunt, & tenebræ illis offunduntur etiam in claro meridie, uel ex ignorantia, uel ex torpedine. alij obſcuriora clarius cernunt beneficio ingenij uel naturalis, uel exculti. Quo plus ergo eſt lucis, plus ſcientiæ: quo minus, plus dubitationis. ſi nihil ſit prorſum, aut ita parum, ut pro nihilo ducendum ſit, ignorantia ſe diffundit, tanquam denſa in nubila atque illuni nocte obſcuritas, ſine ſcientia, ſine uериſimilitudine, ſine ambiguitate. Quocirca nec ſcientia, nec ueriſimilitudo eſt erroris cauſa, ſed caligo luci admixta: quæ lux nulli contingit pura, obumbrante corpore. quomodo enim poſſet ignorantiam ſcientia părere, aut errorem peritia, aut nebulam fulgor? Nec aliter quàm mutatur luminis qualitas & uis. ex obiecta mole, ut alia plus aut minus admittat claritatis: ita illuminatio mentis ex multarum rerum in uita hac quaſi obiectu, admirabiliter redditur uaria, ut diuerſiſsimè homines tum colligant, tum indicent, & ſtatuant ſiue de bono, ſiue de uero. Sunt autem hæ res, corporis conſtitutio, ætas, ualetudo, robur, aſſuefactio,*

factio, integritas, affectio præſens ex qualitatibus temporarijs, quas gignunt alimenta loci, & temporis, tum actiones, atque externa: tametſi hæc uariant, prout cuiuſque eſt animus, & mores. In animo affectiones omnes: in mente tarditas, celeritas, acumen, hebetudo, doctrina, ſecta inueterata, aut certè perſuaſio quæ prior adhæſit, mores, conſuetudo, autoritas alterius. unde tanta in ſentiendo & ſtatuendo, & tam crebra uarietas atq; aduerſitas, non ſolùm hominibus inter ſe, uerum etiam cuique ſecum: ut ſequens temporis punctum, prioris ſententiam decretam omnino & fixam damnet penitus, ac tollat.

DE CONTEMPLATIONE.

SEquitur poſt actionem quies. Ratio eſt ueluti ſcrutatio: iudicium, electio: contemplatio autem, inſpectio quieta & tuta omnium, quæ à ratione ſunt collecta & exculpta, à iudicio autem recepta atque approbata. non eſt in ea ratiocinatio ulla, in qua omnia ſunt certa iam, atque expoſita. & quando delectatio omnis naſcitur ex proportione quadam, congruentiáque obiecti cum facultate, nihilq; eſt menti congruētius quàm ueritas, fit ut in contemplatione magnæ ſint delectationes mentis noſtræ. In quo tamen ſpectantur ueritas & ingenium. Nam ueritates tam ſunt gratiſſimæ, quàm certiſſimæ, maximéque defæcatæ, prolatæ ſimul cum ſuis originibus, primiſque cauſis. Id uerò ſi non concedatur, ſecundum eſt, ut ad ueritatem quàm proximè accedant, ſimillimæque ſint. Nemo eſt tam torpenti & abiecto in terram animo qui non excitetur ad hanc uocem, Ego tibi huiuſce rei cauſam patefaciam. adeò inſitum eſt à natura humanis pectoribus, cauſas uelle cognoſcere: ut meritò felicem

illum poeta pronunciârit, qui potuit rerum cognoſcere cauſas. Ingenia uerò ſimilitudine ac proportione delectantur, ſumma & præſtantiſſima rebus excellentiſſimis, & alia deinceps, ut eſt cuiuſque gradus uſque ab infima & deſpicatiſſima, quæ uiliſſimis ac nugaciſſimis rebus tenentur. Voluptas hæc contemplationis tanta eſt generoſis mentibus, quæ illam ſemel deguſtârunt, ut renunciaſſe gentiles multos rebus humanis uniuerſis propter eam ſolam mirandum non ſit. Hoc uel incredibile ſanè, uel abſurdum uideatur ijs qui ſpiritales illas dulcedines nunquam guſtârunt. His de cauſis beatiſſima omnium erit illa in cœlis contemplatio, quippe de Deo, quo nihil excogitari poteſt amplius uel excellentius: tum dimota omni nebula, non uериſimiliter, ſed uerißimè, certiſſima ueritate oſtenſa, cauſisqúe rerum omnium in ipſo autore perſpectis & cognitis, liberatis quoque noſtris mentibus ab obſcuro hoc & tenebroſo carcere, quum nulla erit amplius diſtinctio & differentia iudiciorum, ut alia alijs placeant, idem erit omnibus iudicium. Quæ ad ſciendum tantummodò faciunt, manent in contemplatione ipſa, nullum habent foris uſum: quæ uerò ad bonum de agendis ſunt, foras ſe proferunt, in quibus quæ certas fixáſque habent præceptiones, uel perpetuas atque inuariabiles, uel admodum uniuerſales, arte continentur. Eſt enim ars, collectio generalium formularum, ad uſum aliquem tendentium. (Ars.) quæ uerò circumſtantijs ſeu negocijs uariantur (eæ ſunt enim περιστάσεις) hoc eſt locis, temporibus, perſonis, & eiuſmodi, circunſpectionis ſunt, ſeu prudentiæ, (Prudentia) quam multi iudicium appellant. ſed in his nominandis magno in errore uerſatur communis ſermo, de quo ſum ſæpius conqueſtus.

VOLVN

VOLVNTAS.

Cognitio omnis propter bonum expetendum eſt tributa, ſenſualis propter ſenſuale, mentalis propter mentale, ut cognitum bonum expetat, expetendo autem ſequatur, donec ſe illi adiungat, quantum quidem fieri poßit, & congruat. ſic enim illi erit bonum, nec aliter: malum uerò, quod bono ſit contrarium, auerſetur & deſugiat, ne ſe illi applicet, quo fiat ei malum. Facultas quæ id exequitur in brutis, appetitus eſt ſenſualis, ſeu uoluntas. Eſt igitur uoluntas, facultas ſeu uis animi, qua bonum expetimus, malum auerſamur, duce ratione. nam mutæ animantes duce natura, quæ ſenſus extimulat. Sunt ergo in uoluntate actus duo, propenſio ſeu amplexus boni, & auerſio mali. orbatio eſt utriuſque, quum illa ocioſa neutram in partem inclinat. Voluntas quidem ipſa domina eſt omnium & imperatrix, ſed per ſe nihil habet lucis. illuminatur à mente, hoc eſt à ratione, ac iudicio, quæ appoſita eſt illi uelut conſultrix ductrixque: non ut regat, aut torqueat, ſed ut dirigat, & meliorum admoneat. Itaque nihil uoluntas appetit, aut deuitat, niſi à ratione præmonſtratum. Quocirca actus uoluntatis à uoluntate quidem producitur, à ratione autem iudicatur & ſuadetur: atque ut ſic dicam, à ratione gignitur, à uoluntate paritur. Magiſtra eſt igitur, & præceptrix uoluntatis ratio, non domina. Voluntatem enim humanam liberam iußit eſſe autor ſuus, & quaſi ſui iuris ac mancipij. obtemperat quidem illa ſemper rationi, ſed nulli uni eſt alligata: ſequitur autem quamcunque libuerit ex propoſitis. Liberam quidem animo inter actum & orbationem, uelle non uelle, nolle non nolle, non inter duos actus contrarios. quando enim uis hæc nihil poteſt uelle,

Voluntatis libertas.

niſi ſub aliqua boni facie:nihil nolle,niſi ſub mali:oſtenſa boni ſpecie,non mali,poteſt quidem non uelle, ſed non poteſt nolle,hoc eſt auerſari & odiſſe. uiciſsim quoque obiecta mali ſpecie, non boni, poteſt non nolle, ſed non poteſt uelle, hoc eſt amplecti & amare. Declaratur au*tem ius libertatis huius & dominij uoluntatis multis modis.* Primùm *quòd libera eſt ante conſultationem: licet enim illi referre ad mentem,de quo deliberet,& non referre.* Tum *in ipſa deliberatione licet uel iubere rem differri,uel in uniuerſum ſilentiũ indicere,intentionémq; mentis aliorſum conuertere: non aliter quàm princeps, qui conſultari de negocio quopiam imperat, uel omitti prorſum,uel reijci.* Quin *etiã poſteaquàm eſt decretum, poteſt ipſa ſe uoluntas cohibere, nec id expetere, quod iudicatum eſt à conſultore eſſe bonum.* Ipſa *quoq; conſultatio ex libertate eſt,quòd non rapimur fixo atq; immutabili naturæ impetu, uelut beluæ: ſed ratio diſquirit, quò ſit eundum,aut unde declinandum:& expendit quid in quoq; uel boni inſit, uel mali.* Poteſt *item uoluntas ulteriorem deliberationẽ indicere, & quaſi amplius pronunciare,ne ibi ſiſtatur,ſed inquiratur,an quicquam inueniri queat potius & conducibilius.* Multis *quoq; propoſitis oſtenſiſq;, etiam ſi efficax & ualida ratio unum aliquod probet ac ſuadeat, ſi quod aliud tamen faciem præ ſe fert boni aliquam, quamuis tenuiſsima poteſt huc ſeſe flectere, & ex ſola ſupſpiciũcula hoc ſumere, altero repudiato, in quo inſit permagna boni & ſpecies & eſſentia, quam in rem magnam ei auſam præbet, quòd res noſtræ omnes miſtæ ſunt bonis ac malis, tum ex nobis ipſis, qui ex rebus diuerſiſsimis conſtamus:multaq; ſunt nobis circumſpicienda & reſpicienda in animo,in cor=*

pore,

pore,in externis. In tanta autem rerum uarietate nihil uenire poteſt ſub conſultationem,in quo rationis uis non & bona & mala deprehendat,quæ ſuadeat, quæ diſſuadeat,pro locis,temporibus,perſonis,qualitate,& eiuſmodi.Sæpe etiam ut ſe oſtendat uoluntas eſſe dominam,reijcit ac ſpernit omnia,haud aliter quàm princeps, qui ne uideatur à quoquā regi,ſalutaria omnia conſiliariorum ſuorum monita excludit & reſpuit,fitq́; (quod dicit ille in ſatyra) Sic uolo,ſic iubeo,ſit pro ratiōe libido.Tametſi neque hoc ſine boni forma. nihil enim poteſt uoluntas expetere,aut agere,niſi eo propoſito,quod ratio aliqua bonum eſſe cenſuerit, Illud porrò ſtatuit ſibi eſſe in eo bonum,quo mouetur,ut potētiam ſuam & libertatem noſcant omnes,quod princeps interdū pluris facit,quàm conſilia omnia præſenti rerum ſtatui utilia. Adoleſcentes etiam nonnulli, quo ſe liberos eſſe declarent, nec obtemperare cuiuſquam iuſſis,quæ uel parentes,uel præceptores probè monent,faſtidioſè & contumaciter aſpernantur.Hæc quidem in libertate actionis internæ,in externis quoq; pateſit libertas. Nam ubi rem approbauit, poteſt non exequi, aut poſtea quàm capeſſiuit, ceſſare: nec tantum præſtare,quantum ei licet,nec tam celeriter. Bruta nihil horum habent: naturalis enim facultas agit, ſemper quantum, & quàm citò per uires ei conceditur. Nam quòd mutæ animantes agant fortius & celerius uno tempore quàm alio,non eſt hoc quòd uoluntariò remittant uires, aut intendant: ſed extimulata partim foris à qualitate loci aut temporis, partim intrinſecus à corporis habitudine uel animi affectu excitant atque exacuunt uires, & reddunt maiores ac uegetiores: ut ignis oleo iniecto,uel ſufflatus, aut arida materia ſubdi-

ta. uelubi repugnatiam frigoris, aut humiditatis deuicit, fit acrior, ſemper autẽ, ut hic ardet pro uiribus præſentibus, ita belua agit, aut patitur: quippe quæ fertur cæco & latenti quodam ſiue raptu, ſeu uectione. Quin & ex hominibus quàm quis in beluæ naturam atque ingenium degenerauit, tam ſinè conſultatione rapitur ad actiones ſuas præceps. Sunt quædam animalia ad ſimulationem & diſsimulationem à natura facta: ut uulpes, & felis quum uenatur murem: quæ cautio naſcitur ex metu, ne quid patiatur aut amittat. nam in bruto, quum ad ſuum obiectum ruenti offertur periculum, retardatur prior impetus ab altero contrario. non eſt ea conſultatio, ſed impedimentum prioris motus: ut quum pila miſſa ex aduerſo repellitur, uel inhibetur. tandem quæ ualidior eſt concitatio, abripit ſecum obſiſtentem. In hominibus autem quum affectus duo aduerſi pugnant, uehementer concitati, etiamſi feruore illo animi opprimitur mens, non eſt tamẽ nulla deliberatio. qui enim ex illis uincit, non ſine ulla omnino uincit ratione, tametſi perexigua: ſed quæ iudicio ab effectu decepto efficaciſsima uideatur in præſentia, digniſsimáque cui obtemperetur: eáq; eſt peccantis ignorãtia: qui quod expetit, exiſtimat eſſe bonum in præſenti, non conſiderans aliud eſſe melius etiam nunc: & futurum bonum, quo ſperãt ſe malum hoc compenſaturum, incertum eſt. Grande Dei munus eſt libertas uoluntatis, qua ille nos filios ſuos conſtituit, non ſeruos: & in noſtra poſuit manu, quales nos uellemus effingere, opitulante illius fauore ac gratia. alioqui nihil quod ad excellentiam uirtutis attinet, inter nos & beluas diſtaret, ſi tam omnia in nobis ageret potentia quædam naturæ neceſſaria atque ineuitabilis, quàm in brutis.

Et

Et uoluntatem noſtram mouent eàdem illa, quæ iudiciū contactu quodam. ſicut qui primum annulum trahit in torque, & ſecundum & tertium trahit, ob eorum inter ſe connexionem. Inſtigatur quoque à mentibus ſuperioribus, ut angelis & dæmonibus: à Deo autem potiſsimū, à quo ſolo poteſt cogi, uidelicet à quo uno accepit non libertatem modò, ſed eſſe. quum uerò eſt à ui & poteſtate maiore concitata, aſſurgit ſupra modum naturæ ac facultatis ſuæ: atque eo magis & euidentius, quū à Deo ipſo. editq; ea opera, quæ ipſa eadem, ubi facta ſint, admiretur: & ſi uelit animaduertere, euectam ſe à ui ſuperiore facile intelligat. Sunt qui humanam uoluntatem cœlo penitus ſubijciant, & aſtris: ab illis nos impelli & cogi prorſum aſſerant, nedum admoneri uel inſtigari: quo de genere ſunt mathematici. uidelicet agunt iſti, ut mos eſt ferè eorum, qui uni ſe arti alicui penitus tradiderunt, aut qui ex ea magnum uel nomen uel quæſtū uenantur, uellent quæcunque ſunt in mundi uniuerſitate, ſub illius ſcientiæ materiam & limites uenire. Id uerò plerunq; non tam artis amore immodico, quàm ſui ipſorum: ut id ſcire ac tenere uideantur, quod in orbe ſit non præcipuum modò, uerūetiam penè ſolum. Sed profectò cœlum ut inanime, non aliter poteſt nos mouere aut impellere, quàm per ſui ſimile, hoc eſt per conſtitutionem corporis. Quod ſi cœli naturales ſunt facultates ad agendum ex una facultate & cauſa, non poterūt effectus exiſtere contrarij. atqui ſub unoquolibet ſidere uoluntatem hominis, & ſi ad hoc aut illud ſollicitetur, uidemus nihilominus ad utruncunque fuerit collibitum ſe applicare. quod eſt ualde pugnans cum actione naturali, quæ certum unum aliquod effectū neceſſariò produ-

Voluntas cœlo non ſubditur.

cit:nec eſt quicquam magis à neceßitate alienum & diſtans,quàm libertas.Itaque ſi in cœlis ac ſideribus eſt neceßitas,in uoluntate autem ſicut oſtendimus libertas, apparet profectò res eſſe inter ſe diuerſas admodum & repugnantes cœlum & humanam uoluntatem.Alij autẽ in Dei *& præuidentia & prouidentia perturbantur, quemadmodum cum illarum ueritate conſtare uoluntatis noſtræ poßit libertas:ut quod præuiderit* Deus *futurum,mutare uoluntas humana poßit ſua libertate, &* Deum *uel fallere, uel mendacem facere. Cæterùm* Dei *præuidentia non magis libertatem mihi meam adimit, quàm aſpectus tuus, dum me aliquid agentem intueris. ſed neque prouidentia:quippe eſt præuidentia mens diuina cuncta præcognoſcens,uel(ut aptius loquar) noſcẽs præſentia.nihil eſt enim illi præteritum aut futurum.* Prouidentia *eſt uoluntas,conſilio immenſo uniuerſa gubernans.Atqui uoluntas hæc diuina,uoluntates angelicas & noſtras liberas eſſe iußit.Itaque quod liberé agimus,per illam agimus:id eſt,illius præſcriptione ac beneficio.Ille autem falli poſſet,aut mentiri,ſi quid eſſet ei uenturum,aut tranſactum, ut nobis. nunc autẽ, quum ei ſit æternitas tota præſens,nemo ſit de illius ſapientia ac ueritate ſolicitus.In uoluntate actus ſunt duo,approbatio & reprobatio,ex quibus actus exteriores proficiſcũtur.Approbatio,quæ eſt de bono,parit executionem ad illud conſequendum:reprobatio autem,quæ de malo, uel inſurrectionem ad illud ſuperandum,uel contractionem & fugam ad euitandum.Multi approbant iudicio & uoluntate,ſed languida ac inerti,quæ foras non exit: de quibus eſt illud Solomonis,Vult & non uult piger.eſt enim uoluntatis alter actus,qui priorem illum impedit:*

Voluntatis actus duo.

nempe

nempe difficultas in exequendo, quam uoluntas pro malo ducit, & illi bono quod ipſi eidem placuerat, opponit. Illud eſt admirationi compluribus, quid cauſæ ſit, cur magis uoluntas noſtra erga uetita accendatur atque ſtimuletur, quàm erga libera, quæq; permittũtur & licent. An in multis, quia uulgaria & communia non uetantur, ſed rara & precioſa, idcirco prohibitione rei alicuius ſuſpicio ſtatim ſuboritur, rem eſſe expetibilem, unde cupiditas excitatur, atque irritatur. Alij curioſitate cognoſcendi adducuntur, quod non dubitant, quin ſit cognitione dignum, à quo arcetur cognitio. An uerò in ijs, qui quod uetatur, quid & cuiuſmodi ſit, nõ ignorant, deſiderium ſolutum ac liberum remißius eſt, tanquam uẽtus in plano dißipatus? qui ſi cohibeatur in anguſtias, ilico inualeſcit, & ſumit uires ac impetum: ita uoluntas ſoluta lenta eſt, aſtricta uehemẽtior fit & concitatior. Quæ in nobis naturalia ſunt, nõ auſcultant uoluntati, ut rectè ualere, aut ſecus: & ſi ſunt in noſtro corpore nõ pauca, quorum facultates quidem à natura accipimus, actus autem eorum ex uolunntate oriuntur. ut poſſe audire, loqui, comedere, naturæ ſunt munera: audire autem, uel non audire, loqui aut non loqui, comedere aut non comedere, ad libertatem referuntur. Quod ſi uoluntas imperatrix eſt humanorum actuum, penes ipſam eſt bene aut malè facere, uirtus & uicium, laus & uituperatio, præmium & pœna.

DE MENTE IN VNIVERSVM.

Expoſitæ ſunt nobis pro uirili parte noſtra actiones humanæ mentis: reſtat, quænam illius ſit eſſentia inueſtigare. Ipſa quidem illius eſſentia per ſe ignoratur:

ratur:ſed quando in hoc eſt à Deo *condita, ut cum ipſo ad immortalitatem beatitudinis iungatur, nihil poſſumus definire aptius, quàm ſi eius eſſe dicamus ſubſtātiæ, quæ & capax ſit diuinitatis, & iungi cum ea poßit: tam capax utique diuinitatis, ut cognitio pariat amorē: adeò autem iungatur, ut æuo infinito ſit beatißima.* Dicamus *ergo humanam mentem ſpiritum eſſe, per quem corpus, cui eſt connexus, uiuit, aptus cognitioni* Dei *propter amorem, atque hinc coniunctioni cum eo ad beatitudinem æternam.* Nam *mens noſtra ſicuti à ſummo ad imū deſcendit, quod eſt corpus, per amorem* Dei *autoris erga illam, qui deſcenſu eiuſmodi communicare uult ſuam beatitudinem & illi, & rebus omnibus, quibus ipſa eſt applicata, atque annexa: ita ipſa rurſum per cognitionem atque amorem ſuum erga* Deum, *ad originem ſeſe ſuam erigit, & reuertitur. uenit à ſummo ad imum, rurſum ab imo ad ſummum extollitur.* Hic *curſus in uita ipſa declaratur. homo enim de principio uiuit uitā ſtirpis, hinc beluæ, tum hominis: & quum ſe magis expurgauit, erexítque ſupra res terrenas, fit angelus: poſtremò unitus* Deo, *quaſi* Deus *quidam.* A*ſcenſus noſtri gradus ſunt à materia ad ſenſus, ab his ad imaginationem & phantaſiam, ab hac ad rationem, tum ad contemplationem, poſtremò ad amorem, deſcenſus contrarius eſt omnino.* Nec *aliter peruerſus eſt animus, quum affectibus cedit iudicium, uel ratio phantaſiæ: quàm corpus, ſi capite in terram poſito, & erectis ſurſum pedibus tentet ingredi.* Anima *in unoquoq; homine una eſt: officia autem eius in ipſa illius eſſentia ſunt ſita, ut munia uel publica uel priuata in homine, & artes aut ſcientiæ.* Ideo *quum in aliquod opus eſt prorſum intenta atque occupata,*

Animæ definitio.

pata,in alia ſe immittere haud facile poteſt.ut quũ dolet,non poteſt contemplari:ſi acriter quid cogitet, aut contempletur, nihil cernit:quum eſt acriter in intelligendo,uel inquirendo,uel admirando intenta,non iudicat,ut in rei nouitate.admiratione autẽ, aut inquiſitione ſubſidente,exurgit iudicium:quod uidemus cõtingere,ſublata nouitate rei. Ideóque *monumẽta ingeniorum uetera,quæ ætatem pertulerunt,hoc eſt multorum iudicia & cenſuras, iure præponuntur recentibus, in quis nouitas obſtat iudicio.*Tum *& illi meritò ſunt in admiratione,qui pariter ſe in multa ingenij opera eodẽ tempore potuerunt impendere, ut Cæſar* Dictator:*& qui intentionem ab ijs quæ exterius incurrunt,ad intimas cogitationes poſſunt reuocare.ut ſolitum ſe facere in balneo & theatro ſcribit* Seneca, *& de* Plotino Porphy*rius circa negocia uitæ communis.*Tum *qui dolent aut laborant,ſi intentionem animi à præſentis moleſtiæ cogitatione auocent,minus eam ſentient.*Omnis *autẽ animæ intenta & uehemens exercitatio, debilitat inſtrumenta:quod eſt ei cum cæteris opificibus commune. ita uidemus oculum defixè intuendo, & aurem intentè audiendo defatigari:atque eo magis,quum eſt dura atque impenetrabilis materia.quemadmodũ ſcriptio in charta ſcabra retundit pennam,& ſciſsio nodi in ligno cultellum uel cuneum.* Q*uocirca non excellens ſenſile corrumpit ſenſum, ut placet* Peripateticis:*ſed difficile, & ſuperans uim ſenſorij.eodem modo in intellectionibus, quæ à rebus arduis fatiſcunt,& hebeſcunt:ſicut oculus fulgore ſpectando.*Et *quoniam mens noſtra eſt actus, quieſcere omnino ab actione ſua nequit, niſi poteſtate ualidè retinente,hoc eſt oppoſito obice in inſtrumentis:* Anima an ceſſet.

uelut

uelut quum à mole obruitur in locis maternis, à crapula in ebrietate, ab inimicis uaporibus in attonitione: quæ omnia, & ſimilia, uiolenta ſunt, naturæq; illius repugnantia. unde quum emergit, ceſſante poteſtatis uiolentia, ſtatim reducit ſe in actum ſuum: neque eam ad rem externæ ullius opis indiget, ſed ſolum impedimento ſubmouendo. quod ſi ſit ſublatum, non poteſt mens ullo pacto ociari: neceſſe eſt aliquid meditetur, & ſecum uolutat. eámque illius motionem, ſi quis conetur ſiſtere (ut ſunt qui uolunt nihil prorſum cogitare) perinde fecerit, ac ſi cohibere uclit ignem, ne ardeat, conceptus in apta materia: alterutrum profectò ſequetur, aut ut ignē extinguat, aut ut uis ignis ualidior ac uiolentior erumpat in obicem. ſic uel corrumpetur uita tam uiolēta contentione: uel pro una cogitatione, quam uelis opprimere, magna cogitationum & uiſorum perturbatio cooerietur: hoc eſt planè amentia.

DE SOMNO.

POſt actionem dicamus de quiete, hoc eſt ſomno, qui eſt requies ac ceſſatio, non animi utique uniuerſi, ſed tantummodo ſenſuum: ea uerò animantium eſt propria. Annotamus enim, animantes omnes aliquando uti ſenſibus, aliquando ab eo munere ceſſare omnino, quaſiq; feriari: hoc ſomnum appellamus, illud uigiliam. Somnus uidetur conceſſus à natura, quoniam actioni ſenſuum finitæ quiete aliqua eſt opus. egent itaque ſomni animantes omnes: & quia egent, habēt quoque. nam benigna eſt in neceſſarijs natura. Sed in alijs quies hæc breuior eſt, in alijs lōgior. Ex euaporatione alimenti naſcitur ſomnus. incraſſantur enim qui ſunt circum neruos ſpiritus, ut ſen

ut ſenſuum impediatur functio. Solutio ſenſuum eſt uigilia, ſomnus alligatio. Aſcendit uapor hic ad cerebrũ: ibi nactus humidam & frigidam materiam, humectatur magis, & denſatur, unde nubis in morẽ defunditur per totum corpus. Ideóque animal dormiens, impos ſui conſternitur: quòd neruis conſopitis, quorum eſt origo in cerebro, ſenſus & membra omnia officio ſuo non funguntur. cerebro autem degrauato, crebra fit in dormitatione mutatio. Anteriorem capitis partem, quæ eſt humectatior, plurimum inuadit ſomnus. unde & in oculis potiſſimum apparet, qui in ſomno omnibus clauduntur animantibus, præterquàm lepori, & hominum nonnullis. in lepore timori aſſcribitur, quòd obdormiſcens non audet oculos claudere: ita deinde dormienti iam obrigeſcere. tum humore muſculos genarum premente, fit ad eum depellendum oſcitatio. Senſum etiam communem, qui in anteriore capitis portione ſitus eſt, obruit atque opprimit ſomnus. Non eſt itaque ſomnus attonitio, uel ſtupefactio animalis, ut in deliquio animi uel morbo: ſed quies ſenſuum externorum, ex euaporatione alimẽti in uentriculo bullientis cerebro deuincto atque impedito. in ſomno ſenſoria tantum quieſcunt placidè: in attonitione autem, uel deliquio, animus & mens ipſa uiolentè opprimitur. Reficitur corpus ſomno, tanquam ſtirps ſalubri quadam irroratione. in uigilia nãque extenuantur agendo ſpiritus, reuocantur introrſus per ſomnum, refrigerantúrque, unde eſt conſpiſſatio. atque eo modo reparantur iterum labori uigiliæ. Qua de cauſa dormientes frigent magis exterius, & in extremis corporis partibus, quàm uigilantes. Ad hæc craſſa & frigida, ſomnifera ſunt: craſſa quidem ex ſe, frigida uerò propter

pter

pter craßitiem ac denſitatem. Quies & ſolitudo, & ſilentium, inuitant ſomnum. tunc enim bilis conquieſcit, & humores refrigerantur. Optimáque eſt in ſomno concoctio, quoniam recipit ſe introrſus calor, quemadmodum in hyeme: & uegetatrix animæ facultas, melius munus ſuum exercet per quietem, quàm in uigilia. non enim dormiens actionibus ſenſuum auocatur, & delaſſatur. Itaq; animæ facultates uniuerſæ, nutrienti concedunt. Eleganter Plinius Secundus ſomnum eſſe dixit, animi in mediũ ſui receſſum. Obrepit item ſomnus ex defatigatione, quoniam feßi nerui ſtatim cedunt ſopienti humori: ad hæc, quia plus eſt frigoris attenuato per exercitamenta & conſumpto calore. quod ad animi quoque defatigationem poteſt transferri: ut in ſtudijs, in mœrore, poſt metum. idque euenit propter laborem & delaſſationem corporis, in illis animi concitationibus. Quód ſi exiccatum atque incenſum ſit corpus, non tam facilè obdormiſcit, ſicut in morbis. quocirca infantes multũ ſomno indulgent: ſenes uerò non item, quanquam frigidis humoribus infeſtantur: quia deeſt illic calor, qui humores illos feruefaciat ad euaporationem atque irrorationem. Qua de cauſa bilioſi homines, ſi abundè humiditas ſuppetat, ſomnolenti ſunt. ſcilicet multa eſt euaporatio ex multo humore, cui ualidus eſt ignis ſubiectus. Nec aliud perinde bilioſos reficit, ut ſomnus: quemadmodum de Alexandro Macedone perhibent. Rationem qualitatum corporis ſequũtur qualitates loci ac temporis: ut pluuio tempore lõgior eſt ſomnus, item in humidis regionibus,

Excitatio. *& poſtquã ſumus largius inuitati. Excitatio à ſomno uel eſt à nobis ipſis intrinſecus, uel foris incurrit. Expergiſcimur noſtra ſponte, reſoluto uapore tanquã uinculo,*

culo, adeò ut liberum relinquatur cerebrum ad actiones ſuas: tum pungimur, atque excitamur uel dolore corporis, aut inquietudine morbi cuiuſpiam, uel animi agitationibus, uelut metu, aut cupiditate. Sed quæ affectiones calidæ ſunt, citius adimunt ſomnum, ut ira, amor, cupiditas: quàm frigidæ, cuiuſmodi ſunt metus & mœror. nam ſæpenumero ex metu aut triſtitia delaſſati obdormiſcimus. qualie eſt illud in Euangelio: *Quum* "
ueniſſet ad diſcipulos ſuos, reperit eos dormientes præ "
mœſtitia. Metus *tamen uim adfert ſomno, quaſique manum illi inijcit, ſubinde illud interrumpens cura ac ſolicitudine.* Foris *autem contingunt motus, ſtrepitus, punctiones, uellicationes, plagæ. hæc enim omnia denſitatem humoris diſrarãt.* Sed *niſi ſit euaporatio ad certum quendam modum diſcuſſa, non ceſſat dormituritio, id eſt, lucta ſomni cum actionibus ſenſuum.* Non *poteſt quidem tolli omnino ea effumigatio, quæ à uentriculo aſcen dit ad caput: ſed eius denſitas ad certum aliquem modum efficit ſomnum, ſubtilitas uigiliam, hoc eſt ſolutionem ſenſuum.* Et *uariatur hoc autem pro qualitate & conſtitutione corporum, ut alijs alio ſit neceſſaria. uoluntas quoque retinens, aliquò uſque poteſt ſomnum cohibere atque impedire.* Somnus *eſt animali propter uigiliam tributus, ut mox nauiter uigilet, promptiúſque & alacrius uitæ munia capeſſat.* Vita *enim, ut ille dixit, uigilia eſt: ſomnus autem, imago quædam mortis, uel interliminium uitæ mortiſq;: ut qui dormit, nec dici poſſit mortuus, nec uideatur uiuere.* Hac *de cauſa* Dominus *noſter, &* Apoſtolus *eius* Paulus, *quos reliqui mortuos, ipſi dormientes nominant: quod aliquando expergiſcendi ſint, & ſurrecturi ad uitam.*

DE SOMNIO.

DOrmiente corpore, non conſopitur animus, cuius facultates omnes interiores continenter ſua miniſteria obeunt: eáque actio Somnium nominatur. eſt enim ſomnium, actus animi interior, corpore à ſomno occupato. Ariſtoteli non placet, quicquid animo per quietem obuerſetur, nominari ſomnium, ſed tantummodo phantaſmata. Ea uerò mihi uidetur eſſe quæſtio de uerbo, quæ ſcrutantem naturas rerum non debet torquere. Multo facilius eſt ac promptius, ut quicquid animo mentíque per quietem obuerſetur, ad rationem ſomniorum referatur. Somniant ea omnia, in quibus eſt ſenſus interior, qui rerum ſimulachra poſſit per quietem intueri, quæ res ſenſibus ſunt per uigiliam obſeruatæ. Itaq; ſomniant animantes penè omnes: quoniam phantaſia non ceſſat. Nec in homine mens dormit, multo minus quàm animus in mutis. quiete enim compoſiti, multa & inquirunt, & ſcrutantur, & colligunt, & ſolutiones illis quæſtionum occurrunt, quæ uigilantes fallebant. & qui uigiles ſunt indiſerti, ijs nox & quies facundiam largitur. Sed quia phantaſia eſt per id temporis à cenſura rationis ſoluta, haurit ex memoria, ſine modo ac ordine. inde exiſtunt tam multa in quiete ſtulta, abſurda, malè cohærentia: ſicut in morbo, qui caput inuaſit. Somnia declarant manifeſtò, eſſe intus aliquid aliud à corpore, & ab anima uegetatrice, & ſenſorijs corporis, quod res abſentes ſentiat, & cognoſcat, quaſiq; uideat, atque audiat. In ſpiritibus cerebri naſcuntur uiſa, qui ſpiritus à corde ueluti à fonte ſuppeditantur capiti. Itaque & illorum ſpirituum, & uaporum unde ſpiritus tenuantur, qualitatem ſæpenumero referunt ſomnia: eorum potiſſimum, qui in

ea uia occurrunt ſpiritui aſcendenti, nempe in gutture, aut pectore, aut quo alio loco. quumque halitus craßi ſenſorium commune per quietem occupent, non poteſt id de ſenſibilibus rectè iudicare, nec de ſenſuum actionibus. Eóque quum quid ineſt in gutture humidæ pituitæ, uiſa obuerſantur de aqua: quum quid ſanguinis, de ſanguine: ſi atræ bilis, de rebus triſtibus: ſin flauæ, de rixis & litibus. ideóque de huiuſmodi liquoribus medici ex ægrorum ſomnijs rectè iudicant. Fit etiam nonnunquam, ut ſuccedentibus inuicem liquoribus contrarijs, de rebus quoque contrarijs eodem ſomno uiſa imaginemur. Eadem prauitate de officijs corporalium ſenſuum communis ſenſus iudicat. nam ſi exiguum audiamus ſonitum, ingentes eſſe fragores remur: ſi caleſcimus, inflammari atque ardere: ſi quid relictum ſit humoris in gula, uel arteria, natare in ingenti flumine, atque etiam demergi: ſicut quæ per nebulam cernuntur, aut uitrum denſum, apparent maiora. Et quia motum cordis ſequitur corpus, ſi uapore aliquo ſuſtollatur cor, aſcendere nos ſomniamus: & quidem uel ſcalas, uel collem arduum atque infeſtum, quum uapor ille extenuatur, & ſenſim cor ſubſidit, deſcendere: quum ſubitò euaneſcit, & celeri motu in locum ſuum redit cor, cadere ac ruere per præceps, & arripimus uel toralia, uel ceruical. ſin humore multo ac denſo cor occupetur, angimur, & magnum pondus ſupra pectus uidemur nobis ægrè ſuſtinere: unde multis grauia in ualetudine incommoda, nonnunquam etiam mors. Quòd ſi cum difficultate humor reſoluatur, aut commoueatur, uidemur nobis conari currere, aut aſcendere: detineri tamen atque impediri magna aduerſa ui. Somniamus crebrò quæ eodem die uel egimus uel uidi-

mus: quod ideo contingit, uel quia recens eſt phantaſia & libera, nec alijs imaginibus diſtricta, uelut in pueris: uel quia eiuſmodi cogitatione occupati, tradimus nos quieti, quæ ſe ſtatim ſpiritui conſiderationis offert, in illóque ſeſe imprimit. quod etiam uſu uenit in ijs uiſis, quæ ualidior uis aliqua altè impreßit: uelut crebra & continua cogitatio, uel affectus quiſpiam concitatus, aut diuturnus: ut metus, amor, cupiditas, ira, inuidentia. ea enim phantaſia ſpiritum ſenſus communis attentioníſque celeriter arripit, cogítque ſibi uni dare operam, cæteris omißis. quod uſu amantibus euenit, & ijs omnibus in quos dominatur perturbatio animi aliqua uehemens. Sunt nonnullis ſomnia fracta & perturbata, alijs integra & ſedata, alijs terribilia, alijs iucunda. Pura & ſyncera exiſtunt ſimulachra, quum ſanguis eſt à ſordidis humoribus defæcacior: ſicuti ſub auroram, peracta concoctione in nocte. eáque de cauſa priſci Philoſophi ea uiſa pro uerioribus habebant. Poſſunt quidem illa integriora eſſe, & magis compoſita, deſcriptáque: ueriora tamen non ideo erunt. haud aliter quàm ex fabellis fictis alia eſt alia elegantior & ordinatior, quum nulla ſit uera. Si ſit uapor tenuior & temperatior, fit ſomni curſus magis integer & cõtinuatus: placidè enim fertur phantaſia, ueluti lenis fluuiolus. ſin effumigatio ſit præferuida, rapitur phantaſia, diſcurrítque immodica celeritate per phantaſmata, in modum rotæ concitatißimæ. magna tum conſequitur permixtio & confuſio temporum, locorum, perſonarum: Romam cum Lutetia miſcemus, Cæſarem & Pompeium producimus in hæc tempora, idem homo rex eſt & ſeruus, componimus & diſiungimus abſurdißima, incredibilia, impoßibilia. quæ inſomnia

nia perturbata ſunt, & (quoniam à tanta confuſione non ſolùm cogitatio atque intelligentia, ſed phantaſia quoque ipſa abhorret) moleſtiſsima: & auerſamur ſomnum, ne in eiuſmodi uiſa recidamus, qualia ſolent in morbo aut dolore corporis, aut motu animi concitato & graui contingere, deniq; quoties cerebrum eſt malè affectum. Reflectitur in ſe nonnunquam ſomnium, & nos uel ſomniare, uel non ſomniare reputamus. quod euenit ferè uel in lætis admodum, quum timemus ne ſit inane ſpectrum: uel in ualde triſtibus, quũ uellemus falſum id eſſe. Et quemadmodum phantaſias uigilantium ſequuntur imagines ſomni, ita è contrario: uelut in pueris, & ægrotantibus, & malè affectis. qui territi ſimulachris ſomniorum, eadem ſe expergefacti credunt aſpicere: itaque clamant, & fugiunt, & ſe occultant. Eſt dormitatio medium quiddam inter ſomnium & uigiliam, in qua uidemur nobis ſomniare, quæ reuera aſpicimus uel audimus, licet tenuiter ac malignè: eodémq; modo in alijs ſenſibus, ut uocem loquentis, uel candelam ardentem, uel motum deambulantis in cubiculo, uel tangere rem aliquam aſperam, aut læuem. id fit, quum nondum ſenſus communis eſt omnino conſopitus. Et ex eadem cauſa quum dormientes ſtertimus, ſi paululum ſe cõmunis ſenſus explicârit, percipit quidem ſenſile: ſed quia non omnino liber, prauè de eo ſtatuit. cenſet enim ſonum illum, eſſe tubas, aut buccinas, aut clamores, deniq; immanes aliquos ſtrepitus. Sæpe etiam uidetur ſibi loquentem aliquem audire, nec ſatis uoces diſcernere, aut intelligere. Literas quoque imaginamur nos legere, quas non bene diſtinguimus: in quo laboramus, & malè afficimur. conantibus enim nihil ſuccedit. Id uerò inde fit, quòd phantaſia non ſumit ex me-

Dormitatio.

moria notiones ſatis impreſſas ac conſignatas, uel memoria non ſuppeditante, uel phantaſia lentè nimis accipiente, ac malignè. Viciſsim etiam exiſtimamus, nos exterioribus uſurpare ſenſibus, quæ obuerſantur conſiderationi iam dormientibus. Ex uiſis nocturnis alia ſe ita imprimunt memoriæ, facilè ut recordemur experrecti: alia leuiter, ſed quorum poſsimus reminiſci: alia tenuiter adeò, ut memoria aboleatur prorſum, uelut in ægris & ebrijs. Accidere etiam poteſt tanta uaporum atque ſpirituum incraſſatio & perturbatio, ut nihil ſomnietur. uinciuntur enim inſtrumenta officinæ animalis, ſicut in magna alluuione ebrietatis, & in infante, uel recentiſsimè edito, uel (ſi hoc quibuſdam non probatur) certè in utero. Gentes quaſdam tradunt orbis deſcriptores, nocturna uiſa non habere. Homines noui, qui ſe affirmarent nunquam ſomniaſſe, nec crederēt ſomniare alios, ſed animi gratia id confingere ac referre, ut fabellam ob oblectationem narrantis & audientis: quod euenit, quia quæ per quietem offeruntur animo, non adeò infiguntur memoriæ, recordari ut poſsint expergefacti. eius uerò duæ ſunt cauſæ: uel duricies ſpirituum, quæ non recipit, uel fluor qui non retinet: ut ſignum nec in ſaxo imprimitur, nec in aqua. De prænotione ſomniorum magna eſt & uetus quæſtio, quæ etiámnum meticuloſos animos, & de futuris anxios multum torquet, an ſit in ſomnijs ad res eventuras ueritas aliqua, an ex coniectatione illorū quæ quiete compoſiti uidimus, quæ euentura ſint poſsimus prænoſcere. Multa ſunt iam olim utranq; in partem diſputata, de re nec difficili admodum, nec obſcura. Id de quo dubitatur, non ſimplicem habet ſenſum. nam intelligi poteſt, uel ut ſomnia ſint ſigna, uel ut ſint cauſæ præſentium

Somniorum prænotio.

tium

tium rerum,præteritarum,uenturarum,quemadmodum de aſtris quæritur. Somnia cauſas non eſſe, indubitatum eſt:ſigna uerò ſunt uaporum humorúmque, ut dixi,tanquam effecta ſuarum cauſarum, nec ullius rei alterius utique naturaliter.Omnia enim in natura metas ſuas habent defixas, ad quas tendunt, ſiue rectà inſiſtant, ſiue obliquè. Non ſunt autem animantibus tributa à natura ſomnia,ut per illa retegantur nobis,quæ occulta ſunt & abſtruſa:ſed ſomniamus,quia uis animi aptum organum nacta,etiam corpore quieſcente neſcit quieſcere. At exeunt tamen inſomnia nonnunquam uera.fortuitò id quidem certè,& per adiacens,non per naturalē eorum qualitatem: quēadmodum affectu territi uel illicefacti ſomniamus de periculis, quæ urgēt:aut de bonis,quæ aduentant.tum ubi uehemens eſt animi intentio, inque aliquod unum,quod facere deſtinauimus, incumbens,id uerſatur in cogitatione dormientis. Poſtremò,ſicut Ariſtoteles rectè dicit,quum quotidie tam multa,tam uariè ſomniemus,mirandum non eſt,incidere nos aliquādo in id quod futurum eſt,aut fuit,ſed nobis incognitum.ut qui crebrò iaculatur,collimet aliquando neceſſe eſt,etiamſi artis illius inſcientiſſimus.Immittuntur quandoque à mente ſuperiore ſomnia, eadem arte & ui, qua mouetur ab eis phantaſia.Quæ ſomnia cœlitùs ueniunt,hoc eſt à ſanctis mentibus, pertinent ad nos de magno aliquo bono commonefaciēdos,ſeu publico,ſeu priuato:cuiuſmodi leguntur in Sacris literis ſomnia Pharaonis, Nabuchodonoſoris,Ioſephi.Nec malè apud Homerū Neſtor iubet animaduerti diligenter, & expendi ſomnium Agamemnonis, qui Imperator eſſet exercitus Græcorum: aliorum uerò non eſſe tam curanda ſomnia.A dæmone ingerun-

tur uiſa, fallendi gratia, de rebus aut flagitioſis, aut uanis & ſuperfluis: ut nullum ſit ſignum euidentius, eſſe à noxia mente, quæ nobis per eiuſmodi illecebras ludificatur. Ex *fine cenſeri poteſt ſomnium, unde ſit: tametſi naturale eſt plerunque, quod nos affectui aut temerariæ perſuaſioni indulgentes, uel cœleſte, uel hoſtile eſſe ſuſpicamur.*

HABITVS.

EX *facultatibus naſcuntur actiones. quo ſit, ut ad omnia quæ agit anima, facultates acceperit naturæ dono.* Sed *ſunt tamen actus quidem, qui ſtatim ſequuntur naturam potentiæ, quum ea iam opportunitate ſua quaſi maturuit, factáque eſt ſui compos. ſuntqúe actus illi, non minus quàm facultates ipſæ, naturales: ut audire ae uidere, quum ij ſenſus abſoluti ſunt à natura, ut in puero poſtquam eſt natus, & in catulo canis poſt nonum diem ab ortu.* His *actionibus nihil eſt opus meditatione aut exercitatione aliqua, ut rectè exeant: ſed uigore maturo iam, & bene affecto. ipſa enim natura magiſtra eſt magna, & efficax.* Sunt *autem. actus alij, qui uſu indigent, & exercitamentis, quo promptè & rectè edantur: ex quo uſu naſcitur aſſuefactio, in qua inſunt & facilitas ad agendum, & pronitas. uocatúrque Græco uerbo* ἕξις: *à noſtris ad uerbum transferentibus, habitus ſeu habitio: quæ eſt pronitas ad ſimiles edendos actus ijs, ex quibus eſt genita.* Nec *ad actiones ſolas pertinet hæc aſſuefactio, ſed ad paßiones quoque, quæ etiam quodammodo actiones ſunt in facultatibus animalis, ut quæ patiendo uim ſuam exercent: quocirca actionem pro utroq; uſurpabimus.* Fit *porrò interdum,*

ut

ut genus actionis naturale ſit:ſpecies uerò uel adiectũ, aut circumſtantia ſit exercitationis. uelut ſenſus quidẽ naturæ ſponte accepimus, uidere, audire, guſtare, olfacere, tangere: at poſſe facilè perferre ſpecies abſurdas, fœdas, formidoloſas, ſonitus abſonos, horribiles, ſapores acidos, amaros, & alia huiuſmodi, in cõſuetudinis partes cedit. Ex *hac cõſuefactione, pronitas & facilitas eſt in opifice, aptatio autem in inſtrumento quemadmodũ exercitatione fit faber aut pictor promptior ac peritior, organum autẽ habilius, uelut manus: interdũ quoq; externum inſtrumentum, niſi quum ex reſiſtentia materia deteritur, ut penicillus, aſcia, ſerra, dolabra. ſic habitus in animo, & illum doctiorem reddit, & ſpiritus aptiores ad exercitamenta eadem: qui tamen immodico quandoque uſu deterũtur, ac proinde deprauãtur.* Tra*hit ad ſe cõſuetudo hæc animũ, in quo inhæſit, quæ pronitas nuncupatur: ita ut quum eſt habitio longo uſu cõfirmata, uires propemodũ obtineat naturæ. eò enim ferimur non ultro ſolùm, ſed libenter, & familiaria fiunt nobis iucunda. nec ſolùm in his quæ agimus, ſed in illis etiam quæ patimur, quæq; ſunt ingenio noſtro inimica, conſuetudo minuit moleſtiæ ac laboris ſenſum: ut morbus & dolor leuiores ſunt à familiaritate.* Idcirco *ſapienter, qui præcepit deligendam eſſe optimam uitæ rationem, eam conſuefactione futuram ſuauem. &* Plato *non parum ait referre, quemadmodum quiſque iam inde à puero ſit formatus atque aſſuefactus.* Radicatio *hæc habitus data eſt animo noſtro, ut alia omnia, ad bonum ipſius.* Nam *quod bene & ut conuenit agere, uſu & exercitatione eſſet parandum, niſi continuatio & tempus confirmaret facultatem, quo liberius deinceps atq;* Habitus cauſa.

expeditius poſſet, aptius ſciret, libentius uellet eundem in modum operari, fruſtra eſſet labor omnis ſuſceptus, & animus noſter ad præclaras ſuas actiones ſemper ueniret rudis, nec quicquam excellēter ageret, quod nihil eſſet illi tempore profectum. hæc quidem in his quæ nos agimus uolūtario: at in ijs quæ inuiti patimur, quàm miſera eſſet uitæ conditio, ſi inter tot aſpera & acerba poſitis, nihil adferret leuamenti aſſuefactio. Habitus *ut creuit, confirmatúſque eſt tempore, ita tempore quoque minuitur, deſuetudine, uel aliqua ingenti uiolentia perrumpente: uel intrinſecus, ut ueneno, aut morbo, uel extrinſecus, ut plaga, aut uulnere. quemadmodum ferunt quoſdam literarum cognitionem ex ægrotatione amiſiſſe, alios ex ictu ſaxi uel baculi: quæ uidentur mihi inſtrumenti habitū afficere magis, quàm artificis.* Nam *hi quibus talia accidunt, conualeſcunt poſtea, & ad priſtinam peritiam reuertuntur. quod non fieret, ſi impreſſa ſibi ab aſſuetudine ueſtigia artifex ipſe amiſiſſet.*

DE SENECTVTE.

A*Nimæ corpus ſubituræ aptat materiam* Natura, *in formam membrorum. iam uerò ingreſſæ paulatim accommodat interna inſtrumenta, quouſque ad perfectionem eam perducat utique, quam materiæ qualitas & conſtitutio poßit recipere, ac ſuſtinere.* Hæc *autem inſtrumenta ad ſummum ſui iam perducta deteruntur uſu ipſo, & relabuntur paulatim in torpedinē prioris molis: poſtremò corrumpuntur penitus, ac intereūt. Aptatio membrorum fit in utero, accommodatio uerò ſpirituum ac humorum in infantia. Iuuētus eſt uelut uigor quidam, & uſus perfectionis organorum: ſenectus eſt detri*

eſt detrimentum: corruptio uerò atq; inhabilitas inſtrumentorum, mors. hæc quidem, ſed naturali curſu, ſine uiolentia. Nec *malè, qui hominis ætatem & diei & anno aſsimilarunt: ut pueritia ſit tempus matutinum & uer, iuuentus meridies & æſtas, ſenectus ſerum & autumnus, mors autem hyems & nox.* Calor *præcipuũ eſt uitæ ſiue adminiculum, ſiue inſtrumentum. is in infantia ſenſim accipit uires ac robur, conſumenda humoris redundantia, quam infans ab utero eduxit: cuius indiciũ eſt ſomnus ferè perpetuus.* Redacto *autem humore ad eum ſtatum, qui alendo fouendóque ſit calori ſatis, non obruendo, ardet ac uiget calor: quæ eſt animãtis iuuenta. ideóque calidiores animantes, ſi alimentum calori congruens ſuppetat, longius iuuentam extendunt. Langueſcit autem calor, quum exiccatur ſuccus, non quiuis, ſed ipſi conueniens. nã in ſenibus, tametſi in extimis partibus redundant humoris excremẽta, unde ſunt excreationes, lemæ, lippitudo, mucci, diſtillationes: intima tamen aridiora ſunt, nerui ac medullæ. & quæ pituita extrorſum promanat in ſenibus, ex debilitato calore accidit. is enim fatiſcens & defeſſus, humores illos nõ ualet concoquere.* Quocirca *in contemperatione calidi & humidi ſita eſt iuuentus: ſenectus autem, ubi alterutrum deficit, citò enim ſeneſcunt exucci, tum & uuidi, ac frigidi.* Senectutis *comites ſunt, caluitium, canicies, rugæ.* Caluitium *ex ſiccitate prouenit, quum humore conſumpto eradicãtur capilli, haud aliter quàm ſtirpes ex arena. eáque de cauſa criſpi celerrimè calueſcũt. & in parte anteriore capitis fit caluities, quoniam ea minus eſt ſolida atque ſpiſſa, quàm poſterior: ſicut* Aphrodiſæus *inquit in* Problematis, *ſeu ſi quis eſt alius eius operis autor.*

Pueritia.

Iuuenta.

Senectus.

Caluities.

autor. Caniciei autem pituita eſt cauſa, ideóque in temporibus primùm capilli incipiũt albeſcere: hinc in brechmate ac ceruice, quòd eæ partes humectiores ſint, quàm occipitium, pueri autem tametſi uuidiores quàm iuuenes, non caneſcunt tamen, quòd ex frigido liquore gignantur cani: non ex eo, qui ſit caloris ardore feruefactus.

Rugæ. *Rugæ autem certius ſunt ſenectæ argumentum, quàm uel cani, uel caluities, contrahitur enim cutis, humore illo ſalutari areſcente: quod potiſsimum in ijs contingit, quorum conſtitutio multum bilis collegit, ſeu uitellinæ, ſeu nigræ: ſed potius nigræ. nam & uitellina in hanc tandem, procedente tempore, concedit, quippe deuergens ætas ad eam qualitatem ſolet inclinare: quemadmodum autumnus anni, & ſerum diei. Nec ſolùm qui ita ſunt naturaliter compoſiti, celeriter ſeneſcunt (eſt enim contemperatio maximè iuuentuti contraria) ſed qui uel morbo, uel animi motu, uel loco, aut exercitamentis, in atræ bilis tyrannidem incidunt, breuiter conſeneſcunt, & corrugantur: ceu qui laborãt febri quartana, qui anguntur metu, odio, inuidia, & potiſsimum ægritudine: qui habitant loca obſcura, dediti continuis acribúſque ſtudijs, & uehementi ſpeculationi.*

DE VITAE LONGITVDINE.

Vita eſt conſeruatio eorum inſtrumentorum, quibus anima utitur in corpore. Præcipuum autem illorũ eſt calor, & propter calorem humidũ calori congruẽs, paſtus & conſeruatio illius, quæ igitur uiuẽtia duas has qualitates diutiſsimè poſſunt conſeruare, uiuaciſsima ſunt. Prima diuturnitatis ratio & cauſa poſita eſt in cuiuſque conſtitutione, ut ea calida ſit atque humida in neruis,

neruis,medullis,liquoribus,ſpiritibus.Secũda eſt,ut eiuſmodi contemperatio diutiſsimè perſeueret, multum ad eam rem faciunt alimenta,locus,exercitationum actionúmque modus,& ratio.Nam qui calidis admodum rebus ueſcuntur,ſuccum illum ſalutarem corpori exarefaciunt,& euaporat calor,ut extenuatum cor uires omnes amittat,atque adeò breui quoque uitam ipſam:niſi fortè tam ſint pituitæ abundantes,ut ea illis uictus inſtitutio conducat.Qui item feruidas regiones incolunt, haud facilè librationem illam calidi ac humidi retinẽt, exhalant uidelicet plurimi ſpiritus,& exugitur corpus, unde ſenectus acceleratur & mors.Qui item in uuidis locis & paluſtribus habitant,multis uarijsq́; infeſtantur morbis, ex redundantia pituitæ.Morbi autem uia ſunt ad mortem expedita,utiq; quum infeſtant uitalia. nam alij ſunt,qui uitam non contrahunt. Ergo in locis ſubfrigidis & arentibus puriora ſunt,ac proinde uegetiora corpora,atque æuum productius.quippe calor frigidiuſculo conſeruatur cœlo per antiperiſtaſin,ſicut in hyeme magis quàm æſtate:& ſiccitas cœli ac ſoli putres humores diſcutit.huiuſmodi eſt habitatio in collibus,locis editis& patentibus,qui auris ſubfrigidis aſsiduò perflantur,aer item apertus ac liber purgat corpora,nec ſinit contabeſcere,& ſub dio alacriores fiunt animantium ſpiritus.Exercitatio quoq; temperata acceſsit & auget uires,quoniam calorem excitat, & neruos corroborat,ideóque quæ exercent ſe,longius ducunt ætatem,quàm ocioſa.Sed labor tamen immodicus uires debilitat,& frangit corpus.Mares in omni genere,quia plus caloris ſortiti,uiuaciores ſunt natura,quàm ſuæ fœminæ:ſed Veneris uſus nimius æuum illorum decurtat, Morbi.

ut fœ

*ut fœminæ ſint illis ſuperſtites.*Rectè Hippocrates:*Cibus,potus,ſomnus,Venus,exercitatio,omnia mediocria. Minuta animalia,quæq; minus habēt caloris, ætate ſunt breuiora quàm magna,uelut apes quàm canes,aut oues, & ex ijs ut quæque ſunt plus ſolidi caloris nactæ, ætatem longius proferunt:ut apes quàm ueſpæ,hæ quàm muſcæ,muſcæ quàm culices.*Accedit *his, quòd exigua animalcula iniuriam temporum non ſuſtinent,feruoris,rigoris,humorum, ariditatum, quemadmodum nec herbæ, propter exiguum calorem, & raritatem materiæ. Arbores autem, quæ denſiore ſunt mole, multas hyemes perferunt:& ex arboribus maximè omnium palma, quia calidiſsima eſt inter arbores.*Quod autem *conſtipatior eſt arborum materies quàm animalium,minórq; inter qualitates earum pugna, diuturniores ſunt illæ quàm animātes.*Non ergo *quæ corpora ſalubriora ſunt, ea longius æuum propagant:nec quæ morbis affecta, citius intereunt:ſed ex caloris humoríſq; huic congruētis examine & conſeruatione uſu id euenit,tum generatim,tum ſigillatim.*

DE MORTE.

C*Orruptis inſtrumentis,aut deficientibus, ceſſat uita,ſequitur mors:quemadmodum detritis aut amiſſis malleo,incude,forcipe,& alijs armamētis, ceſſat fabrica; & indicitur ocium fabro.*Itaque *mors eſt defectus inſtrumentorum animæ, per quæ uita prorogatur, & diſcedit anima,non ex inconuenientia quapiam corporis cum ea:ſicut nec animam & corpus proportio aliqua & conuenientia copularat. neque enim eſt proportio inter me & pennam,qua hæc exaro,niſi quis forte con*

tè congruẽtiam uelit eſſe inter opificem, qua eſt opifex, & inſtrumentum habile: de quo equidem nihil pugnauero. Vita omnis ſita eſt in calido, quemadmodum ſæpe dixi: & propter calidum in humido quoque. Mors eſt naturalis, quum humore, hoc eſt caloris paſtu areſcente flacceſcit calor, & ad poſtremum extinguitur, ut lucerna oleo abſumpto. Eſt autem mors uiolenta, quam gentiles præter fatum dicebant eſſe, quum caſu aliquo uel humor detrahitur, uel calor extinguitur oppreßione quapiam, ſiue interna, ut in ueneno, ingluuie, & alluuione immodica potus, quemadmodum quum nimium olei in lucernam infunditur: ſiue externa, ut ſpiritus cor refrigerantis in arteria uel ore cõpreßio, quale eſt quum ignis lapidibus, aut multo cinere de repentè obruitur, ac opprimitur. Omnium qualitatum commixtio, quaſiq; contemperatio neceſſaria eſt uitæ animantis, aliarũ per ſe, aliarum autem propter alias. unaquælibet earũ qualitatum ſi deſit, non poteſt uita produci, ſed omnium potißima eſt calida & humida, quæ ſita eſt in ſanguine, cuius exhauſtione animans quàm citißimè extinguitur. De membris autem ſunt quædam principalia, ſine quibus animal non poßit conſeruari, omnium præcipuũ eſt cor: hoc primum uiuit, ultimum omnium emoritur. ſicut uicißim oculi incipiunt poſtremi uiuere, & primi moriuntur. tum quæ ſunt cordi proxima, iecur, pulmones, præcordia: ea denique omnia, quæ hac de cauſa uitalia nominantur: cerebrum quoque, & caput. Sunt alia membra uiliora, quaſiq; infimi ordinis, quibus amputatis remanet nihilominus uita: ut manus, brachia, pedes, crura, oculi, naſus, auriculæ, nates. Animalia uerò inſecta, diſciſſa uiuunt nihilominus, ut uermes, ueſpæ, apes: quod

Mors naturalis.

Mors uiolenta.

illis eſt commune cum ſtirpibus. Verùm inter bruti & hominis mortem hoc intereſt, quòd bruti anima, quemadmodum & ſenſuum noſtrorum uigor, perit omnino in morte: noſtra autem anima ſuperſtes eſt ſuo cadaueri. Itaque mortem hominis ita licebit definire: eſt animæ à corpore diſiunctio, ſeu diſceſſus, de quo aggrediamur iam dicere.

Mors hominis quid

DE ANIMAE HVMANAE immortalitate.

ANimæ noſtræ an extinctæ ſuis corporibus ſint ſuperſtites, nec ulla ui fati perimantur, quæſitum eſt à ueteribus ſapientiæ ſectatoribus. Quæ diſputatio moleſtior eſt facta atque intricatior, ex hominum partim ignorãtia, partim malicia & prauitate: qui omnia corporis ſenſibus metientes, induxerunt animum nihil credere, niſi quod ſub illos caderet. alij delicijs immerſi ac uoluptatibus, omnia cuperent cum illis pariter cõcidere, hoc eſt cum corpore: nec eſſe ullum iudicem, qui uitæ huius rationem à nobis repoſceret. Sed nos quando locus hic in uniuerſa & uita & pietate, imò in hominum beatitudine, aut extrema miſeria, tanti eſt momenti, fuſius paulo eum proſequemur: neque eſt attingendũ leuiter, quod periculoſum eſt non perfici. Si ſolis ſenſibus habetur fides, & intra illorum limites concluduntur omnia, ut quibuſdam uidetur, nimis craſſe de rebus ſtatuẽtibus, nec animas tribuemus mutis animãtibus, quippe quas nec cernimus, nec ſenſu ullo percipimus: neque effectiones, ſiue formas eſſe in rebus naturæ cẽſebimus: nihil denique præter molem hanc, quam aſpicimus, & attrectamus: quod eſt diſciplinæ omni contrarium, tum adom

ab omni iudicio humanæ mentis uehementer alienum ac abhorrens. Parui *pueri ſi uideant armatum patrem, poſtea ea ipſa arma conſtituta rectà in ſtipite, exiſtimant eſſe eundem ipſum patrem, adeunt, colloquuntur, & non moueri ac reſpõdere admirantur, terrentur, indignantur, denique etiam in fletum prorumpunt. pueri ijdem, & homines fatui, pictas imagines in tabula uel tapete uiuos eſſe homines iudicant, & ad loquendum prouocant, & ad epulas inuitant, & de cibis offerunt ut edant. idem iudicium eſt beſtijs, ut ficta & ſimulata pro ueris accipiant: nec ij qui ſenſibus tantum ducuntur, ab infantibus & morionibus diſtant, ne dicam à beluis, qui corpus hoc torpens ac brutum hominem eſſe aiunt: & quum cadauer proiectum aſpiciunt, nihil fuiſſe aliud hominem ſuſpicantur, tametſi oculi & ſenſus iſti ipſi corporei, quomodo aliquid in clauſo loco deprehendunt latêre, niſi ex ijs quæ foras prodire conſpiciunt: ut ignem ex fumo, animans ex uoce, mortificinum ex fœtòre?* Q*uis uerò non annotat, quantum ſit inter hominem & brutum interualli? ut inferiora alia prætercam. homo tot artes manu exercet, tam uaria profert, tot opera admiranda magno ingenio inuenta & exculpta: uagatur mente per naturam uniuerſam, habet rationem & ſermonem, in queis omnibus diuini ingenij uis quædam atque imago elucet.* Q*uòd ſi hominem propter ſimilitudinem corporis parem in naſcendo & moriendo facimus beluis, neceſſe eſt ut propter mentis tantam támque euidentem differentiam faciamus præſtantiorem.* Et *ſi renunciatur tanto bono immortalitatis, renunciandum eſt quoque ingenio, rationi, menti, per quam ſumus immortales. & ſi ea uidemus ſigna in homine, quæ teſtan-*

tur illum cœleſtis ac diuinæ eſſe originis: conſequens profectò eſt, ut aliquid in eo inſit maius ac præſtabilius, quàm quod ſpectari poſſit oculis, aut manibus tractari. Nullus, inquiunt, redit ad nos ex altera illa uita, qui nos certiores reddat, qui ſit illic ſtatus rerum, quid agatur. Hoc quidem dicit uulgus, aliquid ſe acutum inueniſſe ac protuliſſe exiſtimans: ſed hoc eſt, qualia eius ferè omnia. Tranſeo quòd multæ animæ fato iam defunctæ, in ſua ſunt reuerſæ corpora: aliæ uiuentibus ſunt loquutæ, & aliquid eis ſignificârunt, quæ ſunt noſtræ pietatis, hoc eſt ſupra naturam. Cæterùm ſi nullus in Indiam commearet, nullus ab Indis ad nos, nec India eſſet protinus, neque Indi? tot annorum millibus uſq; ad hanc ætatem nemo ad nouum iſtum orbem nauigauit, nec ullus ad nos eorum, neque ultro & citro alteri de alteris audiuimus, aut cognouimus: quid mirum, ſi nec inter animos corpore ſolutos & nos corporeos nullum ſit conſuetudinis commercium? Magna quidem & uaria & difficilis inter nos & nouos iſtos homines uia: ſed confici tamen poteſt, & eſt confecta. inter nos uerò, & cœlos aut inferos, naturæ legibus impoßibilis. inter corporea & incorporea nulla eſſe poteſt conuerſatio: neque nos illorum conditioni apti ſumus, quàm diu corpore hoc claudimur corruptibili. Adde, quod mortuorum animi maioribus uel bonis perfruuntur, uel premuntur malis, quàm ut de rebus terrenis, hoc eſt de nugis uacet cogitare, uel libeat. Quid, quod nos alij nolunt reuiſere, alij non poſſunt. Si quis in ſua ciuitate factus eſſet magiſtratus, nollet utique ad exilij ſui inſulam reuerti. itaque hic non expetit: qui uerò in carcere aut ergaſtulo detinetur uinctus, non poteſt. Sed ſanè quocunque nos conuertamus,

mus, ſurſum deorſum, circumcirca, omnia docent, teſtantur, clamant, immortalem eſſe animam humanam: natura, & neceßitas cauſarum, proportio & ſimilitudo, uita & congruentia, dignitas hominis, Dei *bonitas, utilitas noſtra ex illius beneficentia.* Principio *rerum omnium ueræ germanæque eſſentiæ ipſæ per ſe non cognoſcuntur à nobis, abditæ latent in penitißimis cuiuſque rei, quò mens noſtra in huius corporis mole & tenebris uitæ non penetrat.* Ex *inhærentibus, & actione potißimum, quid & quale quicque ſit, ratio noſtra colligit.* Nam *ſicuti eſt ab* Ariſtotele *animaduerſum acutè, res omnis ſic habet ſe ad eſſe, quemadmodum ad operari: eius uidelicet opera & actus, qualitatem quantitatémque & ingenium eſſentiæ declarant.* Primùm *omnium actiones ipſas animæ perpẽdamus, de quibus actionibus prima eſt, cognoſcere. id uerò eſt quodammodo capere, comprehendere, concipere, híſque nominibus conſignatur. nulla eſt porrò cognoſcendi facultas & uis, quæ id cognoſcat, quod proportionem non habeat cum natura ſua aliquam.* Cognitio *enim uelut imago eſt quædam rerum, in animo expreſſa, tanquam in ſpeculo.* Non *poteſt autem reddi ab ſpeculo corporali, quod ſit ſpiritale, aut quæ aliorum ſunt ſenſuum quàm uiſus: neque id exprimetur, quod proportione eſt ipſo ſpeculo maius: ut mons totus proximè admotus, niſi procul recedat, ut ex interuallo naſcatur proportio: neque id quod non eſt ei obiectum è regione. Senſus noſtri externi, nempe extenſi & præditi quantitate, non capiunt quæ ſunt quantitatis immunia: nec quæ molem habẽt ampliorem, quàm pro eorum ambitu, neque abſentia. Senſus interni non capiunt ſpiritalia, nempe angelos &* Deum. Mens *ergo*

Cognoſcere.

quæ hæc capit, cognoſcit, comprehendit ſola ex rebus ſublunaribus, ſpiritus eſt, ut illa ipſa: & quæ intelligit illorum immortalitatem, immortalis quoque. alioqui nullo caperet modo id, à quo infinita amplitudine excederetur. Apertius hoc oſtendit, quòd ex uniuerſa æternitate illã, quæ immenſa duratione nos præceßit, non poſſumus cogitatione comprehendere, & obruitur magnitudine mens noſtra: hanc uerò quæ interminatis pòſt ſeculis ſequetur, facilè capimus, & intelligimus. ut liquidò appareat, illam uaſtiorem eſſe noſtra anima, uel ullam habere cum ea ſiue proportionem, ſiue analogiam, hanc uerò alteram habere: illi non eſſe aptam, huic eſſe. ❡Ex eodem cogitationis fonte facile colligitur, plantarũ & brutorum animas ex ui & potentia materiæ aptas inſtructáſque produci, mentem noſtram peculiariter à Deo gigni in corpuſculo, ſupra uires materiæ ac naturæ huius. Nihil enim aſſurgit aut tranſgreditur id, à quo accipit eſſentiam & uires. alioqui non iam ab illo acciperet, ſed à priore aut ulteriore aliquo in quod tenderet. Senſus noſtri interni atque externi, tum beluæ, quæ illis ſunt ſolis prӕditæ, nihil cognoſcunt aliud, quàm quæ ſunt naturæ huius, quam cernimus: non aſcendunt ſuperius. Mens noſtra non contenta cœlis, ſideribus, angelis, uſque ad Deum ipſum peruenit, nec ulterius poteſt progredi. quid hoc arguit aliud, quàm animas mutorum à natura hac progigni, ſupra quam ſeſe non attollunt: noſtram uerò à Deo ſupra naturæ huius poteſtatem? Itaq; animæ noſtræ contingit, quod de aqua fontana dicitur, ut tam altè aſſurgat, quàm deſcenderat, nec poßit altius. nec aliter quàm mens noſtra non modò intra Dei cognitionem ſiſtit, uerum etiam multo inferius: ſic ſenſus, multum

tum infra naturæ huius opera ſubſiſtunt, neque intima illius penetrant, ſed in extima ſemper facie uerſantur. Moſes in mundi originibus, non obſcuris uerbis uidetur hoc ſignificaſſe. nam quum alia omnia ſolo Dei *dicto narret eſſe condita: ubi ad hominem uenit, non naturæ eam tribuit potentiam, ut hominem procrearet, ſed* Deo *ſoli. dicit enim:* Faciamus *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. & paulò pòſt: Inſpirauit* Deus *in faciem* A*dæ ſpiraculum uitæ. per utranque ſententiam & originem à* Deo *propriam, & animorum immortalitatem denotauit. Cæterùm ne quis in hoc fallatur, tametſi ſupra uires naturæ huius ſiue elementaris, ſiue cœleſtis, ſiue angelicæ ſit, animam hominis à* Deo *creari: naturaliter tamen creatur à* Deo, *hoc eſt, lege ab illo ordinata, atque ſtatuta, non ſecus quàm alia omnia. non enim quoties homo conditur, nouum edit* Deus *miraculum, hoc eſt, præſcriptæ legi uel contrarium, uel diuerſum. niſi quis fortè naturæ huius miraculum uocet, in quo non diſſentio: ut non immeritò* Mercurius Triſmegiſtus, *ſiue quis eſt alius, magnum miraculum eſſe hominem dixerit.* Deus *in materiam præparatam iam atque aptam immittit animam, ſupra materiæ ipſius & opificis naturæ uires, ſed lege ab ipſa ſtatuta.* Quocirca *& genitis in adulterio ac fœdo inceſtu animas tribuit: quoniam hi quanquam contra bonum & pium, non tamen contra legem illam à* Deo *poſitam gignuntur: quod fieret, ſi cinædis id quoque concederetur, aut eiuſmodi.* Et *animam noſtram non à* Naturæ *facultate, ſed* Dei *unius procreari beneficio, non ſolùm eſt uerum, ſed intereſt humani generis uerum eſſe: & quia intereſt, uerum eſt indubiè.* Inducta *enim anima in corpus non* Naturæ *ope,*

ſed propriè ac peculiariter à Deo, debet homo præci- puam & potißimam partem ſui non Naturæ, *ſed* Deo: *illúmque, tanquam unicum mentis ſuæ parentem, agno- ſcit, quam ſoli ipſi deuoueat & conſecret: neque in eam iuris quippiã alteri ulli impartiatur, quàm* Deo, *ſummo & præpotenti patri ſpirituum unico.* Multum *in cor- pus hoc & ſenſus omnes uendicant ſibi poteſtatis & iu- ris, parentes corporum, tum liberi, natura ipſa, patria, neceſſarij: mens uerò ſolius eſt* Dei, *eámque ſibi uni re- ſeruari iubet ad felicitatem noſtram: quoniam illius ipſe unus eſt autor & progenitor.* Quod *ſi anima non à* Natura *hac* Dei *adminiſtra & opifice profertur, ſed à ſolo* Deo, *conſequens profectò eſt, ut nihil in natura ſit, quod eam poßit extinguere: ſolus id poteſt* Deus. *non eſt autem credibile,* Deum *ipſum per ſe condere, quod mox ſit perempturus. quid enim attinebat id fieri? quin po- tius humanæ animæ, & progignendæ & corrumpendæ, ſicut aliarum animantium potentiam* Naturæ *concede- bat? cur ſibi uni reſeruabat, quod communi legi ac con- ditioni erat ſubditurus?* Hæc *de cognitione: iam de ap- petitu. Cognitio omnis, ut aliàs eſt ſæpe & à nobis, & ab alijs ferè demonſtratum, propter appetendum aut fugiendum eſt animanti indita.* Eſſe *nunc ſenſus noſtri capiunt quemadmodum & muta. nam quale ſit belua- rum ingenium, & quemadmodum ſint affecta, ex noſtris tum externis ſenſibus, tum internis, certißimam conie- ctationem licet ſumere: uidelicet quos habemus cum il- lis communes, ac prorſum ſimiles.* Itaque *feruntur pe- cudes ſolum ad nunc: appetitus enim conſeruationis eſt in illis non ex cognitione rerum, ſed ex artificio naturæ.* Ideo *facultas progignendi non eſt principalis officij,*

*nempe cognoſcentis,ſed uegetantis,hoc eſt infimi.*Homo *autem eſſe interminabile cognoſcit:quod quia uidet conducibile ſibi eſſe ac bonum, expetit quoque.* Itaque *naturalis eſt hic appetitus: ſi naturalis, ergo de re nobis congruente atque apta,nec fruſtra ingenitus.expleri igitur poteſt,& ut expleatur aliquando neceſſe eſt: alioqui non ſolùm inanis eſt tanti boni oſtenſio,ſed crudelis.*Expetitionis *huius eſſentiæ perpetuæ, quæ nunquam intermoriatur, indicium eſt auiditas prorogandi nominis in omnia ſecula pòſt uentura. quod adeò eſt à natura inſitum humanis pectoribus, ut etiam qui extingui omnia arbitrantur cum uita,famam nihilominus affectent, & bene audire uelint iam ſepulti: uelut ſignifer impietatis* Epicurus, *natalem ſuum diem celebrari teſtamento cauit,& epulum ſectatoribus ſuis dari luna uiceſima.*Naturalis *enim illa ueræ immortalitatis cupido infecta & corrupta tenebris mentis, prauis animorum cupidinibus,in hanc alteram degenerauit cupidinem famæ,haud aliter quàm quum bonum ſemen in ſolum uitioſum incidit.* Affectus *item ipſi, qualis ſit & mentis noſtræ & ſenſuum natura,declarant:quódque ſit inter illos diſcrimen, & ſenſus dico tam internos quàm externos.* Si *enim incipiat animus de morte ſua cogitare, ſenſus interni & phantaſia modò longam uitam hanc fore imaginentur, de altero illo interitu non admodum permouentur, imò facile eiuſmodi cogitationem ſine ſenſu aliquo deglutiunt. mens uerò ipſa ijs tenebris inuoluitur, tantopere confunditur, ut nihil magis expaueſcat, & refugiat. uel ipſi illi qui in maximis uerſantur malis, & impetu quodam animi cæco mortem appetunt, cuperéntque ſeſe aboleri penitus, ſi pauliſper à deſperatione*

in ſe uacaret redire, ac conquieſcere, déque animi extinctione cogitarent, damnarent prorſum ſententiam priorem, interitúmque illum horrerent, maiúſque id eſſe malum ducerent, quàm illa omnia, quibus uexantur atque affliguntur. Contrà uerò quum de morte hac corporis uenit in mentem, ſenſus omnes ilico percelluntur: mens uerò, ſi ſana ſit & quieta, ſtat immobilis, & errorem trepidationémque illam ſenſuum ridet & caſtigat. Idcirco apud Platonem in Apologia acutißimus philoſophorum Sacrates ad iudices & populum Athenienſem uerba faciens de morte ſua, quòd multitudo ſenſibus ducitur, in incerto reliquit animæ immortalitatem, dilemmate tantum uſus: Si non moritur animus, maiora me expectant bona: ſin moritur, nihil ſentiat mali. In carcere uerò inter diſcipulos rerum cognitione excultos, & ſapientiæ ſtudioſos, nihil poſuit in dubio: ſed conſtanter, multíſque argumentis conatus eſt euincere ac perſuadere, animos noſtros corporibus ſuis ſuperſtites perſeuerare. Quid ex his efficitur? an non manifeſtò, mortem mentis contra ipſius naturam eſſe? idcirco illam eius mentionem reformidare ac exhorrere: ſenſus uerò de hac tantum uita eſſe ſolicitos, mortẽ hanc corporum ad mentem nihil pertinere: corporis eſſe, & eorum quæ ſunt corpori annexa, ſenſuum uidelicet internorum ac externorum. Quid quòd mens in prauo habitu corporis, uelut ſi affectu ſit perturbata, phantaſmatis confuſa, imperita, flagitioſa, ſceleſta, impia, magis ad recordationem corporeæ mortis concutitur, quàm quum ſobria eſt, ſana, ſerena, quieta, docta, innocens, pia? Quæramus iam utrius iudicium certius ſit, ac uerius, perturbatæ an quietæ, ægræ an ſanæ, indoctæ an eruditæ: in recto

corporis

corporis ſtatu, an praue affecto: ſceleratæ ac impiæ, an piæ & ſanctæ. Ex *delectationibus quoque eſſentia deprehenditur humanæ mentis, delectationes enim eo ſunt maiores, ſuauiores, diuturniores, magiſque ſtabiles, quo res eæ quæ uoluptatem adferunt, ſimiliores ſunt facultati animi, quæ oblectatur, maioremque cum illa & uicinitatem & proportionem habent.* Quum *de genere eſt aliquo uel forma iudicandum, ab ijs ſumitur ſpecimē ad pronunciandum, quæ ſunt in illo genere optimè affecta & conſtituta, id eſt maximè ſecundū generis eius ueram atque incorruptam naturam.* Non *ignoro multos eſſe homines brutali ingenio, qui uoluptatibus ſenſuum capiantur unicè: ſed nos præſtantiſsimas ac generoſiſsimas mentes contemplemur.* Illæ *uerò plus delectātur internis ſenſibus quàm externis, plus mente quàm phantaſia: & ex mente, potiſsimum contemplando: & ex rebus, quas contemplantur, illæ eas iucundiſsimè capiunt, & diutiſsimè tenent, quæ ſunt ſupremæ, quæ corporeæ molis expertes, quæ æternæ. has enim animus auidius expetit, ac retinet, minúſque illis perſcrutandis atque intuendis defatigatur.* Hæ *igitur res ſpiritales & ſempiternæ, conformiores ſunt menti, quàm corporales: illarum naturæ ac ingenij magis eſt conſors & particeps, quàm iſtarum. in illis enim mirificè acquieſcit, tanquam ſuis ſimilitudine ac proportione: quemadmodum interiores & exteriores ſenſus rebus corporatis capiuntur, nec alias uel coniectando aſſequi poſſunt.* Quòd *ſi mens tam eſſet quàm ſenſus mortalis, non minus mentes excellentiſsimæ & diuinis proximæ, caducis rebus tenerentur ad ueram & ſolidam uoluptatem, quàm ſenſus ipſi.* Iam *ipſa corporum noſtrorum conſtitutio, & facies in cœ-*

lum erecta, cœleſtes nos eſſe teſtificatur, intentos ſemper illic tanquam in patriã, ad quam proficiſcimur. Et *corpus ipſum, quemadmodum ſe habeat animus, oſtendit, erectus eſt enim hic, & ſublimis magis multo quàm corpus, aſcendens per gradus rerum inferiorum, nec conquieſcens, donec ad cœleſtia & diuina peruenerit: ibi demum ſiſtit, & acquieſcit, ut ex motu & ex quiete manifeſtum fiat, quemadmodum in rebus omnibus naturæ, quis ſit ei locus naturalis.* C*æteræ animantes, ut terreſtres, terram ſemper intuentur, in qua eſt bonum ipſarum. noſtrum uerò bonum, ſi non eſt in illa cœleſti æternitate, quorſum pertinet excelſum caput in homine, & oculi in cœlum ſuſpectantes, an ut in tãta uitæ huius calamitate, & aſperrimis rebus, locum illum ſpecioſiſsimum, atque à miſeria omni remotũ intuentes, magis nos uita diſcruciet, & exacuatur uanum illius fœlicitatis deſiderium: atque eo uehementius & acrius, quo quiſq; ingenio uel eruditione plurimum eſt præditus atq; excultus, uel uitæ huius incommodis ac miſerijs preſſus, & diu uexatus. nam fortaſsis hominum aliqui pecorũ more ſine ſenſu hæc prætereunt, ſiue ex mentis torpedine, ſiue ex ebrietate fauentis fortunæ.* Et *de naſcendi modo in hac mortalitate intelligi poteſt, qualis ſit modus ille renaſcendi in æternitate.* Nam *ſicut in locis maternis huic luci fingitur ac formatur homo, ita in hac luce paratur illi alteri, præ qua lux hæc noſtra tenebræ ſunt, & nox obſcuriſsima.* Nec *aliter quàm quum tempus naſcẽdi appetit flacceſcit uita uteri, quaſiq; infans emoritur, illo utique uiuendi genere: ad eundem modum, quũ homo è uita orbis huius exceſſurus eſt, & tãquam pariendus ad uitam alteram, moritur hac uitæ ratione, ut uiuat*

uat altera tanto præſtantiore, quanto hæc eſt lucis huius melior, quàm illa uteri. Itaque paramur in utero uitæ corporis, in corpore autem uitæ mentis. Horret animus diſceſſum ex hac uita, propter ingentem mutationem: & ſic eſt affectus, quemadmodũ infans naſciturus, ſi ei ſenſus aliquis daretur noſcendi & cogitandi. Exit enim & infans naſcens, & homo moriens, uterque in lucem nouam, faciémq; rerum admirandam: qua nouitate uterque perterrefactus, nollet ex ſuo gurguſtiolo prodire, niſi urgeretur artificio naturæ. Non eſt profectò dubitandum, quin hominis mors magnam habeat cum ortu cognationẽ & ſimilitudinẽ, propter eam imperfectionem quæ eſt infanti in utero, & homini in hac uita. Nam ſi perfectus eſſet ſuis omnibus partibus, atque abſolutus infans in locis maternis, nihil ei eſſet opus ortu: ſed quum ei ſenſus ſit tributus, & facultas cognoſcẽdi, quæ exercere non poteſt in utero, egreditur in hanc ſpacioſam lucem, ubi ſentire poßit, & cognoſcere. Hactenus quidem communia nobis omnia cum beluis. at uerò quia beluæ hic funguntur muneribus ſuis omnibus, & facultatibus à natura inditis, hic uiuunt ac intereunt: homo, cui donata eſt mens, qua nihil aut parum admodum utitur in hac uita, profectò ortum alium habet, in qua mentis obeat munia, quod in libris de Veritate fidei Chriſtianæ docuimus, ſicuti & de illo quoque diſputauimus, ſi anima ſit mortalis, omnia ad uitam hanc pertinere, fruſtráque hominem eſſe conditum: quandoquidem nullo penitus fine propoſito, uel nõ eo certè qui excellentia eius ſit dignus, atque adeò res omnes incaſſum eſſent à Deo productæ. Quorſum enim creare attinebat? ſcilicet ut poſteaquàm pauliſper ſeſe oſtendiſſent,

ſubducerentur? ut bibat homo, edat, dormiat, uoluptuetur, nihílque abſit à beſtijs, longè etiam quàm ille miſerior? qui quod potiſſimum ipſi eſt, atque optabiliſſimũ, nunquam aſſequitur: quod Ariſtoteles & Theophraſtus fatẽtur. Quòd ſi homo, cui corporea ſunt parata omnia, qui ſolus uti poteſt, & uult, & nouit, fruſtra eſt inductus in uitam: quanto magis ea omnia quæ illius ſunt gratia procreata? uana ergo omnis creatio, & Dei maieſtate immenſáque ſapientia indigna: quod abſit. imò nec ulla eſt rectoris mundi prouidentia. Hæc enim tria ita ſunt connexa & coniuncta exiſtimatione ac perſuaſione, diuelli ac diſſociari ut nullo modo nec poſſint, nec fas ſit: Dei religio, Dei prouidentia, animæ noſtræ immortalitas. quiſquis unum iſtorum tentarit labefactare, aliorũ quoque fidem concutiet. Nam ſi animæ non ſunt immortales, bene aut ſecus factorũ nullæ ſunt pœnæ, nulla præmia. Hæc enim omnia in decurſu præſentis æui permiſta & confuſa cernimus: ut nihil aliud ſit hominum uita, quàm merum latrocinium. Nulla eſt ergo Deo cura de nobis. Quòd ſi nos non curat, quorſum à nobis coletur? uana & ſtulta perſuaſio, fuerit, religio Dei ac pietas. At nos tamen, homines omnes, & nationes quantumcũq; barbaras, & ab humanitatis inſtitutione alienas atque abhorrẽtes, animaduertimus adduci naturaliter ad religionem aliquam, laudare ac probare modeſtiam, moderationem, gratitudinem, pietatem, manſuetudinẽ, patientiam, æquitatem. Fieri ergo nõ poteſt, quin hæc ſint bona, & contrarijs potiora: cuius rei nulla eſt ratio, ſi Deus non ſit ſpectator ac iudex. teſtantur igitur, nos illi curæ eſſe, & pietatis præmium alibi expectandũ. Quòd ſi illic eſt uirtutis precium, & hominis finis, anima profectò

fectò illic uiuet:& retrò idem ualet,ſi anima illic uiuet, finis hominis illic eſt.finis enim ad ultimum & perfectiſſimum pertinet,qui ea de cauſa finis nominatur. Quòd ſi plurimorum & ſapientiſsimorum hominum autoritatibus aliquid tribuimus,præter tacitum illum humani generis conſenſum,habemus expreſſum alterum & manifeſtum,quandoquidem non ſolùm doctis & ab humanitate instructis nationibus,ſed feris ac barbariſsimis, ut Getis,Scythis,Indis,& in hunc Nouum orbem tamdiu ſepoſitis,& latentibus, perſuaſiſsimum eſt, animas hominũ hinc in alia emigrare loca,digna ijs rebus quæ in uita geſſerint.Ex profeſſoribus autem ſapiẽtiæ ignobiliſsimi,& qui in delicijs extremum bonorum ſuorum poſuerant,animam fecerunt mortalem:ſcilicet ijdem illi qui religionem omnem,qui cultum & amicitiam diuorum,qui prouidentiam, qui diuos ipſos funditus extirpauerunt.Poſt hæc autem per prauam perſuaſionem euerſa,non erat animorũ immortalitas incolumis manſura,quæ coniuncta & complicata eſt cum cauſa prouidentiæ ac pietatis.Sapientiſsimi uerò & ſanctiſsimi philoſophorum nunquam ſuſtinuerunt animam mortalem affirmare,& quaſi damnare capitis:ut Pherecydes Syrus,antiquiſsimus in Græcia mentis cultor,Pythagoras, eius diſcipulus Socrates,Plato,Zenon Stoicus,& innumerabiles qui ab his ueluti fontibus dimanarunt.Socratis unum ex argumentis eſt in Phædone Platonis, naturale eſſe hominibus deſiderium ſciendi & ſapiẽtiæ:quæ quum in uita hac contingat exigua,uel nulla potius,futurum eſſe abſque dubio,ut deſiderium hoc alibi expleatur,quippe quod naturale eſt,de nihilo eſſe,ac ſuperuacaneum non poteſt.Nam quemadmodum fruſtra eſſent

oculi

oculi aſtructi animalibus,ſi nunquam daretur cernere, ſemper in nocte ac tenebris uitam acturis:ita & cupiditas ueritatis,ſi nunquam eſſemus illam aſſecuturi, ſuperuacanea res eſſet ac deridicula. Quæ in reputatione ac perſuaſione certißima ceſſat Theophraſti querela, quòd natura longißimam mutis animãtibus uitam conceßiſſet,quarum nihil intereſſet diu uiuere:homini uerò perbreuem,cui tantum expediret longam uitam degere, ad aſſequendam ſapientiam maximum hominis bonum. nunc uerò quum incipimus ſapere,morimur, non hæret in diuinam ſapientiam & bonitatem iuſta ulla querimonia. Satis longam ætatem accepimus, ut hic quantum conueniat,diſcamus. in altera erit copia ſapientiæ, & ſatietas,in hoc enim æuo quantulum eſſet,quod in ſapientiæ curriculo promoueramus, etiam ſi quadruplicaretur nobis uita,& ad quingentos aut mille annos perueniret? Non perfert ſapientiæ fulgorem mens noſtra, anguſtijs huiuſce corporis & obſcuritate oppreſſa:haud aliter quàm noctuæ oculi lumen ſolis,quæ eſt Ariſtotelis magiſtri ſimilitudo. Quocirca tantus philoſophus non in accuſatione naturæ,hoc eſt Dei ſapientißimi & optimi,debebat ſiſtere,ſed ex ea admoneri ſapientiæ huius,cuius tantum & tam acre deſiderium humanis pectoribus natura indidiſſet,alibi profectò eſſe locum, & explẽdæ auiditatis opportunitatem. De Ariſtotele,quid ſenſerit,nihil habeo dicere,obſcurus eſt,lubricus, uafer, in hoc etiam,ne à more ſuo diſcedat. Vno in loco dicit, ſi intelligere poteſt mens abſq; phantaſia,ſeparari poteſt ab ea:ſin ſecus,non poteſt, quod ab eo non ſatis eſt pro acumine ingenij illius animaduerſum. Anima enim in hoc corpore non poteſt niſi corporaliter omnia intelligere,

telligere,

telligere,hoc eſt,per corporea inſtrumenta, quæ exteriora ſunt,ſenſus:interior autem imaginatio,non aliter quàm qui per uitrum aliquid intuentur,non poſſunt aliter cernere,quàm ut illud ſinit uitrũ.Alio tamen in loco idem ait Philoſophus,ſeparari mentem à ſenſibus ac corpore,ut immortale à caduco.In hanc præſtantiſsimorum philoſophorum,imò philoſophiæ totius ſententiam,optimus quiſque mente ac ſenſu uadit. Nam mortalem eſſe animam,malis & deſperatis hominibus optatur, & expedit:boni auerſantur, & tanquam noxium refugiunt.Si enim quod paulò antea dicebam, cogitatione reuoluat quis, abſumi prorſus omnia in morte, quaſique in perpetuas tenebras abſorberi, quis bonus & generoſi cordis non exhorreat mortem? quæ huic conſolatio ſuffecerit,aut animatio, quo minus mortem reformidet & refugiat modis omnibus, eámque cum ſumma impatientia expectet & perferat,quum neceſsitas coget?uel in ipſis medijs cruciatibus, quum in uotis eſt mors,& inuocatur tanquam portus è tantis tempeſtatibus,eſt tamen quies in illis aliqua, & interceſſatio, & concitatus animus mortem inclamat:qui ubi paululum reſedit,conſolatur ſemetipſum ſpe,uel quòd ceſſabit dolor,uel quòd tempus & aſſuefactio leuiorem reddet: denique grata eſt quomodocũque lux hæc,etiam miſerrimis,quid illis qui nullis corporis aut uitæ incommodis uexantur? Age uerò,quæ deſperatio homini probo, ſi ueniat illi in mentem ſuorum rectè cogitatorum aut factorum,qui nullum in uita præmiũ cæperit:imò contrà,quod ſæpius euenit,malam pro beneficio gratiam, uelut paupertatem,infamiam,dolores,morbos, cruciatus, ſupplicium, nullam uirtutis compenſationem reli-

quam

quam eſſe poſt uitam, nec plus eum accepturum quàm improbum & ſceleratum? Nam memoria nominis nec ſemper contingit, & iniqua eſt, quæ & prauis facinoribus laudem & gloriam tribuit, & uirtuti ac probitati uel neglectum, uel (quod indigniſſimum eſt) dedecus, nec ampla eſt, propter diuerſitatem ingeniorum, morum, ſententiarum in nationibus, alijs enim alia uidentur pulchra & laudabilia. Nec diuturna eſſe poteſt, omnia conſumente uetuſtate. Nec quicquam ad uita functos pertinet. nec Achilli prodeſt ſua gloria, uel Socrati: nec Catilinæ, aut Therſitæ nocet ſua ignominia. Quid porrò, poſtea quàm uir ſapiens per cœlos, per ſidera, per elementa omnia ſit animi intentione ac uigore peruagatus, per ſtirpes, animantes, homines, angelos, uſque ad Regem mundi, per res ueteris memoriæ quæ geſta ſint, quæ contigerint: quid illi acerbius poteſt nunciari, aut quod minus conſolationem admittat, quàm ſi in hac tanta pulchritudine, tam amœno atque admirabili ſpectaculo extinguenda ſit mens tantarum diuitiarum ſpectatrix, receptaculum, theſaurus? ut nullo amplius futura ſit ſenſu, nullo in loco, non magis quàm bruti animus abiectus, uilis, torpens, nulliúſque capax excellentiæ. Quis eſt qui poſt hanc conſiderationem mortẽ nõ pertimeſcat, etiam in grauiſſimis uitæ malis poſitus? contrà uerò quanta bono & ſapienti conſolatio ad caſus omnes uitæ atque infortunia, ſcire paratum eſſe locum quietis, non priuationis atque orbationis omnium, ut ſomniarũt ſtulti: (quomodo enim quod non eſt, quieſcit) ſed felicitatis conſtitutæ à Deo æquiſſimo, potentiſſimo, optimo? quam ijs largietur, qui ad bene & ſanctè uiuendum bonam uoluntatem attulerint uerè, atq; ex animo. Hæc quæ

de ho

de hominum ſententijs atque autoritate attulimus, eò pertinent, ut fiat liquidum, ab ea parte naturam & uerum ſtare, à qua ſtant boni & ſapientes, nempe à noſtra: rectius uidelicet atque integrius eſt horum iudicium, quàm malorum, aut dementium. Accedit iudicio & maximorum hominum, & maximæ partis humani generis iuſtitia, probitas, religio, & uirtutes omnes, quæ omnia immortalitate animæ nituntur: ac hæc quam in partem inclinant, & ueritatem eodem inclinare neceſſe eſt. pro his enim citius faciet ueritas, quàm pro ſceleribus, flagitijs, improbitate, atque impietate, quæ mortalitatis animæ comites ſunt certiſſimæ. Sed nec mirandum eſt magnoperè, in deſiniendа atq; ſtatuenda animæ natura falſos Philoſophorum quoſdam minutos, ut inquit Cicero, ac ignobiles: quum alij amplioris nominis in ijs quæ ſenſibus uſurpamus, tam fœdè ſint prolapſi, aut quòd nix eſſet nigra, quam uiderent candidiſſimam: quòd ignis frigidus, quo nihil tangerent ardentius. Illud porrò eſt in uitæ negocijs ſententijsqúe miſerrimum, & non fictis lachrymis deplorandum, quòd ad uerum & bonum nulli ſunt autores ſatis locupletes, & firmæ fidei: ad falſum & malum quiuis ſufficit, ut non iniuria ſit illud à Mimographo dictum, Ad triſtem partem ſtrenua eſt ſuſpicio: nimirum, ut Ouidius inquit, quòd nos in uitium credula turba ſumus, mali uidelicet & obſcuri, idcirco ad falſum & malum, tanquam noſtri ſimile, procliues. Quàm multi ſunt, qui Epicurum derident, Plinium refellunt, imperitos uocant, & ea quæ in rebus uel uitæ uel naturæ adferrent, non ſatis habere explorata? at eoſdem ipſos quum prouidentiam & religionem tollunt, ijdem illi amplectuntur & collaudant: adeò inualuit in eorum mentes

caligo uitiorum & ſcelerum. Sunt qui aiunt eſſe è re uita credi animam eſſe immortalem: quẽadmodum etiar deos eſſe, quòd aliter homines nec conſeruaturi eſ ſanctam ſocietatem, nec quicquam rectè facturi, niſ hiberentur metu illo, reſtare alteram poſt hanc u & deos uindices: quos ideo à metu θεὸς eſſe nomi ,at quaſi δεὸς. Quid dicitis? Magno igitur mendacio o eſt, ut homines uelint bene agere. O miſerandam con tionem uirtutis, ſi non poteſt hominibus niſi per ing mendacium perſuaderi, quum nullæ duæ res tam ſint inter ſe amicæ & concordes, quàm uirtus & ueritas: nempe germanæ, à Deo *genitæ, & humanis mentibus ſicut utiliſſimæ, ita etiam integris iucundiſſimæ.* Ergo Deus *potentiſſimus, ſapientiſſimus, optimus, ea lege & conditione creauiſſet hominum genus, ut induci ad bene agendum per ueritatem non poſſet, ſed per mendacium: & tantus artifex ad perfectionem operis ſui inſtrumentum non è domo atque opulentia ſua ipſius deſumpſiſſet, ſed ab inimico ſuo diabolo mendacium, quo nihil eſt à* Deo *alienius, qui eſt mera ueritas. Quid reſtat igitur, niſi ut qui ingenij aut doctrinæ bono deprehendiſſet mendacium: ueluti qui hoc dixerunt, & ab eis edocti ac moniti, ſoluti eſſent eo metu, quo prius alligabantur: & ut quiſque eſſet doctiſſimus uel acutiſſimus, ita & peſſimus quoque, quando ſuperſtitione iam eſſet liber, nec deos ullos metueret, nec aliud quicquam niſi pœnas legum: ita quò propius accederet ad hominis perfectionem cultu ingenij atque inſtitutione, hoc & ad maliciam & ſcelera eſſet armatior ac procliuior: quippe cui arcanum eſſet detectum, ficta & ſimulata eſſe omnia, quæ preciperentur de uirtute ac probitate. Atqui exiſtimatio hæc maxima*

xima eſt humani animi corruptela,& à perfectiõe auertit.ideóq; ſentẽtia hæc ſemetipſam refringit, ut quo quis ſit perfectior, eo imperfectior: quo melior, tanto peior: quo magis homo, ac uerius, hoc naturæ ferarum ſimilior,& ab homine remotior. En quanta rationum acies pugnat pro nobis, id eſt, pro ueritate. nam nos quid ſumus? ueritas eſt fortiſſima, maximis uiribus fulta & communita. Quid expectamus? an ut animas ipſas exilientes cernamus è moribundis corporibus, tanquam fumum è flamma? Neque tum deeſſent, qui præſtigias ſe dicerent metuere, & imposturam oculis ſuis fieri: ut quum niuem albam cernerent, & ignem ardentem. quid enim ſatis fuerit ei, qui animo obſtinauit non aſſentiri? ut iam non agatur res apud tribunal rationis, ſed affectionis prauæ, ac pertinacis. An tot unquam adducta ſunt à philoſophis argumenta ad id corroborandum, quod tam exploratum certúmq; nos habere credimus, quàm ea quæ manibus contrectamus, aut cernimus oculis? Si decima argumentorum pars ab aduerſa ſtaret parte, quis poſſet iſtorum ſuſtinere importunitatem atq; inſolentiam: qui nunc inopes ac deſtituti ab omni ratione, iudicio, mente, magno tamen adhuc faſtidio nos aſpernantur & contemnunt: noſtrámque ueritatem quaſi ſtultitiam derident, quòd rationibus habemus fidem: quum illi nihil aliud pro ſe habeant, niſi forſan, Non ita eſt, ſuſpicor, aut credo non ita eſſe. quibus de cauſis & rationibus adducor, ut exiſtimem ſententiam hanc de animæ immortalitate, quum ſit tanti ponderis, totius probitatis ac religionis fundamentum non eſſe inter fidei articulos relatum, quod ſcientia poſſit comprehendi. Nam quibus tandem, aut quot argumentis aſſequemur ſcientiam, ſi hæc

non ſuffecerint? Quidam affectantes uideri philoſophi, aiunt in fide pietatis animam eſſe immortalem, in lumine autem naturæ mortalem: quo quid dici poteſt imperitius, aut dementius? quaſi nos quid uideatur diſputemus, non quid ſit. Nos uerò nec fidei lumen, nec naturæ inquirimus, ſed ueritatem ipſam, quæ non gemina eſt, ſed unica. Age uerò, quid eſt naturæ lumen? num non humana ratio? Cedo, an plures aut euidentiores inuentæ rationes ſunt pro iis, quæ ſcire nos arbitramur ex cauſis naturæ, ut ſententia noſtra fert, certiſsimis ac perſpectiſsimis? & adferri aliæ poſſent permultæ, & allatas eſſe ab aliis non dubitandum: latiſsima enim res eſt ueritas. Sed ego eas tantum poſui, quæ mihi in mentem uenerunt. Velim autem mihi ad poſtremum dici, cur alia omnia quæ de anima traduntur, pauciſsimis & leuiſsimis coniecturis fulta recipiuntur pro indubitatis: hoc unum tanto rationum agmine ſtipatum ac munitum pro infirmo habetur. & illa quidem ſtabilia atque indubitata nobis eſſe, noſtra nihil intereſt: hoc unum tam ualde intereſt, quantum eſt iam declaratum. Profectò liquidò apparet, uim eſſe aliquam homini infeſtam atque inimicam, quæ ueritatem nobis tam neceſſariam procuret uertere in controuerſiam: à cuius perniciosiſsimis tenebris tueatur nos Deus, lux uera & immenſa.

LIBRI SECVNDI

FINIS.

IOAN

IOANNIS LODOVICI VIVIS DE ANIMA ET VITA

LIBER TERTIVS.

*SEquitur pars animæ de affectionibus, ad cognoſcendum & difficillima propter uarietatem,& neceſſaria, ut tantis malis adferamus remedium,morbiſque tam ſæuiſſimis medicinam. eſtq́ue tractatio hæc non ſatis diligenter à ueteribus ſapientiæ ſtudioſis uel animaduerſa, uel tradita.*Stoici,*quos* Cicero *ſecutum ſe profitetur,omnia hæc argutijs ſuis peruerterunt.*Ariſtoteles *in* Rhetoricis *tantum de materia hac expoſuit,quantum uiro politico arbitratus eſt ſufficere.* Nos *pro uirili parte noſtra ſingula argumenti huius ſubtilius exactiúſque perſequemur.*Condidit *omnia* Rex *naturæ, ut illis de ſuo impartiretur eſſe, quo eſſent: de ſua uerò beatitudine, ut bene eſſent, quantum quidem cuiúſque uis caperet, ac natura. ad quæ ſua aſſequenda & conſeruanda munia, attribuit facultates: ad eſſe quidem, pronitatem, ut ſe quicque ab iniuria tueatur corrumpentis,quoad eius poſſit efficere: ad bene autem eſſe, appetitum boni, auerſionem à malo, ut in bonum feratur appetitus, à malo declinet & fugiat.*Quocirca *cognitio tum ſenſuum,tum interior omnis, propter iudicandum eſt animanti addita: iudicium uerò,ad nos uel impellendos,uel retrahendos.*Retractatio *autem ipſa, boni alicuius fit gratia: quippe quæ eſt diſceſſus à malo in bonum.* Quapropter *omnia boni cauſa facimus, ſimiles* Autoris *noſtri, qui eſt optimus.*

nam & malo fugimus propter bonum, & bonum propter ſeipſum expetimus. Sed in boni electione, magni nos in uita errores uerſant. Bonum *eſt ſimpliciter, quod prodeſt ſimpliciter: bonum cuique, quod ei prodeſt. huius è regione ſitum eſt malum, quod nocet.* Bonum *ut natura eſt unum, ita etiam nobis: nempe illud quod uerè eſt tale, cuiúsque participatu nos & boni ſimus, & ea de cauſa beati. Cæterùm cæca ignorantia, multa in nos inuexit bonorum genera, in animo, in corpore, in externis: quæ non eſt hic percenſendi locus, à multis ſunt fusè enumerata atque explicata, & ſæpe à nobis alibi.* Ergo *iſtarum facultatum, quibus animi noſtri præditi à* Natura *ſunt ad ſequendum bonum, uel uitandum malum, actus, dicuntur affectus ſiue affectiones, quibus ad bonum ferimur, uel contra malum, uel à malo recedimus.* Bonum *& malum in præſentia id uoco, non tam quod reuera tale eſt, quàm quod quiſque ſibi eſſe iudicat. nam quid bonum eſſe exiſtimemus, quid malum, iudicij eſt: eóque tanta circa hæc opinionum fraus, quoniam multæ ſunt, & prædenſæ in iudicio noſtro tenebræ.* Tametſi *in hac quoque parte ſemina quædam habemus à natura ueritatis ingenita, ut antea poſuimus, ſed ea tamen admodum uniuerſalia: uelut ex duobus illis* Dei *muneribus bonum eſſe, conſeruationem ſuijpſius, & beatè uiuere. quum uerò ab hoc capite ad partes deſcenditur, multi ſtatim exiſtunt lapſus, grandia præcipitia. Sunt quidam animorum motus, ſeu impetus uerius naturales, qui ex affecto corpore conſurgunt: ut edendi cupiditas in fame, bibendi in ſiti, mœror in morbo, uel premente atra bili, exhilaratio in liquido & puro ſanguine circa cor, offenſio ad plagam. ij iudicio anteuertunt: reliqui omnes*

quant

quantumcunqúe celeres & prærapidi, iudicij ſententiam ſequuntur. non enim mouetur animus, ni præiudicatum ſit bonum eſſe, aut malum, id quod eſt obiectum: idémque in brutis uſu euenit, in quibus non ſola imaginatio parit affectum, niſi & exiſtimatio acceſſerit, quæ illis iudicij cuiuſdam locum obtinet. Sed & mentis noſtræ agitationes incitatiſſimæ ſunt, nec requirunt ea tempora, quæ utique nos facile deprehendamus atque annotemus. idcirco præuertere nonnunquam animi motus iudicio putantur. Mente ergo aliter atque aliter edocta atque inſtituta, mutantur affectus augmento & decremento, uel tolluntur prorſus, atque in aliorum uim & quaſi ius concedunt. Quæ iudicium moueant, inqúe uarias ſententias traducant, dictum eſt à nobis ſuperiore uolumine. Conſequens etiam eſt, ut eadem illa ad concitandos ſedandóſque animi motus ualeant. Sed non ſemper ad affectum excitandum opus eſt iudicio illo, quod ex rationum collatione de rebus ſtatuit: illud ſufficit, & eſt frequentius, quod imaginationis mouetur uiſis. Itaque ſola phantaſia trahente ad ſe tumultu ſuo ſpeciem quandam opinionis & iudicij, quod bonum ſit, aut malum quod eſt ei obiectum, in omnes animi perturbationes uerſamur, timemus, lætamur, flemus, triſtamur: quo fit, ut manifeſtò ad partem corporis uergant, in quo tantopere dominatur phantaſia. Quamobrem affectus omnes in præſentia in eaſdem illas qualitates tribuemus, ex quibus corporis natura conſtat: ut alij ſint calidi, alij frigidi, alij humidi, alij aridi, alij ex horum aliquibus commixti: nam humani corporis contemperatio, ex his ipſis qualitatibus efficitur. & cuiur quiſque affectus eſt naturæ ac ingenij, in ſimili corporis natura fa-

cile tum naſcitur, tum augetur: in contraria non perinde. Hæ autem corporis temperationes aliàs incitantur atque exacuuntur, aliàs comprimũtur & coercentur internis atq; externis rebus. Internæ ſunt, affectus ipſi. nam triſtitia facit frigidos & aridos, lætitia calidos & humidos. Affectus enim rationem corporis non recipiunt modò, ſed præſtant. corporis autem ſunt cibus & potus, ætates, morbi: non utiq; perpetuò, nec omnia, ſed plerunque. Hæc multum mutãt in corpore: unde etiam affectus uariantur, in ijs præcipuè qui ſe animo ſuo auferendos permittunt, nec rationis exactique iudicij clauo ſeipſos moderantur. His accedunt cogitationes crebræ, ſtudia magna, difficilia, ardua: reddunt enim melancholicos. Sententiæ quoque de rebus: ut Democritus *ſemper ridebat, tanquam in perpetuis hominum ſtultitijs atque ineptijs:* Heraclitus *ſemper flebat, tanquam in continua hominum miſeria. Hinc ſunt externa: tempus naturale, ut quatuor anni partes, & diei horæ: tum noſtrũ, quo continetur ſtatus rerũ, ſeu publicè, ſeu priuatim. locus item naturalis, noſter: quæ omnia ſunt alibi fusè explicata. In loco eſt habitatio, & ueſtitus, & comites. iam negocia & actiones intentæ, uehemẽtes, laborioſæ, delicioſæ, moleſtæ, difficiles, placidæ, leues. Cæterùm affectionum non eſt ſimplex appellatio. nam facultatem naturalem in animo dilatandi ſui ad bonum, & contrahendi à malo, affectus ſunt: & earũ actiones in animo eodem cenſentur nomine. conſuetudines quoque, quæ ex actionibus inualuerunt, quæ* ἕξεις *Græco uerbo nominãtur, hoc eſt habitus: quæ omnia tenenda erunt deinceps, ne fallamur. quod autem horum uſurpabimus, facile de ſenſu intelligetur. Et quando quidem animus erat habitaturus in corpore,*

indita

indita eſt animanti ab admirabili artifice Deo *facultas hæc affectionum,ut quibuſdam ueluti ſtimulis excitaretur animus,ne iacens penitus obrutúſque mole corporis, ueluti ſegnis aſinus,torperet perpetuò,boniſque ſuis indormiſceret,& in eo,quod illi ualde expediret,ceſſaret. itaque uarijs tanquam calcaribus hinc inde ſubinde excitatur:aliàs autem cohibetur fræno,ne ruat in noxia.* Affectuum cauſa. Homini *etiam ijdem iſti non deſunt ſtimuli ac fræni,qua parte eſt animãs,cui ſunt eiſdem de cauſis neceſſarij.* Sed *nos nimium & exacuimus hoſce ſtimulos,& grauia fecimus hæc lupata,dum leui atq; expeditæ neceſsitati immane pondus adiecimus ſuperfluitatum.* At *uerò,quemadmodum in maris motibus eſt alius auræ tenuis, alius concitatior,alius uehemens,quíque horrida tempeſtate mare omne à fundo uerrat cum arena ipſa & piſcibus: ſic in his animorum agitationibus quædam ſunt leues, quas uelut initia quædam dixeris ſurgentis motus:aliæ ſunt ualidiores,aliæ animum uniuerſum concutiũt, déq; rationis ſede, ac ſtatu iudicij depellunt, quæ uerè ſunt perturbationes,& impotentiæ:quod quaſi iam animus ſui non ſit compos,ſed in alienam poteſtatem reciderit: & cæcitates,quòd nihil deſpiciat,nam primas illas, affectiones rectius dixeris:alteras,commotiones,ſeu concitationes,quæ* Græci πάθη *nominãt, quaſi paſsiones.patitur enim animus uniuerſus illo uelut ictu & agitatu: qui quum eſt uiolentior,fit confuſio.*Qui *autem affectus uſu inualuerunt,uicia & morbi animi rectè nuncupantur:quod aptius competit in affectus prauos, de quibus alia eſt tractatio.*Et *ſunt affectus nõnulli in trãſitu,tanquã pudor ex uerecundia,metus ex inani ſonitu:alij manent,ut metus aut reuerentia diutinè confirmata:omnis* Affectuum in genere uarietas.

denique affectus,uel uſu radicatus,quique conſuetudinē frequentia actuum duxit,uel diuturna & ualida quapiā actione infixus.Sunt quidam à natura inditi,ex conſtitutione corporis:etſi longa quoque aſſuefactio in uires naturæ migrat.Affectus ut ſunt in parte animali, carni adiuncti atque adhærentes.Quo iudicium eſt contagio corporis infectius,magíſque immerſum carne,hoc ſurgunt & grauiores & plures:nec ſolum internos animi ſenſus perturbant ac peruertunt,ſed externos quoq;.Ita amantes,irati,metuentes,cernere ſibi & audire uidentur,quæ nuſquam ſunt,certè omnes qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt,inquit Poeta,quò eſt autem purius iudicium,& celſius,eo pauciores & magis leues affectus admittit:tanto ſcilicet accuratius deſpicit,quid quaque in re ſit bonum & uerum.ita fit,ut commoueatur tum rarius, tum lentius. Nam ingentes illæ agitationes & præturbidæ ab ignorantia ſunt & in cōſideratione,aut à falſo,quòd bonum malúmue maius cēſemus eſſe quàm reuera ſit:nimirum per nebulam intuētes imperitiæ,nec in unum aliquod bonum,quale oportet, intenti ac defixi agimus:ſed bonorum & fines & media plurima & uaria nobis præſtituimus,quæ ſubinde locis occaſionibúſque mira inconſtantia permutamus.Adde quòd nō conſiderantes ſurgentem motum,nec nos habentes in noſtra poteſtate,obijcimus nos ipſi tempeſtati auferendos, non quò ipſi uolumus,ſed quo ei libuerit, quúmque non ſtatuto mētis iudicio res aggrediamur & obeamus,ſed arbitratu Naturæ:tantum commouemur,quantum Natura poteſt,ſunt enim actiones naturales non ex limitibus uolūtatis noſtræ,ſed ex facultatis cuiúſq; ſumma ui ac potentia.Multò ſunt omnia in ſapiēte diuerſa,is enim

nec in

nec in eligendo bono fallitur, & unum aliquod ſibi proponit, paucáſque ad illud uias, eáſque exploratas ac certas: nec permittit ſe regendum negocijs, ſed regit ipſe negocia: habétque ſe in ſuo iure ac poteſtate, ut ſurgentem ui naturæ affectum, ſtatim rationis fræno compeſcat, cogátque recto iudicio cedere.

ENVMERATIO AFFECTVVM.

Motus omnis animi de bono eſt, aut de malo, quatenus contrarium eſt bono, éſtque uel ad bonum, uel à malo, uel contra malum. Bonum autem & malum, *uel præſens eſt, uel futurum, uel tranſactum, uel poßibile. abſentia boni pro malo eſt, mali autem pro bono.* Bonum *ſimulátque eſt menti cognitum, allubeſcit continuò: primáque eſt ea uelut ſurgentis motus aurula, quæ* Allubeſcentia *nuncupatur, ea uerò confirmata, fit amor.* Motus *autem de bono præſenti, quod ſumus aſſequuti, lætitia: de bono futuro, cupiditas nũcupatur, quæ intra amoris limites includitur.* Primus *motus de malo eſt* Offenſio, *allubeſcentiæ contraria: quæ confirmata, fit odium: de malo præſenti mœror, de futuro metus.* Motus *in malum præſens, ira, inuidia, indignatio: in malum futurũ, fiducia & audacia. Sub amore ſunt, fauor, reuerentia, miſericordia: ſub lætitia, delectatio: ſub cupiditate, ſpes: ſub mœrore, deſiderium.* Superbia *monſtrum eſt ex multis mixtum, ex lætitia, & cupiditate, & fiducia.* Extendunt *ſe hi omnes affectus ad præteritum: itaque & odimus, & amamus, & miſeramur iam olim uita functos. ad poßibilia etiam, & ad tanquam præterita: ſicut in fabulis, quas eſſe falſas ſcimus. & ad futura, tanquã præſentia: iam nunc odimus* Antichriſtum, *& tanquã futura: ut*

ra: ut ſi narretur fabula, fore aliquem uirum uirtute & magnitudine rerum geſtarum præſtantiſsimũ, amamus. & ad præterita, tãquam futura: ut quum hiſtoriam legimus, tenent ſuſpenſum animum ſpes ac metus, quẽ tandem exitum res capient. Illud annotandum, quoniã affectus ſunt animorum motus, uel actu, uel poteſtate ac ui, non haberi pro affectibus æquanimitatem, & tranquillitatem cordis, ut mãſuetudinem, ſecuritatem: quippe quæ non ſint motus. nec opera effectus nuncupari, nec naſci ex iudicio, contrà quam Stoicis placuit: ſed eſſe naturalia, prout quiſque eſt animo habitus: ut fletũ in mœrore, exanimationem in metu, exultationem & geſticulationem in lætitia immodica. Affectuum alij ſunt natura ſua ualidi, ut amor atque odium: alij de cauſis extrinſecus illis additis, ideſt foris aduenientibus. Sed omnes tamẽ ex conſtitutione corporis præcipuas nanciſcuntur uires, ſicuti dudum dicebam. In affectibus, quemadmodum affectuum inter ſe alij ex alijs facilè ſuppullulant, ita & alij ab alijs coercentur, & reſtringuntur. Ex amore inuidia oritur, & odiũ atque ira: ſi quis rem charam oderit, aut læſerit, ſicut ex iracundia cupiditas ultionis, & lætitia uindictæ, & ſi quis quid amat, euenturum cupit, & ſperat, ut eo potiatur: non euenturũ timet. ſi eueniat, lætatur: ſi non eueniat, quum cogitabat atque expectabat, in mœrorem ſe abijcit. Viciſsim magna lætitia mœrore diluitur, inuidia à miſericordia, uel metu: & alio mœrore premẽte, alius maior aufertur, uel metu dolor, aut ægritudo, ut in pugna, & præſenti diſcrimine, currit enim claudus, hoſte urgente. Itaque ſunt hæ tempeſtates inſtar undarum & fluctuum, quorum ſequẽs modò priorem auget, aliàs minuit, & opprimit. Nec ſecus

Origo & pugna affectuum inter ſe.

quàm

quàm in ciuili diſſenſione, nemo meliori auſcultat, ſed potentiori: ita in diſſenſione affectuũ, nullus iuſtiori paret, ſed ualentiori, illi ſcilicet qui ſui iuris uniuerſum animum fecerit, cuiuſmodi eſſe incitatus amor conſueuit. nam quòd quis ob metum cedit uictori aut latroni fortunas, uxorem, liberos: id facit, quia plus amat ſe quàm illos. nanque qui contrà mauult mori in ueſtigio, quàm aliquid tale perpeti, & qui hoſtem ex odio, uel inimicũ ex iracundia, uel inuidioſum ex inuidia acriter perſequitur, & acerbè accipit, etiam cum ſuo magno diſcrimine hoc facit: quia ſemetipſum amat uehementiſſimè, & in eo ſibi obſequitur, atque adeò indulget, imò uerius ſeruit. nam qui ſeipſi non tam tenerè diligunt, minus ſunt in aſperitate actionum pertinaces, nec tanto rapiuntur impetu ad explendas animorum cupiditates.

DE AMORE.

QVod bonum eſſe iudicatur, ſimulac uoluntati eſt oblatum, mouet eam continuò, & allicit ad ſeſe congruentia quadam naturali: qualis eſt ueri cum mente, formoſi cum oculo. Motus hic uoluntatis, eſt exhilaratio illius quædam, & tanquã frontis exporrectio atq; arriſus, quo uoluntati placet illud quaſi bonum, & ſibi congruens: Allubeſcẽtia ſit nobis appellata, quam exterioribus ſignis teſtantur muta, ſaltibus, uocibus inconditis, adulatione: homo uerò placiditate uultus, exporrectione ſupercilij, exhilaratione, riſu. denique tam homo quàm bellua ad primum boni cõſpectum deponit feritatem, ſi quam habet, & incipit illi admanſueſcere. Allubeſcentia confirmata eſt amor, hunc licet intelligere uoluntatis ſiue inclinationem, ſiue progreſſum ad bonum,

num, exit enim uoluntas obuiā bono uenienti, ut id complectatur: unde naſcitur coniunctionis expetitio, quæ ſi propter nos eſt, ut per bonum illud bene ſit nobis (imò uerò nō alia de cauſa iudicatum eſt bonum, quàm quod nobis conducibile, benéque eſſe nobis per illud poteſt) amor hic Cupiditas, ſeu concupiſcentia nūcupatur, quæ duas habet partes. nam ſi bonum expetimus, quod nondum poßidemus, de futuro eſt, uocatúrque deſideriū, ſin de eo quod conſecuti iam ſumus, in præſenti nominatur appetitus conſeruationis, ſeu retentionis. Hunc in modū *diligimus omnia quæ utilia eſſe exiſtimamus, aut iucunda animo, corpori, fortunis: quin & Deum hac ratione non pauci, quòd autor largitórque ſit ingentium bonorum.* Eſt *quum res propter ſeipſam amatur, quia in ſe bona, detracto reſpectu omni noſtrarum utilitatū.* Verus *eſt hic & germanus amor, qualis amicorū inter ſe, cuius ſpecimen omnium manifeſtißimè conſpicimus in parente erga filium.* Ex *amore amicitia naſcitur, quum id quod amatur, redamat, & reciprocatio eſt in beneuolentia.* Bonum *hoc, in quod amor fertur, non extantis eſt modò temporis, ſed in tranſactum recurrit: ut erga uiros ea uirtute inſignes, quam nos plurimi æſtimamus, & quæ in uēturum ſe porrigit: adde etiam ad res fictas & fabuloſas, propter imaginationem ueritatis, de quo ſuprà diſſerebam.* Bonitas *ex operibus colligitur.* Bonos *cenſemus eos qui probè ſunt officio ſuo perfuncti erga* Deum, *patriam, parentes, principem, herum, amicos, liberos, neceſſarios, propinquoſ, familiares, ſocios, ciues, peregrinos: quæ officiorum ratio in humano genere patet latißimè, quando (ut rectè eſt à* M. Tullio *ſcriptum) nulla uitæ pars ſeu publica ſeu priuata, carere poteſt officio.*

ficio.Habentur pro uiris bonis,qui quàm plurimis profuerunt,proſunt, proderunt. Et quia unuſquiſq; ſibi eſt chariſsimus,amat eũ qui ipſi benefecit, aut ijs quos ipſe amat:ut filijs,aut amiciſsimis,amor enim omnia reddit unum. Nam qui nobis,aut ijs quos habemus beneuolẽtia coniunctos,profuit,eum ritè fungi ſuo officio ducimus, & bonum eſſe uirum,qui amet,quod amari eſt dignum. Quiſq; enim uidetur ſibi & bonus,& dignus qui ametur,nec conſeruare ſe ac tueri cuperet,ni hunc in modũ eſſet affectus.etiam qui ipſe ſibi manũ uiolentã adfert, charitate ſui hoc facit,ut ſe uel urgentibus uel impendentibus malis ſubtrahat. Ex hoc amore noſtri oritur amor erga filios noſtros,tanquã partẽ noſtri:erga conſimiles,erga opera noſtra. Similitudo enim amoris eſt cauſa,tanquam in alterũ ipſum:quoniã ſimilitudo id em quodammodo efficit,eóq; animãtes omnes ad ſimiles ſibi formas facilè aggregantur,& pueri cõplectuntur ac deoſculantur ſpecula,in quibus imaginem ſui aſpiciunt, quoniam ineſſe intus arbitrantur puerulũ aliquem,ſibi ſimilem. Quantam exiſtimari cõuenit fuiſſe illam amoris flammam,quæ in animo Adæ ad primum Euæ conſpectum excitata eſt?in qua ille uelut ſemetipſum eſt intuitus,aſpectu nouo penitus.Sed ad amorem conciliandum fortior eſt animorum ſimilitudo,quàm corporum. ea uerò ex eadẽ conſtitutione corporum exiſtit,& pari proportione contemperationis,ex eiſdem ſtudijs doctrinæ,perſuaſiõibus,uitæ inſtitutis ac moribus. Vſus quoq; & aſſuefactio animũ animo adaptat:unde amicitiæ inter conſanguineos,neceſſarios,ciues,condiſcipulos,conſectaneos,familiares,domeſticos. Eſt in quibuſdã hominum admirabilis animorũ congruentia,quæ illos occulto quo

*to quodam naturæ concentu ſtatim coniungit nexu uo= luntatum,ut quos antea nunquam uideramus, ad primũ conſpectũ diligamus:ſicut contrà inconuenientia & ad= uerſitate quadam animorũ,auerſamur & odimus quoſ= dam prorſum ignotos:alios etiam de nobis bene meri= tos,adduci nullo pacto poſſumus,ut bona fide diliga= mus.*Non *tam eſt hæc interdum ſimilitudo temperamẽti corporei,quàm competentia quædam animorũ inter ſe, ad conſtituendam harmoniam,qualis eſt ſonorũ in con= centu muſico,& proportionis humorũ in ſano corpore, ut alter alterũ non propter ſimilitudinẽ appetat, ſed ob proportionem:quo quaſi abſoluta fiat ea coniunctione harmonia,& gratus quidam exiſtat ſonus,idem ſcilicet uelle,& idem nolle,quo fit,ut non rarò homines diuer= ſiſsimis ingenijs,maximéq; contraria corporũ conſtitu= tione,firmiſsimas tamen inter ſe colãt amicitias.*De *hoc amore meritò* Plutarchus *inquit, neſcias unde uenerit, aut quomodo irrepſerit.*At *quemadmodum ex operibus interiorẽ bonitatẽ iudicamus,ſic imaginem animi exiſti mamus eſſe faciẽ:hac de cauſa formoſos naturaliter di=*

Forma amoré conciliat.

*ligimus.*Formo*ſa facies,inquit* Mimus, *muta commen= datio,niſi fortè experti ſumus improbũ animum,& tan quam deformem hoſpitem habitare in formoſo hoſpi= tio:commendabilior eſt facies nõ adeò ſpecioſa,ut ue= nuſta & grata,atq; in modeſtiã ac moderationẽ com= poſita:hoc uidelicet certius eſt animi rectè cõſtituti ar= gumentum.*Sed *ſunt tamen cauſæ aliæ,cur amorẽ ad ſe pulchritudo attrahit,ut paleas ſuccinum:quas ex* Pla= tone & Platonicis *deſumemus.* Nã *ut mũdus per amo= rem ex informi factus eſt non formatus modo,ſed for= moſus quoque:ita & amor infuſus per mundum,ad pul=*

chritu

chritudinem rapitur, ut ſit fonti illi unde deriuatus eſt, conformis. Adde quòd pulchritudo omnis, uelut radius quidam eſt, & ueſtigium immenſæ illius ac diuinæ pulchritudinis, eóque pro magno bono accipitur, illámque admiramur. & quemadmodum diuina ſpecies ueros amores elicit, ita imago illius imaginem quoq; amorum. Quid quòd pulchritudo corporum, pulchritudinem noſtrorum animorum refert, atque exprimit, & quaſi proponit ob oculos concinnitate, elegantia, proportione, concentu ſeu harmonia? Perfectio enim interior, perfectionem exteriorem gignit. illa uocatur bonitas, hæc pulchritudo: quæ ueluti flos quidam uidetur eſſe bonitatis, quaſi ſeminis ſui. unde eſt illa Græcorũ καλοκαγαθία. Itaque animus noſter in formoſitatem tanquam in ſimilem propendit, in qua non ſine admiratione ac beneuolentia corporaliter expreſſum cernit, quod ipſe ſpiritaliter à Deo tributum poßidet. Conſimilem ergo naturam amplexatur animus: aſpernatur deformitatem, tanquam dißimilem, & à ſe alienam. Eſt enim in animo cuiuſq; ſpecies quædam uel à natura, uel ab arte, uel à conſuetudine depicta, bonitatis ac pulchritudinis, uel contrà maliciæ ac deformitatis. Pictura rei exterior picturam illam interiorem cõtingens, ſi congruit cum noſtro bono & pulchro, amatur: ſin cum malo & turpi, reijcitur: Vnde exiſtit tanta in iudicijs boni & mali, pulchri & deformis uarietas, & diſſenſio. Hanc animorum congruentiam cum corporibus, licebit intelligere ex opere, & operis imagine in opificis animo. His accedit, quòd bonitas autoris omnium, adduxit illum ad creationem huius tanti operis. pulchritudo autem radius eſt bonitâtis, per uniuerſa diffuſus: ut quicque plurimum eius accepit,

ximus & ardentiſsimus eſt in Deum, ſi quis naturam illam beneficentiſsimam ritè contempletur. Amor omnis, qui originē ex debita gratia ſumit, eo eſt flagrātior, quo uel nos minus ſumus remunerati, uel qui profuit, minus expetiuit, aut expectauit: quo in numero præcipui ſunt parentes humani, ſed omnes excedit Chriſtus. Pro beneficio eſt malum auertiſſe, ac depuliſſe. ſicut pro maleficio, impedimentum atque obex boni. Sed non eſt purus amor, & uerus, quouſque utilitatis reſpectus omnis ſit abolitus. & quemadmodum amatur beneficus, ita & benefaciens amat eum cui profuit, non ſecus quàm opus ſuum: ut filium pater, & magiſter diſcipulum. Quin etiam plerunque euenit, ut iuuantis & benefacientis charitas ſit ardentior, quàm eius qui uſus eſt beneficio. amor enim illius eſt ex bonitate, huius ex neceſsitate. in illo eſt decus & gloria, tanquam in maiore & potiore: in hoc autem uelut inferiore, quidam (ut ſic dixerim) pudor. Ergo fortius habet & præſtabilius amoris principium, benefaciens: nempe uoluntatem ſuam, & bonitatem. amor autem ut eſt de bono, facilius & fortius proficiſcitur ex bono in bonum, quàm ex neceſsitate in bonum. benefaciens agit, quia uult: qui recipit autem, quia eget. rectéque illud dicunt uulgo, Amorem etſi naturæ igneæ, deſcendere, non aſcendere. Magis amat parens filium, magiſter diſcipulum, tutor pupillum, quàm contrà: maximúsque & ardentiſsimus amorum omnium eſt Dei erga nos, quem ſapientiſsimè diuus Ioannes non amantem, ſed amorem ipſum nominauit. & Dionyſius in Sacris nominibus: Confidenter id quoque ueriſsima ratione dicemus, quod ipſe Autor omnium pro bonitatis magnitudine omnia amat, omnia operatur, omnia per-

Purus amor, ſine mercede.

ficit, omnia continet, conuertítque ad ſe omnia. Verùm inter omnia quibus amor elicitur, nihil eſt amore fortius, ac ualidius: nihil amorem æquè conciliat, ut amor: nulla certiora ſunt aut potentiora philtra. Hoc non fit uerbis, inquit ille in Epigrãmate: Marce, ut ameris, ama: modo uerè tamen, ac bona fide. nam ficta & ſimulata nihil obtinent uirium ac neruorum. Ignis in tabella pictus non calfacit, nec rugit aut ſæuit leo marmoreus. Hæc amoris reciproca generatio, ſiue occulto quodam naturæ tactu accipit ſemina, & deuinctiõe illa rerũ omnium inter ſe, quod nõnullis philoſophis placuit, ita ut ſi unum aliquod attigeris, paria & ſimilia moueãtur, ut in chordis teſtudinis: ſiue quòd, à quo nos amari cognoſcimus, hunc bonum eſſe uirum arbitramur, debitúmq; officium congruenter exequi, qui quod amandum ſit amet: eáque de cauſa, ut bonus redamatur. qua de cauſa ſæpenumero amans nòn redamatur, quòd amatus amari ſe non ſentit. Platonici rei huius altius radices inquirunt. aiunt enim, magnam amoris parentem eſſe ſimilitudinem, propterea quòd quum quiſque ſit ſibi ipſe à natura cõciliatiſsimus, ſimilitudo autem eſt ceu natura quædam in pluribus eadem, alterum ipſum ſimilitudo efficit. quòd ſi tu ſis mei ſimilis, ego neceſſariò ſum tui: hinc ſequi, ut quæ ſimilitudo te ut me ames inducit, eadem ipſa me ad te amandum adducat. Accedit huc, quòd amans amati faciem atque imaginem in animo ſuo inſculpit ac imprimit, qua de cauſa amantis animus ſpeculum quoddam redditur, in quo amati relucet forma. Quum ergo amatus in amantis ſeſe animo intuetur, & recognoſcit, amare illum compellitur, in quo quaſi ſe habitare intelligit, quemadmodum infãtes imagines ſuas in ſpeculis deoſculantur. Ad

hæc

hæc amans ſemetipſum ſibi aufert, & dedit ac mancipat amato. hunc ergo iam amatus, ut rem ſuam, charam habet, curátque. Si conſpici à nobis uoluntas ipſa poſſet, ex ea de amore iudicaremus: quod ſolus facit Deus, ſcrutator cordium. Sed quoniam uoluntas noſtra magnis & multiplicibus eſt inuolucris contecta, ut ad eum nec oculorum nec mentis noſtræ acies penetrare ualeat, ex operibus de illa ſtatuimus, prout ſunt hæc magna, crebra, gratuita, prompta. Quòd ſi quis non potuit opera præſtare, at dedit ſanum & præſens conſilium, declarauit ſe conari uel tentando, uel manifeſta indicatione affectus alicuius, qui uoluntatẽ patefecerit, ut ſi quos ipſi odimus, oderunt: amant, quos amamus: iraſcuntur, quibus iraſcimur: lætantur in noſtra lætitia, triſtantur in noſtro mœrore, & lachrymas dant, quæ ad manifeſtationem interioris habitus uoluntatis prænalidæ ſunt. Ergo qui nobis obſequuntur, qui laudant noſtra omnia, quibus boni uiri uidemur, eos dignos amore atq; amicitia noſtra ducimus (obſequium amicos, ait Comicus, ueritas odium parit) qui curant noſtra oblectamenta, qui auertunt triſtia. Contrà autem, reprehenſores, & in contrarium tendentes, quíque nos pendefaciunt, auerſamur & deuitamus. nam in illis idem uidetur affectus ineſſe, in his contrarius ac repugnans, ijs quidem qui ſpecioſa utilibus præferunt, aut uanas delicias ſolidis & manſuris emolumentis: quales ſunt adoleſcentes, & uiri uoluptatibus aſſueti, quibus gratior eſt leno, aut ſcurra, aut aleator, aut corruptor bonorum ingeniorum, quàm uir ſapientiſsimus & prudentiſsimus. nimirum mauult ſus lutum, quàm amaracinum. Ab omnibus amorem impetrant ſimplices illæ & manſuetæ uirtutes, æquitatis, mo-

deſtiæ,moderationis,frugalitatis: ſiue ob innoxiam excellentiam, ſeu quòd inferiorem omnes amplectimur,ſuperiore grauamur,ſpecie quadam libertatis,quæ in deprauata Natura tanquam ſolo uiciato in arrogantiam degenerauit. Accedit huc, quòd modicis, & moderatis, & blandis, & mitibus, atque obſequentibus exiſtimamus nos bonos uiros uideri, honore & beneuolentia dignos:grauibus autem,cenſoribus,caſtigatoribus,multò ſecus. Inter manſuetas uirtutes eſt ſobrietas, taciturnitas: tales diligimus. minimè autem loquaces, aut futiles, aut in malis amicorum ſcrutatores, quæ improbi homines non ad ferendam opem inquirunt,ſed ad curioſam quandam cognoſcendi auiditatem,plerunque etiam ut habeant quod cum notis poßint garrire,ac arrodere. de quibus eſt illud Horatij:

Percunctatorem fugito,nam garrulus idem eſt.

Hi ſunt inquirendis familiarium damnis uehementer ſolliciti, in proſperis uerò remißi ac ſecuri. Aptos quoque ad amicitiam remur, qui iniurias facile uel obliuiſcuntur, uel remittunt. ut rurſum odioſi ſunt,qui recordari præ ſe ferunt. His accedunt, qui beneficia non exprobrant. Illius quoque amicitia ualde expetitur, cuius ſit erga amicum fides ac beneuolentia ſpectata: quemadmodum Dionyſius Siciliæ tyrannus tertium ſe addi optauit amicitiæ Damonis & Pythiæ, philoſophorum de ſchola Pythagorica, quorum monumentis literarum celebrata eſt fides in capitis periculo. Et ut iucundi ſunt anteacti labores: ſic etiam illi iucundiſſimi, qui in ipſis laboribus nos non deſeruerunt,ſed adfuerunt pro uiribus. unde illud, Amicus certus in re incerta. Ex quo affectu Dominus noſter dicit ſuis diſcipulis:

ſcipulis: Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in afflictionibus meis. Quos metuimus, amare non poſſumus: ut uiros potentes, non item bonos. & prudentia ſine iuſtitia, ſuſpecta eſt: aſtutia enim, & fraudulentia cenſetur. Fiducia de aliquo ex eadem pullulat radice, qua & amor, nempe iudicio boni. Itaque amor auget fiduciam, & fiducia naſcenti amori multum adminiculatur. Eſt amor affectus calidus, & in calidis conſtitutionibus atque ingenijs facile concipitur: tum circumſtantijs calidis, loco, tempore, actionibus. Sed plerique calidorum leuibus de cauſis amorem deponunt: partim quia facile offenduntur, partim quòd ſubeunt affectus alij, uelut ſpinæ, quæ amorem præfocēt: inuidia, ira, ſuperbia. Tranſeunt quoque ex lubricitate ac leuitate ad alios amores, qui priores excutiunt. Quòd ſi ſanguis ſit tenuis, & ſpiritus rari, extinguitur leui motu flamma, in leui materia concepta. Sin uerò denſa ſit materia, & firma, nec facile mutationibus cedens, in calida contemperatione ualidiſsimè amor dominatur: niſi quòd periculum eſt ab alijs præferuidis affectionibus, ira & arrogantia & inuidentia. Minus offenduntur temperati, & ſanguinei, eámque ob cauſam amorem diutius & fidelius conſeruant. eſt enim in his amor non tam ardens quidem, ſed plus tamen habens fomenti. Priores illos ceu ſtupas quaſdam dixeris, hæc ligna. impetus quidē in illis maior eſt, in his perſeuerātia. Videre eſt iuuenes amicos, quorū alter pro altero uitam euidenti diſcrimine obiecerit, quod pater uix auderet pro unico ſuo, & quidem ex uulgari amicorū nota: ſed ſtupa eſt hæc ſubita flamma correpta. patris autem amor maior eſt, ſolidior, diuturnior. Frigidi ergo lentius amant, & ſegnius: ſed ſi in eis

ſemel amor eualuerit, amant flagrantius & conſtantius. accenditur uidelicet denſa & ſicca materies, magnus diutinúsque igni fomes, ut ferrum.

CVPIDITATES.

CVpiditas eſt appetitus boni, quod conducibile uideatur, uel aſſequendi, ſi abſit: uel conſeruandi, quum adeſt. Conducunt bona partim ad eſſe, partim ad bene eſſe. Ad eſſe pertinent, neceßitates uitæ tuendæ ac propagandæ, quæ naturales nuncupantur, cibus potio, medicina, ignis, tectum, indumentum: qui appetitus potius dicuntur, quàm cupiditates, in quibus impetu rapitur animus tacito naturæ ſtimulo punctus, atque incitatus tranſilit iudicium, neq; illi auſcultat. ut in ſiti, & fame, quæ ideo maleſuada dicitur: & in prægnantium appetentijs, quæ picæ nominantur. Vt bene autem ſit nobis, accerſimus tum commoditates, ut cibum aptè paratum, uinum uel ceruiſiam in potionem, lanam & linum textum, adiumenta extrinſecus à beluis & hominibus: tum uoluptates & delicias per ſenſus omnes, quæ longius petuntur. Nos alia confinximus, ut nobilitatem, decus, famam, dignitatẽ, opes, gloriã: & hæc omnia non ſolùm numero, ſed ingenti mole ac magnitudine adauximus. unde examen erupit cupiditatum, ſine termino ullo, ac modo: ut meritò Plinius Secundus dicat, nulli animantium libidinem eſſe rerum omnium maiorem, quàm homini, quum alioqui paucißimis indigeat. Homini cupiditas eſt aſtructa, ut quod bonum ſibi eſſe credat, expetat, ſequatúrque: adeptus uerò, retineat, & conſeruet. Bonum autem hominis uerum & ſolidum, eſt Deus. itaque uſque ad Deum concupiſcendum ſe extendit, qui

quoniam eſt immenſus,fit ut & cupiditatis quoque noſtræ laxitas immenſa ſit,nec re alia expleri queat, præterquam Deo *ipſo,ibi demum ſiſtit,& conquieſcit.Quò res nobis uidetur conducibilior,hoc acrius expetitur, & diligentius aſſeruatur.Sed in conducibili uariãt hominum ſententiæ.Iuuenili animo conducibiliſsimum uidetur uoluptas,uiro decus,ægro ſanitas,ſeni uictus,principi gloria,cuiq; ut eſt uel corpore,uel animo affectus: de quo ſuprà diximus.Calidi acutas habent cupiditates,& uehementes,& quas celerrimè uellẽt expleri:ſed mirabiles & uarias,ſicut de amore diximus,frigidi autem,pauciores & ſegnes,ſed pertinaces,intenti in illam unam,quamcunque ſibi delegerunt,uel quæ animum inflammauit.fiducia cupiditates minuit,timor auget.Qui ſecuri ſunt,non defutura quæ ſint opus,ij nec in parãdo, nec in conſeruando ſunt anxij,uelut adoleſcentes, & uiri animoſi & ebrij, quibus multus & præferuidus eſt ſanguis circa cor.adde etiam neceſsitatum inexpertos: & qui quemadmodum uel acquirantur utilitates,uel amittantur,ignorant.Qui uerò metuunt ne deſit, auidè tum quærunt,tum cuſtodiunt:ut inualidi,ægri,mulieres, ſenes:denique quibus ſanguis eſt ad cor exiguus, rarus, tepidus.naturaliter enim hi anxij ſunt & ſolliciti,ne deſit,haud quidem argumento aliquo,uel coniectura uenturæ neceſsitatis,ſed metu & ſollicitudine premẽte cor, quo fit,ut ex lautiſsima & profuſiſsima iuuenta naſcatur ſæpenumero ſenectus præparca nimis & ſordida: & qui ſani ac ualentes erant liberales,in morbo attendant ad rem nimis abiectè,ut cibos quoque ſalutares auerſentur,ſi carius ſint empti quàm uellent,ſobrij quoq; auari liberales fiunt,ubi incaluerunt mero.Præter hos*

omnes,qui quod concupierant non abſque difficultatibus ſunt adepti,arctius id retinent:ſeu timore ſuſcipiẽdi rurſum laboris,ſeu quòd ægrè parta chariora ſunt,quaſi magno empta,ut gnauo & laborioſo negociatori ſua pecunia,matri filius:& nos Chriſto, qui redemit nos uniuerſo ſuo ſanguine.Sicut uiciſsim,quæ facilè obuenerunt,negligũtur:ut ferè hæreditates.Ad aſſequẽda quæ concupiſcimus,addita eſt homini cura, & ſollicitudo, & audacia:ad retinendum autem,& cuſtodiẽdum, metus & cautio, & contra nocumentum inuadens audacia.Cupiditates acceperunt ex rebus nomina particularia:uelut ex ære auaritia,ex honore ambitio, ex guſtu gula,ex Venereis libido,& alia quæ ſunt infinita,& ſua cuiq; genti ac linguæ,in quo Græci copioſi ſunt.Sed potiſsimùm annotantur ea in uſum uitæ,in quibus uel uitium uerſatur,uel uirtus:ſicut de pecunia,& honore ac dignitate,quæ ſunt iuſtitiæ,de guſtu & tactu,quæ continentiæ: de cognoſcendo & ſciendo, quæ curioſitas. Nam indifferentia, ut cupiditas equorum, uenationis, ſpectaculorum,& alia, infinita ſunt:ideóque ſub artis præcepta non ueniunt,neq; ullum fuerit ea perſequi operæ precium.

DE VTROQVE AMORE mixtim.

Dicamus nũc de amore in genere.nam falſus fictúſque cupiditatis amor, uerum amorem actionibus ſuis crebrò æmulatur, atque exprimit. Gignitur amor omnis ex bono,& in bonum tendit, boni autem natura fert,ut cum eo cupiamus coniungi, propter illius congruentiam nobiſcum:unde exiſtit delectatio, & beatitas.Id

tas. Idcirco *amoris meta extrema eſt, coniungi uſq; ad unitatem, quoad eius effici poßit, quò uerò uincitur ar-ctius, & in eandem eſſentiã, hoc amor uerius perfectiúſ-que finem ſuum nanciſcitur, & in abſolutionem cõſiſtit ingenij ac naturæ ſuæ.* Scitè *admodum & aptè à* Plato-*ne ficta eſt fabula, quòd quum* Vulcanus *duobus inter ſe amiciſsimis occurriſſet, quíq; amoris mutui magna ede rent ſigna, delectatus illorum inter ſe beneuolentia, iuſ-ſit ab ſe petere donum* Dei *munificentia dignũ.* Cui *re-ſponderunt illi:* O Vulcane *faber deorum, oramus te, ut tuis iſtis inſtrumentis & camino refingas nos ambo, & ex duobus unũ facias.* Ergo *cõiunguntur homines pro-pter communia commoda, quibus eadem ſunt profutura & noxia, ad illa conſequenda, hæc autem depellenda, modò ne impediant inuicem: alioqui offenderentur ci-tius, & reſilirent, huiuſmodi ſunt, qui communes habẽt inimicos: de quibus eſt uetus uerbum,* Coniungunt *homi-nes mala, tum qui eadem uehuntur naui, quique eandem urbem incolunt, qui eidem nauigio cõmiſerunt ſuas mer ces.* Eſt *amor precij, quo maxima bona plurimi facimus, & maximas utilitates: & ex utilitatibus, ut quanq; plu-rimi æſtimamus, ita habemus chariſsimam, ac proinde qui eam nobis procurat, hunc magnopere diligimus.* Iu-*ueni uoluptates atque oblectamenta corporis ſunt bona præcipua, ſenibus opulentia, alijs ſanitas, alijs honor, fa-ma, decus, gloria, ut* Romano *exiſtimatiores gratioréſ-que, qui fines dilatarunt imperij, quàm qui ad uirtutem iuuenes ipſorũ formauerunt, & uulgus eas uirtutes ma-gis diligit, quæ in commune proſunt: ut humanitatẽ, iu-ſtitiam, affabilitatem, liberalitatem, commoditatẽ, ſim-plicitatem: quàm reconditas illas, quamlibet uenerabiles*

& admi

& admirabiles, animi magnitudinem, conſtantiam, firmitatem, integritatem, ac ſanctitatem uitæ. Itaq; *fauorabiliores erãt populo* Rom. Pompeius *&* Cæſar, *quàm* Marcellus *&* Cato, *etiamſi hic uenerabilior. hac de cauſa uirtutes quæ alijs profuerunt, propter earum ſimilitudinem quæ nobis proſunt, beneuolentia proſequimur: ut pietatis officio eſſe functum erga patriã, parentes, propinquos, neceſſarios: ſeruaſſe fidem, etiam hoſti datam, quod fecit* Attilius Regulus. *Auerſamur autem officij negligentes, aut immemores, uelut ingratos, impios, inhumanos.* Rex Alfonſus *Aragonius quum eſſet multis* Neapolitanorum *procerum inuiſus, & potiſsimũ* Andegauenſi *factioni, diligi eſt cœptus, poſtea quàm deprehenderunt eum uenantem in ſylua, adiuuiſſe ſua manu carbonarium, aſinum ſuum in foſſam delapſum ſubleuantem.* Sed *in amoris æſtimatione non eſt ſimplex ratio, eſt enim precium aliud perpetuum & fixum, aliud quod præſens animi motus ſuadet ex eo, quod nobis in præſentia bonum uidetur, ſiue in utilitate, ſiue in ſpecie à nobis ficta. Longè pluris ſanitatem facio, quàm cibũ, uel condimentum menſæ appoſitum: impetus tamen me rapit, ut cibum non perinde ſalubrem ac ſapidum comedam cum iactura ualetudinis. in quo facto aut non uenio in comparationem reputationémque ſaporis & ſanitatis, uel ſpero non tantopere fore damnoſum corpori, aut me facilè adhibiturum remedium.* Eodem *modo multi uiri haudquaquam mali, detrimentum faciunt diuini fauoris, propter aliquod in rebus uitæ compendiũ: nunquam id admiſſuri, ſi quid agerent, conſiderarent. ſed uel ſubit animos eorum obliuio ingentis boni, uel ſe id recuperaturos confidunt. Amoris uires atque actiones hæ*

nes hæ propemodum ſunt. Primùm *uoluntas eſt, animi uniuerſi dominatrix & rectrix, uoluntatis amor. rapit enim illam amor ad ſuum bonum, qui motus eſt omnium incitatiſsimus: quoniam celerrimus per ſe, & in præcipiti uoluntatis. naſcitur enim & gliſcit uolente ipſa ac libente, ut tanquam impelli uideatur per pronum, quocirca affectionum omnium amor fortiſsima eſt, & potentiſsima, ut meritò ſit illud conſenſu tot ſeculorum approbatum,* Amori *cedere omnia, tãquã uictori.* Et *alioqui ſi quis ſubtilius perſcrutetur, ex amore inueniet, quemadmodum antea dicebam, affectus omnes proflue- re. ſequimur, & concupiſcimus uidelicet, quæ amamus: fugimus & odimus contraria ijs quæ amamus, ut morbum, quia diligimus ſanitatem: dedecus, quia diligimus decus: ideóque qui non norunt bona, nec ea diligunt, neque ijs aduerſa mala uel oderunt uel reformidãt, ut pueri gladios, aut præcipitia: & ille* Satyrus, *qui cum igne uolebat ludere, nunquam antea ſibi uiſo, ignarus nocumenti illius.* Nec *reformidant rudes homines ignorantiam, nec uiri mali ſua flagitia: grauiora mala, quàm quibus corpus affligitur, quoniam quantum ſit & ſcientia & uirtus bonum, nec nouerunt, neq; conſiderant.* Et *ſicut amor ex iudicio pulchri aut boni ſurgit, ita ubi uires eſt nactus, idem ipſum iudiciũ confirmat: ut iam amplius ſtatuere nõ poßit de bono aut pulchro, quod amat, niſi uehementer ſit immutatũ, & adeò ſubitò, deprehendi ut mutatio in deterius nequeat. nam ſi lentè ac paula tim cõmutetur, opprimitur mutationis ſenſus ſub amoris potentia uiolenta.* Poſtea *uerò quàm amor latè per animum extendit regnum ſuum, tranſit quoque eadem cenſura ad alia, ut bona iam & pulchra amãti in amato ui*

to uideantur,quæ non uidebantur prius,unde amor cæcus dicitur.Eóque amans ſemper animum ſuũ & amati bona auget,& uicia uel deformitates extenuat. Strabonem, inquit Horatius*, appellat pater filium pætum:& pullum,malè paruum:hunc uarũ,diſtortis cruribus.Patres noui,qui inſignes filiorum deformitates,& quidem in oculis & facie,iurarint ſe nũquam animaduertiſſe, alios,qui rectiſsima eſſe omnia,maximéque decentia affirmarent,in notabili prauitate.Hinc fides erga ea quæ amatus dicit.habet hic enim in amantis animo iudicẽ, ſecundum ipſius cauſam ſemper pronunciantem. Eſt interdum amor præualidus cum iudicio aliarum rerum, ut qui filium amat,uel uxorem,quam eſſe deformem,aut rudem,aut tardam ſatis uidet, quia tamen charitas eò non pertinet,ſed ad uxoris aut filij perſonam,non refrigeſcit ardor.Sed illud tamen præſtat beneuolentia,quòd tolerabilia iudicat hæc uitia in charo capite. Amor quandoquidem ex iudicio boni oritur,in manu noſtra eſt eum non admittere,nihil eſt enim tam excellenti & pura bonitate aut decore præditum, quin admiſtum habeat aliquid,quod nobis poſsit diſplicere,aut non expedire,unde minus cenſeatur nobis bonum,ac proinde appetendum.qua in ratione* Deum *ſolum excipio,quem ſi, non ut ipſe eſt (nam id factu non eſſet poſsibile) ſed ut humana mens corpore hoc clauſa poteſt,contemplaretur, concitatius in amorem raperetur illius, quàm mens ad complexum certiſsimarum ueritatum.cerneret enim bonum abſque nocumenti ullius admiſtione.Cætera omnia aliquid ſemper aut præ ſe ferunt,aut incluſum cõtinent, propter quod poſsint uel ab examine iudicij reprobari, uel à libertate uoluntatis reijci. Quid quòd,quantumcunque*

cunque aliquid bonum iudicetur, poſſumus nihilominus ab eius intuitu atque intelligentia auertere animi attentionem? Poteſt uoluntas iudicij oblationem ſegniter accipere, aut in ea prorſum ceſſare. Quocirca elici amor poteſt, ut ille dixit, exprimi non poteſt, & Claudianus: Non extorquebis amari. At uerò ubi ſemel amor eſt dominatum nactus, & ſe quaſi in uolũtatis poſſeßione conſtituit, excutere eum non eſt in manu noſtra, quum libet. Amor animi arbitrio ſumitur, nõ ponitur, inquit idem Publius mimographus. Egregiè Plutarchus: Amor ſenſim illabitur, ſed ingreſſus nõ facilè diſcedit, etiãſi alatus. Cogit uidelicet de re chara ſubinde cogitare, cogitatio crebra efficit omnia illius familiaria, ita arridẽt, probantur, allubeſcunt omnia: & quo magis allubeſcũt, hoc altius radices agit amor in pectore. Nec crebram tantum cogitationem facit amor, ſed intentam quoque, ut uelit omnia amati perſcrutari ac noſſe. Charitas, inquit ſanctus Apoſtolus, omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Amor corporis corporaliter uult iungi, amor animorum animis, ut ſit in duobus corporibus animus unus: quæ eſt maior, & uerior, & diuturnior copula, unde exiſtit idem uelle & idem nolle, & amicus eſt alter ipſe. Aptè Horatius, dimidium animi ſui Vergilium appellauit, cui erat amiciſsimus. Ergo quæcunque ad amicum pertinent, amicus uocat ſua. Vnde Pythagoricorum lex, amicorum eſſe communia omnia. & ſæpenumero quæ amicorum ſunt, diligentius amici curãt, quàm ſua ipſorum: recordantúrq; illorum obliti ſui. Amor eſt appetitus fruendi bono, id eſt, ſe illi adiungendi: ut & ipſum amans amati, hoc eſt boni contactu fiat bonum. Amor cõcupiſcentiæ applicari & adiungi uult ea con-

iunctio

iunctione, qua ſatisfiat uel deſiderio, uel retentioni, uinum bibo, cibum edo: quod olfacturus ſum, non tam propè admoueo: longius etiam ſonos, & quæ aſpicimus: ueſtem applico corpori, aut ſeruo in ueſtiario: pecuniã in arca, aut eo loci unde me capturum confidam, quum libebit. Eſt qui ſe diuitem iudicet ex nominibus codicis: eſt qui ex mercibus in nauigijs, aut in manibus ſociorũ, aut procuratorum. Non eſt eadẽ in rebus omnibus charis applicatio apud homines omnes: ea modo quæruntur, quæ uel ad uſum ſufficiant, uel pariant uoluptatem. Amici, quà datur, coniunguntur præſentia corporum, conſpectu, alloquijs, conuerſatione, mentione, memoria: quúmque nõ poſſunt, quantum cupiunt, unà eſſe, ac conuerſari, ſequitur moleſtia & mœſtitia: atque eo maior, ſi parũ ſit, quod coniunctioni obſtet. ita quo abſunt propius, & diſtinentur, hoc ægrius atque impatientius ferunt ſeparationẽ. Quin etiam qui functos uita diligũt, quatenus datur, cum illis uerſantur, crebra illorum commemoratione ac recordatione, uiſendo loca ubi ſoliti erant conuiuere, & congredi, aſpectu denique earũ rerum quæ memoriam illorum renouent. quæ omnia erga abſentes amicos facimus. Hæc in amore cõiũctionis expetitio data eſt homini, ut cum uero ſuo bono uelit uniri, qui eſt Deus: quo uelut Deus quidam effectus, ut ſic loquar, cõſors ſit ſempiternæ beatitudinis illius. hæc demum uera eſt, ſolida & fructuoſa coniunctio, amoríſq; precium ampliſsimum: coniunctiones autem reliquæ inanes ſunt, & abſque fructu, ut ſi quis ad examen reuocet, quid amici in mutuo illo amore expetant, nihil inueniet eſſe magis uacuum: nempe eſſe unà, conſpicere ſeſe, colloqui. Amor cum fruendi deſiderio torquet, non ex

amore,

amore, quo nihil fieri poteſt ſuauius: ſed ex deſiderio, quod quum differtur, affligit animum. Sed ſi ſpes affulgeat fruendi aliqua, non ſolatium modò, ſed delectationem quoque adfert. nam ſicut amor in fruitione magnam habet oblectationem, ita in ſpe non paruam, imaginatione uelut in rem præſentem adducente. Quo fit, ut cupidorum plerique uanas ſibi ſpes comminiſcantur: & alijs pollicentibus rei expetitæ ſucceſſum, facilè adhibent fidem. hac uia auari homines crebrò capiuntur à fraudulentis. Amor cupiditatis, intrò reſpicit ad ſe: amicitiæ autem, foras ad eum quem amat. & amans paulatim moritur in ſe, uiuit autem in ipſo amatum. Viuo ego, iam non ego (ait Apoſtolus) uiuit autem in me Chriſtus. Deſinit enim de ſe cogitare, ſe curare, ſibi proſpicere: de amato cogitat, amatum curat, amato proſpicit. Hæc eſt quæ uocatur Ecſtaſis, quum amans oblitus prorſum ſui: totus extra ſe eſt, totus in amato, & amatus in eo. Quòd ſi flamma illa intrò ſe conuertat ac recipiat, minus ardebit foris. Ita euenit, ut qui ſeipſos amant acriter, frigidè alios diligant, omniáque ad ſemetipſos referant, & ad ea quæ ſibi putant bona: ueluti uoluptates, delicias, honorem, dignitatem, potentiam. Videas quoſdam nec uxori, nec liberis, nec alijs chariſſimis nominibus parcere, dum cupiditatibus ſuis ſeruiunt: uidelicet ſeipſos flagranter amant, ad reliqua tepidi, ſeu gelidi potius. Amor concupiſcentiæ bona optat amato, propter ſemetipſum: ut dulcedinem & generoſitatem uino, robur & agilitatem equo, formam atque elegantiam amicæ, opes benefico: itaque optat ea, quæ bona eſſe ſibi cenſet. Longè aliter amor bona omnia amato cupit, & procurat, propter ipſum, non propter ſe: neque ger-

manus amor eſt unquam mercenarius, non petit præmium ſui, non expectat, quod eſſet contra amoris ingenium. nam ſi expeteret, iam non amaret illud quia in ſe bonum, ſed quia ſibi expediens. Conſiderationem boni habet amor, unde naſcatur: non utilitatis, quo tendat. exemplum eſt manifeſtum in filijs, quos parentes abſque ullo prorſum reſpectu ſuarum utilitatum, mercedis, fructus, amant propter ipſos tantum. Talis eſt amor erga nos, talis eſſe debet noſter erga illum. Nam coadunationem non deſiderat amor, tanquam operæ mercedem: ſed eſt meta, quo ille naturæ ſuæ ſponte fertur. Quemadmodum enim non amas te, ut tibi proſis: ſed prodes, qui amas. ſic non amas, ut uelis coniungi, ſed uis coniungi, quia amas: nec deſideras coniungi, ut delecteris, ſed ad id tamen ſequitur delectatio, ex tactu boni noſtri, & tanquam poſſeßione ac complexu. is eſt amoris fructus, & finis eius deſiderij, qui amorem ante unionem comitatur. Amor autem ut connexor eſt, ita etiam æquator. æqualitatem enim adfert, quantum naturæ rerum ferunt, quas coniungit: ut ſuperiora demittant ſe ad curam inferiorum, ſicuti Dionyſius docet ex Hierotheo: æqualia inter ſe conſocientur, inferiora autem ad ſubliimiora & præſtantiora erigantur. Amor pro ijs quos charos habet, meticuloſißimus eſt, & anxius: ut ebrioſus, ne pruina noceat uitibus: amator, ne amicam æſtus aut rigor lædat: negociator pauet tempeſtates, amicus amico timet, pater filijs, maritus uxori, uxor marito. & caſta illa matrona:

Quando ego non timui grauiora pericula ueris?
Res eſt ſolliciti plena timoris amor.

Idcirco moleſtus eſt amor omnis erga homines, ac res humanas

humanas.nihil eſt enim cui non multa timeantur,quamlibet contra fortunæ caſus circumſepto & munito. Iucundiſsimus eſt erga Deum, de quo nulla ad nos poteſt redire cura uel moleſtia. omnia ſunt illic tuta, omnia gaudiorum & felicitatis ſempiternæ plena.in alijs amoribus plurimum eſt moleſtiæ, in amicitia ſollicitamur metu continuo, in cupiditate curis & anxietatibus, in conſeruatione ſollicitudine: in libidinoſo autem quæ ſunt incommoda,non eſt enarrare. Amor in periculo, ſi ſperat ſe facile poſſe euadere, cautus eſt,& formidoloſus: ut Thyeſtes dicit filijs apud Senecam,Vos me facitis meticuloſum: ſi propoſita ſit difficultas, fiat audaciſsimus. Amor nunquam eſſe ocioſus poteſt.ſtimulus eſt enim uoluntatis, quo illa ad actiones & opera inſtigatur.ſemper molitur aliquid, & excogitat, quod gratum fore amato putet:quod proſit non amato ſolùm,ſed ijs quibus amatus uelit proſpectum. quòd ſi opera non poſsit præſtare,at uotis, deſiderijs, bene precando,fauſtis ominationibus amati commoda proſequitur.optimè & cupit, & eueniſſe gaudet: & non eueniſſe omnino, aut contra animi ſententiam eueniſſe,dolet.Ex amore concupiſcentiæ naſcitur riualitas & inuidia, expetunt enim multi, quod unus poſsidere ſolus cupit:ut in amica, & locuplete amico, & quæſtu. Ex amore animorũ naſcitur candor, & communicatio.Qui bonum uirum amat,riualem non timet, imò multos uult habere ſocios affectus ſui.ut qui Deum amat, omnes uellet adducere in conſortium talis amicitiæ: miſerrimóſque eſſe ducit illos, qui ſunt ab ea alieni.Amicus autem, qui ſolus uellet charus amico eſſe, non uerè ac perfectè amat, ſed expetit aliquid ſibi utile nempe ut ſolus fruatur amici colloquijs,eruditione,diui-

tijs, opibus, fama, gloria, & eiuſmodi. Cupit amans offerri grāde aliquid & arduum, quod in amati gratiam obeat, gaudétq; ſi id cōtingat. Ibāt diſcipuli gaudentes à conſpectu concilij, quòd digni eſſent habiti contumeliam pati propter nomen IESV. *Nihil recuſat amor ſubire, non graue, non difficile, non humile & abiectum, ſiue ſit ſupra uires, ſiue præter dignitatem & autoritatem perſonæ: omnia ducit ſibi leuia, omnia decere, quibuſcunque gratificaturum ſe amato credat. Nec ſolùm dulcis iucundúsque eſt amatus amanti, ſed omnia quæ ſunt illi grata: ut filij, propinqui, amici, etiam famuli, & canes. unde eſt illud:* Diligit canem, qui & herum eius. *quicquid denique memoriam refricat illius, gratum eſt: ut ueſtes, ſudariola, imagines, loca, & huiuſmodi. Niſi fortè amori admixtus ſit mœror, tum triſtia ſunt amati monimenta, ut filij, quum obijt immaturè, uxoris, mariti. Et quatenus amans in perpetua eſt cogitatione de amato, & cura, auocatur calor à uentriculo ad cerebrum: unde ſequitur cruditas, & ſanguinis exhauſtio, & in ore pallor, ac toto corpore, anhelitus item compreſſio, tum ex intentione uehementi animi ſuſpiria, potiſſimùm uerò ad aſpectum, aut mentionem rei charæ, tanquam uideatur ſpiritus ceu graui onere leuari. Accedunt quoque non rarò lachrymæ, quoniam ex calore illo capitis colliqueſcit humor à cerebro, diſtillans per oculos. Cantillant ſæpe ad refocillandum animum, contentione imaginationis defeſſum: intentiſſimè atque inconuenienter ſpectant rem charam, nec aliò deflectunt oculos, utique nec cogitationem. Variant in facie rubor & pallor, ex acceſſu aut diſceſſu ſanguinis. eadem de cauſa modò feruent, modò rigent: neſciunt loco conſiſtere. iactatio membrorum crebra*

atque immodica, perpetua querimonia, laudationes importunæ atque ineptæ. In *amore autem Cupidinis ſubita indignatio, procacitas, petulantia, crebræ ſuſpiciones, ac uanæ.* In *amore, inquit* Terentius, *hæc omnia inſunt: iniuriæ, ſuſpiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rurſum. & quæ ab alio Comico in Ciſtellaria deſcribuntur, amoris actiones & opera:* Credo, *inquit, ego primum amorem apud homines carnificinam commentum: iactor, crucior, agitor, ſtimulor, uertor in amoris rota miſer: & quæ ſequuntur.* Ac *ut diutius amantes ſint unà, detinet alter alterum inani loquacitate, narratiunculis & fabellis undecunque petitis: ut mireris, unde tanta uis uerborum poßit profluere. Sunt quibus uel perturbata, uel nimium intenta mens, non ſinit longos ſermones facere: unum aut alterum uerbum dicunt, longis interuallis: ut,* O *amores, uita, ſpes, ſuauitas, ô formam cœleſtem ac diuinam.* Amores *omnes concupiſcentiæ ablandiuntur: laudant, atque in aſſentationem tranſeunt, etiam homines grauißimi, ſi quid ualde cupiunt: ſeruiunt indignis, & fortißimi timent, & impudentißimi reuerentur, & auari mittunt munera, & demittunt ſe ſuperbi. cupiunt enim quacunque ratione animum explere, & deſiderio ſatisfacere: inque hoc unum intenti, nec perſonæ, nec ingenij ſui habent rationem. per moleſtias & aſperitates ad uoluptates contendunt, ut ambitioſi per abiectionem & ſeruitutem ad potentiam.* Dominari *ut poßint, inquit* Auſonius, *ſeruire uolunt. quales ſunt, qui in* Principum *comitatibus miſerrimam perpetiuntur ſeruitutem, ut aliquando tandem in regis gratiam, partemque potentiæ aliquam euadant.* Reges *quoque ipſi exercitibus ſuis, hominibus inſolentißimis atque*

impuriſsimis,ſeruiunt:ut per illos tum latius poſsint regnare,tum magis ex libidine animi ſui. Amor ex calore illo ingenti, impellit ad grandia opera edenda, atque admiranda, quæ uires, ingenium, ac facultatem excedunt. Aggrediuntur res magni animi, ſeu ultro capeſſendis periculis,ſeu fortiter ſuſtinendis.profundunt patrimonia,nec pluris faciunt quàm ſtipulas. Et ſi dederit homo uniuerſam ſubſtantiam ſuam pro charitate, ſicut eſt in Canticis Solomonis regis, hoc uerò pro nihilo æſtimabit. Auget idem calor ingenium, excogitant rationes acutas, inueniunt conſilia præſentanea, fundunt uerſus, exiſtunt derepentè facundi: quorum omnium nihil ſunt prorſum, ſi amor reſtinguatur. Augetur amor & crebra cogitatione de re chara. affigitur enim & inhæret animo altius: nihilq; eſt perinde amori inimicum, atque obliuio. Quòd ſi quo magis cogitatur, hoc plura occurrant bona, accenditur tanto acrius beneuolentia, quemadmodum euenit in Dei charitate: idem contingit, ſi qua inſperata atque inopinata exiſtant bona,quamuis prætenuia.ea enim pro ingentibus habentur, quia præter expectationem:atque eo magis,ſi contra id quod exſpectabamus.ut ſi cõputare ſciat, quem ſolũ arare poſſe autumabamus;& ingenioſè reſpondeat,quẽ nos tardum eſſe ſuſpicabamur.Scilicet tantum amatur bonum,quantum de illo poſſumus intelligere. Cognoſcitur autem res primùm,ut ametur:ſed cognitionẽ eſſe oportet tantam, ut quæ ad eliciendum amorem ſufficiat.Vbi uerò cum re chara ſumus connexi, melius eam nouimus, nempe propius, & tunc fruimur. Ex priore cognitione credimus eſſe bonum,in poſteriore experimur:quod ualet in omni amore.quocirca amoris fructus fruitio eſt,qui eſt delectationis

ctationis

ctationis actus, non ſolùm uoluntatis, ſed etiam intelligentiæ, ut in Deo. Itaque amor medius eſt inter cognitionem inchoatam, & plenam, quæ eſt in unione: in qua deſideriũ ſemper aboletur, nõ ſemper amor: imò inflammatur acrius, quò plura & grandiora bona in unione inueniuntur, quàm obtulerant ſe primæ cognitioni, quæ amori dederat originem. Conſuetudo etiam quæ mala reddit leuiora, uel moleſtias ipſas interdum iucundas, cauſas amori contrarias extenuat: itaque ex ea amor & purior fit, & flagrantior. Aſſuetos minus offendunt incommoda, non mẽtis modo, ſed etiam corporis, quorum præſentem præcipimus doloris ac tædij ſenſionem. Nec tantùm frequenter recolendo gliſcit amor, uerùm amans quæcunque uidet, auditque, ad amatum refert, ſiue comparatione, ſiue ſimilitudine, ſiue recordatione aliqua obliqua: ſemper eſt uidelicet in conſideratione, & quaſi aſpectu amati. Creſcit item amor, quum quod amari iudicamus dignum, non amatur ab alijs. cogit ſe amor in amantis pectore, & ualidiores uires colligit: ut calor in puteis, et animantium corporibus hyberno tempore. Sic mater exoſum alijs filium, impotentius amat. nam ſi ab alijs etiam diligatur, uidetur uel diuidi & ſecari in plures, uel motus ille animi acceſſus indignitate rei conquieſcere. ita fit amor minus acer ac uehemens. Niſi fortè id amemus, quo uelimus potiri ſoli: ut in amore Cupidinis. Augetur item amor ex commiſeratione, ut parẽtum erga liberos paruos, inualidos, ægros, pauperes, miſeros, peregrinantes, periclitantes: ut in bello, aut nauigatione, aut itinere graui ac difficili. Quò plures ſunt cauſæ, quò maiores, hoc amorem, qui inde naſcitur, par eſt magis intendi: ut ſi cuiuſquam bonitati accedat paternum ho-

ſpitium, propinquitas, familiaritas, & alia eiuſmodi. Cupiditates rerum naturalium terminum habent aliquem. eorum uerò quæ nos excogitauimus, nulla eſt meta, nullus modus: uelut diuitiarũ, opum, honorum, potentiæ, gloriæ. quod non ex illorum contingit ingenio, ſed ex falſa noſtra de illis exiſtimatione. Nos enim illa inuenimus, ad tranquillè, placidè, beatè uitam degendam, illa uerò tum, quòd animum ipſum non attingunt, idcirco nec iuuare poſſunt: tum quòd ut maximè applicentur, leuia ſunt, inania, nec tantam animi profunditatem explere ualent, tantum abeſt ut nos beatos efficiant, ut animus in illis tum excogitandis, tum parandis, tum etiam tuendis incredibiles miſerias ſubeat. Ergo incitatæ ſemel uanis iudicijs auaritia atque ambitio, exeunt in immenſum. Ita enim reputat apud ſe animus, ſi uel pecuniam uel honorem quem expetit, nanciſcatur, iucundiſsimè ſe ac beatiſsimè uicturum. nactus autem, eodem loci uidet ſe conſiſtere, ac non rarò etiam peiore: neque illuc mittit cogitationem, res ipſas non poſſe id natura ſua præſtare, quod ipſe ab eis poſtulat: ſed uitium in magnitudinem rei transfert, quòd nondum ſit tantum conſecutus, quantum ſatis ſit, ut uoti fiat compos. quare ad alia acquirenda ſe accingit: quæ adeptus, eodem errore inuoluitur. ita cupiditas nullum inuenit exitum, nuſquam conſiſtit: ut iure conqueſtus ſit Pſaltes Iſraelis, Vniuerſa uanitas omnis homo uiuens. Qua de cauſa non uitæ neceſsitates ueræ pariunt & augent cupidines, ſed falſa noſtra de illis perſuaſio. quemadmodum in ſenibus, quos Cato Ciceronianus meritò obiurgat, quòd parent eo plus uiatici, quo minus reſtet uiæ: ſed metus id facit, & opinio neceſsitatum. Conſeruatio autem

tem harum rerum, quæ extra nos ſunt poſitæ, ex eodem manat fonte: & iudicium extendit ſe non ſolùm ad neceßitates incumbentes, aut quas exiſtimamus euēturas, ſed quæ poſſent accidere: tum ad uoluptates, ad quas multi & opes & potentiam referunt, quòd per illa parare oblectamenta poßint, quæcunque cōcupiſcant. De*lectatio quoque iam deguſtata detinet nos in diuitijs, in imperijs, potentia, gloria: nempe honor, obſequium aliorum, omnes dicto noſtro eſſe audientes, nos nemini.* Cu*piditas conſeruandi refrigeſcit, quum id quod poßidemus, adeò eſt exiguum, ut non ſit ullis neceßitatibus futurum remedio. quod faciunt, qui ad inopiā reciderunt: aſpernantur, & effundunt id puſillū, quod reſtat, de quo eſt uetus uerbum,* Seram *eſſe in fundo parſimoniam.* Mi*nuitur amor inter initia haud magno negocio: ideo* Amorum *magiſter principijs monet obſtare. & in* Tra*gœdia, quiſquis primò obſtitit, pepulitque amorem, tutus ac uictor fuit.* Et *ſicut ualida & crebra cogitatione augetur, ita auerſione animi aliorſum deteritur, ut in occupationibus & negocijs uarijs.* Ocia *ſi tollas, inquit, periere* Cupidinis *arcus.* Quòd *ſi in ſcrutatione rei charæ, aut quū ex uicino inſpicitur, malicia inſignis occurrat intuēti, aut deformitas, refrigeſcit ardor, & retardatur impetus.* Exoritur *quidem nonnunquam amor temere, nullo uel exiguo ſaltem iudicio: ſed ſi deinceps iudiciū accedat exactius, diſſoluitur, niſi in amato cauſæ amoris inueniātur. atq; hoc penitius amor reuellitur, quo fœdius in eo uitium deprehendimus: uelut quum ex ijs uitijs, quæ nos maximè abominamur, uel quum eſt cupiditatibus noſtris contrarium, & noxium: ut quum ad ambitioſum honorem denigrat, ad auarū nocet res fa-*

miliari,ſegni & pigro adfert laborē ac moleſtiā. Itaq; filij occiderunt patres,& patres filios,regni cauſa:& auarus pater ſumptuoſum filium domo exigit: Lacæna filium interemit,quòd è prælio domum rediſſet fugiēs: & ebrioſi homines uxori ac liberis detrahunt neceſſarium uictum,ſi non eſt aliunde quod potent. Ad hæc ſi uitium eò ſit ſitum loci,quem nos pulcherrimum eſſe credebamus,& unde amor fuerat progenitus, uehementer nos offendit:ueluti ſi deformitatem in eo deprehendimus,quem de ſpecie amabamus: aut ſi infantiam in eo, quem de facundia:imperitiam in eo, quem de eruditione:infidelitatem in eo,quem de fide:uerſutiam in eo,quē de ſimplicitate:ádque hunc modum in cæteris.nam ſicut bona inexpectata amorem pariunt,atq; augent:ita expectatorum fruſtratio diminuit,& abolet.Quapropter in amicis,quò meliores ſunt,hoc magis roboratur amicitia,quæ diuturna eſt maximè inter bonos:inter malos autem,nō eſt amicitia,ſed familiaritas & conſociatio, aut conſpiratio, atque ea infirma & breuis. Nec ſolùm mala amorem reſtinguunt,ſed bona etiam,quum minora ſunt expectatione,aut alterius generis:ut quum habet quis multa quidem amanda,ſed nobis inutilia, quæ nos utiliſsima fore ſperabamus.Diluitur item amor crebris offenſionibus,& eo citius ac leuius in iracundo, & ſuperbo,qui non tam ſe redamari cupit,quàm honorari. Amici felicitas amicum inuidum abs ſe arcet ac fugat.nam ſunt qui amicos miſeros ualde diligunt,felices oderūt:præſertim ubi quis eſt dignitate euectus, pleriq; enim inferiorum amicorum, ſuſpicantur ab altiore ſe deſpici,ac pro nihilo haberi. Amantium iræ(inquit ille in fabula)amoris eſt redintegratio:quod de amore uenereo

nereo

nereo dictum, non raró in amicitias conuenit, quoniam in recõciliatione renouati animi ualidius inflammatur, tanquam reſumptis uiribus ex interuallo offenſionis: ut terra fœcundior eſt à quiete, & caminus ardet fortius guttulis aquæ aliquot aſperſis. Accedit, quòd ſenſus dulcedinis iucundior eſt poſt acerbitatem aut aſperitatem. tum dolemus nos offendiſſe eum, quem habere oportuerat placatum. ita maiore animo redimus ad amicitiam, & diligẽtius in poſterum cauemus, ne quid exiſtat moleſtum in amore: qua ratione confirmatur, diſcordiam tamen eſſe oportet breuem, & de re non graui: alioqui dirimitur concordia, ut ſi diutina fuit offenſio: uel dixit alter eorum, aut fecit, quod alterum, quoties recordatur, malè pungat. Eiuſmodi iræ non ſolùm amorẽ extingunt, ut copia aquæ ignem: ſed quando inualuerunt, ſolent in graue odium & rabiem exire. ſicut arctius aqua conglaciat, quæ frigori expoſita eſt calens. Amatori, cuius eſt præ impotentia affectus mens emota, opus eſt, ut paulatim animus, tanquam ex peregrinatione, domum reuocetur per muſicen, per conuiuia & epulas exquiſitè & lautè apparatas, per uinum clarum & liquidum, etiam ſi ſit opus uſque ad ebrietatem (ut nõ immeritò dixerint ueteres, ſacra Liberi pertinere ad purgationem animi) per omne genus luſionum & exhilarationis, folijs, taxillis, fritillo, contemplatione tapetum, tabularũ, ſpectaculorum, amœnitatum, ædificiorũ, agrorũ, fluminum, piſcatione, uenatione, nauigatione, fabulis, narrationibus feſtiuis, admirãdis, occupatione, labore magno uſque ad ſudorem, ut corporis meatus ad expurgationẽ pateant: ita ut etiam aperiri uenam cõducat, quo prior ſanguis effluat, ſuccedat nouus, unde & noui ſpiritus,

alio quoque affectu uehementi ſummiſſo, ut cupiditate opum, honoris, metu, indignatione, ira. & hæc oportet eſſe diutina, donec animus in alteram partem inclinans confirmetur, ne in priorem amorem ſtatim relabatur. Hæc de amore, quæ potuimus: cuius uires, ut ſunt magnæ, ingentes, incredibiles, ita & nobis inexplebiles. Amore ſumus cōditi, amore perficimur, amore beamur. Maxima ſunt amoris, profundiſsima, reconditiſsima & incomprehenſibilia myſteria. Sint tamen hæc à nobis in præſentia ſatis dicta.

DE FAVORE.

PRoximus amori eſt fauor, naſcitúrq; ex iudicio boni alicuius, & eſt quædam beneuolentia: ita ut nullus ſit amor abſque fauore: fauor autem eſſe aliquis ſine amore poßit, quum alicui, quem non amamus, cupimus tamen benefactum. Fauor ergo cum amore fortior eſt & diuturnior, leuior autem & breuior extra illum. Eſt enim fauor, amor inchoatus. nam incipimus amare illũ, de quo bene ſentimus, & quem dignum re aliqua bona cenſemus. & uiciſsim erga quem eſt in animis noſtris umbra amoris aliqua, uel gradus, huic fauemus: ut propinquis, conſanguineis, ciuibus, ſocijs, familiaribus: notis item, magis quàm ignotis. nam notitia ad amorẽ eſt aditus. Ac quemadmodum fauere linguis, eſt uocibus bene precari: ſic fauere animo, eſt bene optare ac cupere. Iudicium hoc de alicuius dignitate uel ſimplex eſt, & uniuerſale ad omnia, unde fauor uniuerſalis oritur: qualis eſt erga ſimplicitatem atque innocentiam, ueluti aduerſum pueros. Illi enim ætati fauetur ab omnibus, ſine inuidia. & aduerſum animantes omnes nouas, in qua ætate etiam

te etiam lupis & leonibus & uulpeculis parcimus atq; blãdimur. Eſt idem iudicium de formoſa facie, quæ eſt, ut habet Mimus, muta commendatio. Denique cauſæ omnes, quæ ad amorem, ad fauorem quoq; ualent. Eſt alterum iudicium de dignitate ad unam rem aliquam, ex quo fauor naſcitur circa illud unum: uelut in competẽtia, de magiſtratu: in ludo, ut quis quid adipiſcatur, quo eum cenſemus uel dignum ſimpliciter, uel competitore digniorem. Eáque de cauſa fauor non rarò ex odio ſuboritur, ut in aduerſarium eius quẽ odimus inclinet, uel in eum cui non fauet inimicus noſter, aut contra illũ cui fauet. Exiſtit idem fauor ex miſericordia: ut quum quis eſt ab aliquo iniuria affectus, qua nõ eſt dignus, alia in re cupimus illi id detrimentũ reſarciri. Olim Athenis dux quidã capitis reus præturam petijt, ut poſt repulſam magiſtratus facile iudicio abſolueretur, tãquã animi ex ſatietate ultionis in miſericordiã uerſi ob repulſam, inciperẽt iam fauere. Eodem è fonte eſt: Iniquũ petendum, ut æquum auferas. Sed in alijs quoque miſerãdis exempla ſunt innumera. Fauor quum non eſt amore fultus, res eſt quæ leuiſſimis de cauſis tollitur: & eo citius, ſi contra rem noſtram aut noſtrorũ tẽdat. ſicuti, ſi quid in eo fauore inſit uel damni, uel periculi, uel moleſtiæ. Quod iudiciũ de dignitate temerè eſt, exiguáq; de cauſa ſuſceptum, leuiſſimè quoq; ponitur. Cui enim precio inducti fauimus, huic uel perſoluto precio tanquã cauſa ſublata, deſinimus fauere: uel non perſoluto, ex indignatione malè uolumus. Si cui ex odio aut inuidia alterius fauimus, reſidente illo animi motu, flacceſcit fauor: quæ quotidie in certaminibus & ambitione ciuili contingunt.

VEN

VENERATIO, SEV REuerentia.

Veneratio ex iudicio magni boni oritur, quod bonum nobis non nocet, nam ſi nocere exiſtimemus, aut nociturum, metus eſt. Habet nihilominus ueneratio omnis metus aliquid, pudoríſq; admiſtum, eſt enim compreßio ſeu contractio animi, ex cogitatione magnitudinis bonæ, aut certè nobis innoxiæ. Poſita eſt autẽ ueneratio in collatione magnitudinis cum paruitate uel ſuametipſius, uel aliena, quam nos tamen non habemus pro exigua: quippe uenerationi omni eſt admiratio adiuncta. quæ non admiramur, ea neque reueremur. Et *ſicut ex reputatiõe ſuæipſius magnitudinis dilatatur animus; ita ex reputatione alienæ comprimitur:* Vnde *naſcitur ſuimet detractio æſtimationis & deſpectus: qualis eſt noſtri ipſorum, quum ad diuinæ maieſtatis reputationem mens ſe ſuſtollit. Scitè* Ouidius:

Protinus intrauit mentes reſpectus honoris:
Fit precium dignis, nec ſibi quiſque placet.

Porrò honor non eſt, ſicut Ariſtoteles *exiſtimauit, & eum plerique gentiles ſequuti, precium uirtutis: ſed teſtificatio, qua teſtamur nos ſentire atq; exiſtimare uirtutem in illo ineſſe, quem honoramus.* Ea *uerò exterior eſt ſignificatio, qua declarat animus, ſummittere ſe celſitudini, uaria apud uarias gentes. noſtris quidem, poplitem flectere, genu ponere, quæ ſunt deijcientis ſe: caput aperire, quod eſt* Græco & Romano *more ſeruitutis indicium, ſicut pileus libertatis: loco & uia cedere, aſſectari, deducere, reducere, quibus fatemur illum eſſe potiorem: ſilentium, quo uel audientiam damus, uel metuimus reprehenſionem: uerba noſtra, quæ præſtantiam il-*

lius declarent. Sed nulla eſt tamen amplior, quàm quum admiratiône excellentiæ animus ita obſtupeſcit, nullam ut ſignificationem exteriorē poſſit edere, attonitus, & extra ſeipſum raptus, ſtupefacit enim animū ingens ueneratio, & cogit ſui ac debitorum officiorū obliuiſci. Ita coram ſenatu uel multitudine præſtantium uirorū, aut apud magnum aliquem principem dicturi, ſæpenumero ſibi exciderunt, ut ne uerbum quidem poſſent proferre eorum quæ cogitarant. Tum inſignem aliquē aut præcellentē uirū ſalutantes, obliuiſcimur crebrò & alijs qui adſunt debitum honorem impartiri, intento prorſum animo in unicam uenerationē illius. Sed hæc bonorum amplitudo pro cuiuſq; animo cenſetur. alij aliter exiſtimant, ut in omni uita. In Deo, præter cæteras excellentias duæ ſunt maximæ potentiæ ac bonitatis. ſub potentiam uenit ſapientia: quæ in terris imaginē referunt potentiæ, pariunt uenerationem: quæ bonitatis, charitatem. Eſt potentia ad agendum bona, eſt ad reſiſtendum malis: in externis bonis, quo in genere ſunt principes & homines opulenti: in corporeis, cuiuſmodi ſunt ualentes & formoſi, propter coniecturam naturalē, ſimilem intus habitare animum. unde eſt illud: Species digna imperio. In animo ſunt animoſi: in mente ſunt prudentes, facundi, eruditi, ſapiētes: in uoluntate ſunt iuſti, moderati, fortes, cōſtantes, & inuicti à caſibus, inſultuq; eius quā uocant fortunam. Bonos autem, hoc eſt iuſtos, moderatos, temperantes, diligimus magis quàm reueremur: etſi quidam, qui reliqua bona omnia non magnifaciunt, plurimum iſtis reuerentiæ deferunt. Maieſtas eſt ſupremus honor erga ſumma bona, à maiori dicta: quaſi honor in mediocribus uerſetur, maieſtas in maximis. etſi

honor

honor maieſtate eſt latius quiddam, nẽpe genus, ſed ſermone communi diſtinguuntur. Poetæ feſtiuiter finxerũt Honoris *&* Reuerentiæ *filiam eſſe* Maieſtatẽ. *quam fabulam* Ouidius *in quinto Faſtorũ, facetiſsimis uerſibus perſequitur.* Ex *reuerentia amor prodit, ſi magnitudinem cenſeamus bonitate temperatam: qualis eſt in* Deo, *qui ut eſt maximus, ita & optimus. timor autẽ, & hinc odium, ſi noxiam nobis uel eſſe ſuſpicemur, uel fore: qui affectus tenet eos qui ſolam* Dei *potentiam reputant, iudicijq́; ſeueritatem extra clementiam.* Acutè *ille:* Qui *apud te audent* Cæſar *dicere, magnitudinem tuam uidẽtur ignorare: qui nõ audent, bonitatem.* Admiratio *tuetur reuerentiam: itaque admiratione conſumenda deteritur ueneratio, ideoq́; uſus & familiaritas uenerationem adimit, quemadmodum ferunt in* Apologis *de uulpe, quæ ad primum leonis conſpectum exanimata, tertio iam congreſſu cœpit cum illo familiarius luſitare. adeò ut apud homines rudes & craſſos nonſolùm pereat familiaritate reuerentia, ſed tranſeat ſæpenumero in con temptum, ſicut ille ait in* Comœdia. *Cõſeruatur nihilominus in uſu & conſuetudine ueneratio, ſi ij cum quibus uerſere, intelligentes ſint ueræ magnitudinis: quã eo colunt ardentius, quo propius admotam, certius ac ſubtilius cõtemplantur: uel ſi quotidie aliquid ſe nouum proferat in magnitudine: uel ſi tãta ipſa ſit, ut facilè ſemetipſa à contemptu uel neglectione uẽdicet.* Verba *& facta grauia, uirilia, conſtantia, ſublimia, ſine uanitate & manifeſta arrogantia, qua nihil eſt inuiſius, magnitudinem decentia, tuentur uenerationem: contrà eleuãt eam uerba & facta puerilia, muliebria, ludibunda, ſcurrilia, laſciua, leuia, uana, inconſtãtia, demiſſa, abiecta, ab excellen*

cellentia illa aliena atque abhorrentia:tum etiam arrogantia,faſtidioſa, iactabunda, iracunda,minacia. Non bene conueniunt,nec in una ſede morantur, Maieſtas & amor,ait poeta quidam. Videlicet amor officij ſui & dignitatis oblitus abblanditur,precatur,deijcit ſe, ineptit, nugatur:inter quæ ueneratio prorſum eliditur,quæ alioqui tenues admodum & debiles iacit radices,quæq; leui motu extirpentur.Tollitur enim ueneratio,ſublata opinione eius excellentiæ,unde fuerat orta.Ea porrò opinio facillimè diminuitur,propterea quòd omnis hominũ præſtantia utilitate eſt commixta, quæ ex imbecillitate noſtra citius ſeſe foras profert,quàm lenta excellentia.Noſtra etiam iudicia ex deprauatione naturæ, quæ uicioſa ſunt, aut mala, celerius apprehendunt,tanquam ſibi cognata & ſimilia.Ad hæc amor cuiuſq; erga ſemetipſum inconſultus, unde ſuperbia capit originem, efficit:ut & cupiat,& libenter credat ſe ab altero non excelli. Affectus penè omnes concitati uenerationem impediunt, & cogunt conquieſcere: ut ira, inuidia, odium, amor,non ſolùm erga uenerabilem,ſed etiam aduerſus alios.Scilicet perturbatur iudicium, ne poßit, aut nolit rectè de præſtãtia ſtatuere: adeò ut præſente uel inimico, uel deſpecto,ſigna reuerentiæ in alium conſultò omittamus,ne uideamur eum,quem odimus, aut cõtemnimus, uenerari. quod feciſſe Aeneam ſacrificantem ferunt, qui prætereunte Diomede,adorationis cultúsque diuini exteriores notas intermiſit, ne honorem eum hoſti habuiſſe uideretur:quod contingit crebrò in uita communi. Niſi fortè alius affectus maior urgeat,qui nos ſigna illa cogat edere:uelut cupiditas, aut metus. ut quum timemus, ne illa nobis officij prætermißio noceat: aut ſperamus aliquid

uel cupimus ab illo, quem ueneramur. Vitium & uilitas in rebus alijs, quàm unde cœpit ueneratio, quàm eſt cum excellentia illa iudicio noſtro coniuncta, tam deterit uenerationem. Si enim ex iudicio eſt nata prudentiæ, infirmitas corporis, aut ignobilitas, nihil eam lædit: deterit autem ſermo ruſticanus, educatio parum urbana, iracundia. Etſi ſunt quidam, qui in uno aliquo ſtatuentes fontem bonorum omnium, ei qui ſit fontis huius expers, nullum credant ineſſe bonum poſſe præſtans, & ueneratione dignum: ut quidem in claritate natalium, quidam in eloquentia, alij in grãmatica, aut ſcribendis uerſibus, alij in decoro formæ, plerique in diuitijs. Multi ſtultè ac iniquè diuerſiſsima coniungunt, uelut ueſtitum, ingreſſum, ſeſsionem cum eruditione: ut qui illa non habeat ſatis ad ipſorum arbitrium compoſita, hunc nec eruditum eſſe iudicent. ſicuti nec magnatem, qui non loquatur ſuperbè, & prauè ſcribat: nec bonum militem, qui non ad uerba ſingula deieret.

DE MISERICORDIA *& ſympathia.*

Miſericordiam Ariſtoteles finiuit, dolorem de malo, quod nobis uidetur accidere indigno. id uerò malum dicit eſſe φθαρτικὸν, ceu quis dicat corruptiuum, aut corrumpens: quales ſunt morbi, mors, fames, ſitis, tormenta, plagæ, ſpoliatio. & quæ ſunt eiuſmodi. quod fortaſſe ab eo poſitum eſt, quia non de rebus Naturæ diſſerebat, ſed de præceptis ciuilibus. reliquarum enim rerum commiſeratio in curiam & forum nõ uenit, ſed omnia malorum genera in hanc affectionẽ incidunt. miſeramur deformes & mancos, & tardos & rudes, & ſtultos

& ſtultos & improbos. Indigni ſunt malis noſtra opinione boni uiri, & qui rectè functi ſunt officio, tum innocentes ad eam pœnam quam perferunt: & homines uniuerſaliter innoxij & ſimplices, ut infantes & pueri & mente capti: tum qui malis illis ſunt impares, ut mulieres, ſenes, ægri, delicati, laboribus magnis & ærumnis: adde ijs, qui magna ſunt fortuna deturbati. illi etiam, quibus non licuit bonis ſuis frui: ut quum uir magni ingenij in medio ſtudiorum ſuorum curſu tollitur, ſicut Io. *Picus: uel deſtinatus magnis opibus, ante obitam hæreditatem obit mortem, uel deſignatus magiſtratus nō potuit honorem capeſſere.* Eo *eſt autem miſeratio intentior, ſi pro bonis ſperatis incidit in mala inopinata: ut regni hæres in captiuitatem & ergaſtulum. quale eſt quod impiorum animis quotidie accidit, nec nos miſeret. Qui fortiter & uiriliter perferūt ſuas calamitates, magis uidentur illis indigni: eósque ſæpius miſeramur, qui miſericordiam non implorant.* Pericula, *quoniam malis ſunt proxima, miſericordiam mouent: ut in bello, & nauigatione, & uia latrocinijs infami. Si qui ſibi ac ſuis malum accidiſſe putant, in mœrore ſunt potius, quàm in miſeratione. quòd ſi quis indigno ſibi, aut chariſſimis ſuis accidiſſe exiſtimet, adiūcta eſt mœſtitiæ miſeratio: quod licet deprehendere ex uerbis, quibus conqueruntur immeritò ſe malis illis premi: quæ eſt ſuimetipſorum commiſeratio.* Similitudo *& ſympathiam efficit, & miſericordiam mouet: ut erga ſimiles ætate, moribus, conſtitutione, ſtudijs, dignitate, genere.* Sympathia *eſt uelut tactus unius facultatis, cui aliæ facultates ſimiles concinunt: quemadmodum ferunt in duas chordas diuerſarum lyrarum ad eundem tonum extentas, alteram alterius.*

tactui accinere & reſpondere. Plurimum animus afficitur ijs alienis malis, quæ tanquam ex uicino contemplatur ſibi etiam imminere. Inter ſimilia autem tranſitus eſt facilis: uidelicet quæ lõgius ſpectat animus, negligit, tanquam ad ſe non pertineant: ut mediterraneus homo graue naufragium, uel monachus ærumnas militares. Feſtiuè philoſophus quidam & acutè, rogatus à quodam quaſi per contumeliam, cur homines diuites citius cæcis & ſurdis & claudis elargirentur, quàm philoſophis egentibus, illósque multò facilius miſerarentur, quàm phiſoſophos: Quoniam, inquit ille, diuites homines citius ſurdos ſe & cæcos fore exiſtimant, quàm philoſophos. Ideo & qui per ebrietatem magnæ felicitatis exemptos ſe humanæ ſorti arbitrantur, immiſericordes fiunt: uidelicet non putant caſus humanos ad ſe peruenturos, qui ſe in loco tutiſsimo arbitrantur conſiſtere. Qui in extremis quoque malorum uerſantur, aut in eorum malorum magno diſcrimine, nullorum eos miſeret. Non enim timent ſe peius habituros, & aſperitas malorum ſenſum illis humanitatis adimit: tenerúmque illud animi ac molle amiſerunt, in quo eſt compaſsio. Nihil æquè eſt ſecũdum hominis naturam: ut afflictos miſerari. quẽ affectum miror Stoicos in bono uiro conatos reuellere, quod fieri nec poteſt, & cõtra rem eſt humani generis. quippe naſcitur ex ſimilitudine quadam, congruentiáq; humanorum animorum inter ſe: nec aliter poteſt animus facere, quàm ut dum aliena mala intuetur, uel de ſeipſo cogitet, ſe quoque illis ipſis malis obiectum atq; obnoxium uiuere: uel certè compatiatur, & ſimilem ſui naturam illis afflictari incommodis doleat. Quòd ſi amor omnia reddit nõ ſolùm communia, ſed unum, quomodo poteſt amicus non dolere, do

re,dolente amico? quomodo poteſt idem animus dolere, in uno amicorum,non dolens in altero? Si ergo ſapientiæ ac bonitatis præceptum eſt, ut amore inter ſe homines deuinciantur,tanquam nodo ſacratiſsimo,eámq; ad rem ficti & appoſiti à natura ſumus: profectò & natura, & ſapientia, & bonitas,miſericordiam nobis indunt,atque indicunt.Iam uerò ſublata miſericordia,quid in eius locum ac uicem reponis? duritiam, immanitatem crudelitatem,inhumanitatem. Hoc ſcilicet expedit humano generi,ut humanitate exuta crudelitatem induat? At dicit Seneca: Poſſum adiuuare afflictum, & miſero opem ferre,ſine dolore illo,& miſeria animi,quã uos miſericordiam nuncupatis.Potes tu fortaſſe aliquando,non poteris ſemper: non poterunt alij, quibus opus eſt interno ad progrediendum calcari. Quid quum nõ habes,quo opituleris:an non ſaltem animus tuus alienis malis flectetur, & ad te quoq; mala illius pertinere declarabis? Non eſt opus longiore diſputatione.hæc eſt clauſula, Non potes adiuuare,nec opem ferre afflicto potiorem, quàm ſi dolenti condoleas:nihil eſt quod animi ægritudines & mala grauiſsima perinde alleuet ac conſoletur, ut communicatio doloris: nullum eſt auxilium uel gratius, uel efficacius.Quid poteſt miſerabilius cuiquã,aut deſperatius in uita contingere,quàm exiſtimare ſe nulli eſſe miſerabilem? quid gratius poteſt uidere miſer,quàm alienas lachrymas cum ſuis conſociatas? Sed Stoicos dimittamus, qui ſe,quos natura homines condiderat,ſcholaſticis cauillatiunculis ſaxa uoluerunt reddere:nec ſunt tamen aſſequuti.Exequamur,quæ reſtant propoſiti. Affectus eſt miſericordia manſuetiſsimus,& hominum generi magno ſuo bono à Deo tributus, ad opem mutuam & conſolationem uariorum caſuum,qui incurrunt in uitam,in qui-

bus amoris defectum ſupplet miſericordia. Quod de malis, quibus nos uicini ſumus atq; obnoxij, eſt dictum: idem ad propinquos, & neceſſarios, & charos nobis transferatur. Compatiũtur enim facilè, ac miſerentur, qui uxores, aut liberos, aut nepotes, aut ſibi amiciſsimos habent eiſdem malis obuios, & quaſi obiectos: ideo ſenes miſericordes ſunt, quia omnia timẽt ſuis. Mollicies cordis ſympathicos & miſericordes efficit, adeò ut quidam eos quoq; miſerentur, qui in malis uerſantur quæ ſunt commeriti: ut pueri & mulierculæ, quos latronum & parricidarum miſeret, uel quum cæduntur uirgis. Contrà duricies cordis miſerationem reſtinguit: ut in ira, in militia, in latrocinijs, in ijs qui minus cõſiderant quid ſit malum, uel ex hebetudine naturæ ſuæ, quales ſunt ruſtici: de quibus non immeritò dixit autor eorum Vergilius, Nec doluit miſerans inopem, aut inuidit habenti. uel ex cupiditate eorum quæ ſibi cenſent bona. Imprudentes & inexperientes facile ac multum exiguorum malorum miſerentur. Generoſi quoque animi & ſimplices, ualde miſericordia tanguntur: ut adoleſcentes, & principes. Experti uerò, & prudentes magnorum, parua pro nihilo ducunt: ut ſancti uiri, iacturam animarũ in populis grauiſsimam cenſent, de corporibus utcunq; commouentur, ſed propter animas: fortunas autem negligunt, ac rident. Opera miſericordiæ amoris operibus ſunt ſimilia, & miſericordia ex amore profluit: uiciſsim amor miſericordia inualeſcit, ut matris erga filiũ ægrum, aut afflictũ aut peregrinantẽ. Nullus affectus adeò habet promptas lachrymas, ac miſeratio: adeò ut qui ſuis malis non illachryment, ad aliena quaſi uicti lachrymentur. quorum utrumq; eſt mirificè decens, honeſtum, liberale. Fit etiam perſæpe, ut quidam qui alienis malis dant lachrymas,

ſuis

ſuis non poßint, tanquam oppreßi magnitudine ægritudinis ac doloris. quemadmodum tradunt Amaſin Aegypti regem uetuſtißimum amici mortem defleuiſſe, nō filij. Dicunt miſericordiam oculis maximè commoueri, quemadmodum Horatius inquit:

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Idcirco olim Romæ ad captandam miſericordiam parui liberi producebantur in forum, aut concionem, & prodibat reus ſordidatus, & atrati amici: & oſtenſæ ſunt plagæ, aut cicatrices in pectore denudato, & ueſtis cruentata, & imago rei geſtæ in tabella depicta. Non dubium quin hæc ad uulgus plurimùm ualeant, quippe quod ſenſibus ducitur. qui uerò magis cogitatione ac mente, hi citius commouentur apta & congruenter expreſſa narratione rerum. Nec pauci ſunt, qui fabula uel hiſtoria mouentur: in re ipſa, ſi coram contingeret, penè immoti. Scenicis actoribus, inquit M. Fabius, eadem uox, eadem pronunciatio, plus ad mouendos affectus ſub perſona ualet: ſcilicet adiuuatur affectus audiendo, phantaſia, & cogitatione. Proficit res ipſa miſerabilis ad eliciendum affectum, adhibita dicentis arte, uelut explicata malorum grauitate, indignitate illius qui ſit perpeſſus: quanto dignior bonis, quàm malis: multo minus dignus hiſce malis, ab his, hoc tempore, hoc loco: quæ ſunt ex fontibus probabilitatis. tum admonentur auditores filiorum, uxorum, rerum charißimarum, deniqueſuimetipſorum & communis ſortis. Præcipiunt artis magiſtri, ut quæ miſeratio dicentis arte, non naturæ ſuæ uiribus lachrymas elicit, ſit breuis: nihil citius areſcere eiuſmodi lachrymula.

LAETITIA ET GAVDIVM.

LAetitia eſt motus animi ex iudicio præſentis iam boni, uel pro certo appetentis. Auerſio mali, pro bono eſt. niſi quòd in bono ſemper eſt lætitia, in diſceſſu autem mali non ſemper: ut quum ſolum ægritudo incumbens tollitur, non ſubit autem contraria lætitia: aut ſi ſubit, leuis eſt, quæ hilaritas nuncupatur. eſt enim hæc lætitia remiſſa. Ex iudicio uerò uel alieni boni, quod nobis placet, modò ne is ita charus ſit, ut unum ſit nobiſcum: tum ex bonis aliquando euenturis, aut præteritis, aut etiam ex malis tranſactis, motus quidam exiſtit iucundus in animo, lætitiæ quidem ſimilis, non tamen propriè lætitia, ſed gaudium: qualis eſt etiam in noſtris bonis, quum ea moderatè ſumimus. Lætitia enim concitationem habet uehementem. eſtq́ue ferè de eo quod ualde deſiderauimus, aut pro quo cõtendimus ac laborauimus: aut quod derepentè cõtigit præter opinionem noſtram, uel expectationem. quo exagitatu dilatatur admodum cor, adeò ut etiam mors interdum conſequatur: uelut in illis mulieribus bello ſecundo Punico, quæ quum filios ſuos, quorũ eſſet mors nunciata, de repentè ſoſpites aſpexiſſent, exanimatæ ſunt. Celeriúsq; ex ingenti lætitia exspirârit quis, quàm ex immodica ægritudine. Ab eadem cordis dilatatione exiſtit riſus atq; exultatio, quum iam pectus coercere non poteſt ſuum cor: tum geſticulatio, & quandoq; dementia. Lætitia moderata, ſeu hilaritas, & gaudium, calore ſuo purgat ſanguinẽ, ualetudinẽ confirmat, calorem inducit florentem, nitidum, gratum. ſicut eſt apud Sapientem: Cor lætum pro medicina eſt, ſpiritus triſtis exiccat oſſa. Qui molli ſunt corde, facilè mœrorem & lætitiam recipiunt, ut ſigillum in cæra: qui duro &

ro & calido, lætitiam citò capiunt, & diu retinent. ſicut cõtrà, qui duro & frigido, mœrorem, ut in atra bili. eſt enim mœror affectus terreſtris, frigidus, & aridus: lætitia autẽ, calidus & humectus. idcirco ea facilè in pueris, & iuuenibus, & beneualentibus naſcitur: tum ocioſis hominibus, & ſecuris. nam metus lætitiam impedit, præſertim ſi ſit rei maioris, quàm de qua eſt lætitia. item in uere, locis item temperatis, amœnis, in feſtis, celebritatibus, cõuiuijs. In lætitiæ aduentu, ne ea impediatur, multi eos obices, qui occurrunt, amoliuntur, & moleſtè ferunt ſe interturbari, quaſique interpellari de curſu rei iucundæ. itaque de re triſti nolunt audire: ut initio feſti, ludorum, conuiuiorum, de morte, de parſimonia, de egeſtate, de negocijs publicis aut priuatis, de ſeueritate uirtutis & frugalitatis. odioſa ſunt hæc omnia per id temporis. conſumpta autem lætitia, audiunt facilè, & magis ad ea commouentur, quàm unquam antea, nempe ex recordatione fugacitatis rei lætæ. celeriter enim uidentur auolare, quæ placent: ſeu quia refrigerato iam corde, facilè ſeueriores cogitationes admittũt. Lætitia tanto eſt maior, quanto nos maius bonum nactos eſſe iudicamus: uidelicet amplum, nouum, rarum, inuſitatũ, quódq; pauciſsimis cõtigerit, iiſq; præcipuis & honoratiſsimis, minor eſt, in contrarijs horum.

DELECTATIO.

Laetitia eſt primus uel aduentantis boni motus, uel iam impliciti atque adiuncti. poſt illum autem quũ reſedit animus, & bono ſibi congruenti fruitur, & acquieſcit, uoluptas eſt, ſeu delectatio: quam definire licet, acquieſcentiam uoluntatis in bono ſibi cõgruenti. Sæpe

admonui,non referre affectus,rem ita eſſe, nécne, modò eſſe exiſtimetur.Quidam enim ſola phantaſiæ actione id conſequuntur,ut in maximis ſibi bonis uideātur uerſari:ſicut ille apud Horatiū,*haud ignobilis* Argis, *Qui ſe credebat miros audire tragœdos,*In *uacuo ſolus ſeſſor plauſórque theatro:nota eſt fabula,quod eſt affectibus omnibus commune.*Delectatio *ſita eſt in congruentia,quam inuenire nō eſt ſine proportionis ratione aliqua inter facultatem & obiectum, ut quædam ſit quaſi ſimilitudo inter illa.tum ne notabiliter ſit maius, quod adfert delectationem:nec notabiliter minus,quàm ea uis quæ recipit uoluptatem,ea utique parte qua recipitur.* Ideo *mediocris lux gratior eſt oculis,quàm ingens:& ſuboſcura gratiora ſunt hebeti uiſui. eundem in modum de ſonis:quo fit,ut notis carminibus magis capiamur in cantu,quàm ignotis.*Additur *autem,qua parte recipitur.nam potentia in eo facultatis expenditur,& obiecti applicatio.alijs auribus idem ſoni uaſti ſunt,alijs moderati:& qui ſonus in proximo erat immodicus,paululū; ſi recedat,moderatus cenſebitur.&* Deus,*qui eſt undiq; immenſus,capitur ad delectationem ab ea parte animi, quæ habet quoque ſuam immēſitatem:& capitur ea ratione,qua poteſt illi accommodari.* At *quemadmodum differentia eſt inter ſanitatem & uoluptatē(neq; enim ualere eſt delectari,quod falſò* Epicurus *credidit)ita eſt inter recreationē & delectationem.*Nam *etſi multæ recreationes uoluptatis naturam obtinent,& uim,non omnes tamen quippe remiſſio uel mutatio laboris etiam à minore ad maiorem,luſus,confabulatiūculæ,haud rarò non perinde animum delectant,ac refocillant & reficiunt.ita capacius quiddam eſt recreatio,quàm uoluptas.*

plas. Recreat utique omnis uoluptas, non omnis recreatio uoluptate afficit. In unaquaq; facultate, qua animantis cognoſcit, ineſt delectationis uis: uelut in ſenſibus externis, internis, in mente, & ut quiſque plurimum eſt alicui facultatum earum deditus, ita delectationibus illius uehemētiſſimè capitur. Populus ſenſibus, ſapientes mēti ſunt addicti, ut eſt cuiuſq; uel facultatis uel rei iucundæ natura & qualitas, ita delectatio excellens eſt ac generoſa, tum etiam pura, & diuturna uel contrà uilis & ſordida, breuis, moleſtiæq; admixta, ac perturbata. Inſima omnium eſt, quæ ad ſenſum tactus pertinet, uidelicet terreſtris, paulò honeſtior, quæ ad guſtū, ſed nihilominus pecuina. leuis eſt in odoratu, qui ſenſus in homine hebetiſſimus eſt: nec tam eſt odor ſuauis gratus, quàm teter & fœtidus moleſtus. Aures, quæ ad aerem pertinent, aliquid habent pulchrius. oculi, qui ad igneam naturam, & ætheree proximam, cæteris præſtāt ſenſibus. Celſiores iſtis ſunt inferiores animi uoluptates: puriſſimæ autem ac celſiſſimæ omnium, quæ ad mentem ſpectant: & in mentis muneribus, quæ ad contemplationē. Voluptates tactus & guſtus nō ſunt durabiles. citò enim hi ſenſus defatigantur, multúmque ſecum trahunt grauitatis ac moleſtiæ: diuturniores ſunt aliorum ſenſuū, & inter eos aſpiciendi uis longiſſimè uoluptatem ſuam haurit. Delectationes phantaſiæ ſtabiliores ſunt, quàm ſenſuum. quo fit, ut cibi, potus, rei Venereæ, muſices, ſpectaculorum citò ſatietas irrepat: non item poſſeſſionis, uel acquiſitionis pecuniæ, potentiæ, honorū, gloriæ, quæ ſunt in phantaſia, & decepta opinione. In mēte ſunt defœcatiſſimæ ac diuturniſſimæ, quibus illa non defatigatur, ſed reficitur. tales illic ſunt, quales nemo niſi expertus ad

tus adduci poßit ut credat. Sed documento eſſe poſſunt ij, qui rerum omnium iacturam facilè ac libenter pertulerunt, ut liberè illis atque ex animi ſui ſententia liceret perfrui. Quæ in contemplatione ſunt uoluptates, ex natura illarũ ſunt, quibus nos in æternitate beatißimi redemur. Idcirco Pythagoras eam uitam dicebat eſſe omnium præcellentißimam, & Ariſtoteles finem bonorũ in contemplatione collocauit. Hæc quidã in uero & recto hominis habitu, qui per delictum corruptus, & tanquam graui depreſſus onere uergit deorſum, réſque inferiores ad ſeſe reficiendũ atque oblectandum quærit. ita diſcedit à contemplatione rerum altißimarum ac præſtantißimarum, ad ea quæ ſunt affectionum uitæ, & uerſatur in politica, reíq; uel publicæ adminiſtratione, uel domeſticæ. Sunt qui ne hunc quidem aſſenſum ferunt, fabellis recreantur, & rerum geſtarum cognitione ſola, ac memoria. Alij operibus tenentur, quæ exercemus manibus: ut ædificatione, textura, ſutura, plaſtice, pictura, & eiuſmodi. Alij ne tantum quidem poſſunt animum intendere, laxißimis utuntur animorum remißionibus: ut luſionibus, uel inerti ac torpido prorſum ocio. Delabũtur quidam ad uoluptates, & ſenſuum illecebras, uſque ad deiectionem illam brutalis ingenij, quæ fit à uoragine uoluptatis immodicæ mente abſorpta. Hinc iam non poteſt magis homo deſcendere, tranſit ad obliquitatem, ut omnino à ratione & iudicio deflectat. excogitauit nobilitatem, decus, famam, gratiam popularẽ, & quicquid in fortuna ad uanitatem pertinet. denique uellet, ſi poſſet, mentem exuere, ut depoſita illius ſeueritate, diſſolutius ſe in oblectamenta immergeret: id quia per ſe non audet facere, retrahente exiſtimationis cura, interponit

perſonam per quam faciat: infantem aliquem dicaculũ, uel morionem, aut ſcurram, cum quo citra dedecus ſtulteſcat. adeò uel tener factus eſt animus, ut nullum ferat pondus: uel depreſſus, ut nutu ſuo deorſum feratur. Mens *nõ eget interuallis fruendi ſuis uoluptatibus: ſenſus egẽt, & quidem crebrò.* Mens *delectationes delectationibus mutat diuerſorum generum, maiores minorib. & uiceuerſa. luſus enim & cogitationes remiſsiores de leuibus aut iucundis rebus, actiones ſunt, & oblectamẽta ingenij. ſenſus autem ocio & quiete & receptu quodam in ſe indigent, ut nihil agant, quum mens ceſſare atque interquieſcere non poſsit.* Ab *ocio & intercapedine maiores ſunt uoluptates in ſenſibus: quas (ut inquit ille in* Satyra*) commendat rarior uſus. & incitatiores ex irritatione contrarij, ut cibus à fame, potus ex ſiti.* Voluptates *corporis & animi extrudunt ſeſe mutuò. dediti corporeis, illas quæ ſunt in mente nõ percipiunt: & è conuerſo. pugnant uerò inter ſe maximè, ut quæq; ſunt præſtantiſsimæ ac uiliſsimæ, nullúmq; patiuntur cõmercium mutuũ.* Omnem *delectationis uigorẽ diutius & purius afficiũt naturalia, quàm artificialia. aurea enim, & argẽtea, & picturas, ſiue elegãtes, ſeu artificioſas, & domos inſtructiſsimas, & ueſtes uel artis exquiſitæ, uel precij uel uetuſtatis, ſi quis ter aut quater aſpexerit, ita exatiabitur, ut amplius moleſtiæ ducat intueri: prata autẽ, montes, hortos, ualles, fluuios, cœlũ, mare, nunquã exatiamur uidendo & contemplando: nimirũ quod unumquicq; eo delectatur, quod ſibi eſt aptum & cõueniens.* Nobis, *qui naturales ſumus, magis opera naturæ congruunt, quàm noſtræ artis.* Accedit *huc rei perfectio, quæ maior eſt in quocũq; naturæ, quàm artis opere. quin & arti ipſi*

naturæ

naturæ opera magis & probantur & placent, quàm ſua ipſius: ſempérque illa cupit & affectat ars imitari, ac effingere. Quòd ſi artificibus concederetur, mallēt utiq; edere ſua opera naturalia, quàm artificialia. & qui proximè acceſſerunt, præclarè ſecum eſſe actum exiſtimarunt, eóque magis probantur ad ſpectatores. Raritas & induſtria precium addunt ijs quæ prodeūt ab arte. miramur enim eatenus poſſe ingenium progredi, & id potuiſſe exprimere. deniq; mutatio omnis, modò ſenſibus noua, iucunda eſt: ut in pantomimis, in pſitacis, in pueris, quum fari incipiunt. Et admiratio uoluptáſque ingentium & ſtupendorum naturæ operum, uel aſſuefactione deteritur, uel occultatur ſub noſtra inconſiderantia. Intenti enim agimus ſemper in res uiles. magna hæc & mirabilia non uacat ſuſpicere, & ſpeculari. Leuis moleſtia magnam ſæpenumero & acrem delectationem diluit: propterea quòd & cōſtitutio noſtri corporis, & curſus ætatis in peius ſemper uergunt. ita paruus dolor maiores uires nanciſcitur ex nobis ipſis, ad nos contrahendos ac proſternendos, quàm delectatio ad erigendos ac dilatandos: magníſq; uiribus eſt opus, ut hoc nutans corpus fulciatur. Iam uerò uoluptatibus facilius caremus, quàm afficimur dolore. Illud priuationis eſt, hōc exiſtentiæ. in priore nihil amittimus, in poſteriore affligitur ſenſus, & rectus illius habitus tantiſper aufertur.

DE RISV.

E*X lætitia & delectatione riſus naſcitur: qui affectus nō eſt, ſed actio exterior ab interiore manans. Nam ex lætitia uel delectatione dilatatur cor, ad cuius motū*

& fa

& facies extenditur,eáq; potiſsimum pars, quæ eſt circa os qui rictus nominatur,unde riſus.Itaque riſus exteriorem ſedem habet in rictu primùm, hinc in oculis, & cuncto uultu.Interiorem autem,Plinius Secūdus affirmat eſſe in præcordijs,quas Græci φρένας appellant: In his,inquit,præcipua hilaritatis ſedes, quod titillatu maximè deprehēditur alarum,quas ſubit:& gladiatores,qui eo loci eſſent ſauciati,ridentes oppetijſſe.qui riſus corporalis eſt prorſus,non ex affectu:ſicut in titillatione ſub axillis,aut alijs in locis. & ego ad primam & alteram buccam,quam ſumo à longa inedia,non poſſum riſum continere:uidelicet contracta præcordia dilatātur ex cibo.Nec riſus ille eſt uerus in mœrore,aut indignatione:qualem fuiſſe Hannibalis in curia Carthaginenſi ferunt,uicti à Scipione.ringere enim eſt illud,non ridere.In quibus flaua abūdat bilis,ij ad riſum ſunt proni,quòd ex calore immodico facile exporrigitur cor: ſicut rurſum pituitoſi,& qui atra bili infeſtantur, propter tarditatem frigoris lenti ſunt ad ridendum. Riſus qui ex affectu naſcitur, de lætitia eſt, aut delectatione noua.ſurgit enim primo illo cōtactu,quo lætitia uel delectatio recens mouet animum.Inſperata uerò & ſubita plus afficiunt,citius commouent riſum,& maiorē.Scilicet de ueteribus,uel aſſuetis nō ridemus:niſi qui illa accipiunt ſæpe tanquam noua, & tum primùm cognita. quod fit uel ex ipſis,qui ad riſum ſunt natura proni,cuius generis ſunt pueri,mulierculæ,fatui:uel ex re quæ adeò eſt animo noſtro congruens, ut quoties occurrit, amplectamur eam uelut nouam.Quidam non rident,ad quæ non attenderunt. eadem multo pòſt tempore, quaſi recordati,incipiunt ridere.Vehemens enim cogitatio ut

affectum

affectum impedit, ita etiam riſum. quibus de cauſis prudentum & ſapientum hominū rarior eſt riſus, & preſſior, iſque ſubriſus uerius, quàm riſus, cùm ob magnas intentáſque cogitationes, tum quòd illis ob prouidentiā reputationémque rerum omnium pauca ſunt noua, aut inſueta. Accedit his conſtitutio corporis, in præſtantibus ingenio uiris, ad atram bilem inclinans. Imperant etiam hi ſibi, ne effuſè rideant, quod eſt præter decorū. Naturalis quidem eſt omnis riſus, nullus uolūtarius: ſed cohibetur tamē uel uſu, uel ratione, ne immoderatè prorumpat, concutiens corpus uniuerſum: quales ſunt imperitorum & ruſticorum cachinnationes, tum puerorū & muliercularū, ut ſui ſint impotes, riſu eiuſmodi correpti ac concitati. Et ut uarij uarijs ad delectationē capiuntur, ita multis de cauſis riſus prodit. Alij rident ob ea quæ cernunt, alij ob ea quæ audiunt: alij de rebus mentis, ſi placent, uel propter lætitiam boni, uel propter delectationem, quæ ferè ad riſum faciendum ſita eſt in deformitate quadam dicti aut facti: ut in geſticulationibus, in grandibus irati uerbis, cui uires deſunt. nā ſi adſint uires, timemus. in caſu innoxio quidem, ſed fœdo: in dictis fatuis, aut ſcurrilibus: in interpretationibus, uel rogationibus abſurdis, reſponſis acutè detortis aliorſum, quàm quò pertinebant rogata: in aßimilatione per uerba, quæ eſt genus quoddam inimicæ repræſentationis: ſicut in geſticulatione, atque alijs eiuſmodi compluribus. In quîs omnibus placet inſperatū illud. recta enim & conſueta uia progredientia ſine ſenſu tranſmittimus, tāquam uetera, quia quodammodo præuiſa: deflexa autem & praua mouent, quia non expectata. Democriti riſus perpetuus, affectatus erat magis quàm naturalis.

& irri

& irriſus, non riſus, ad inceſſendas hominum ſtultitias, quas illi ſapientiam eſſe ducerent. Inter *animantes omnes ſolus homo ridet, quoniam is ſolus habet uultum, quo riſum teſtetur. cæteris autem facies immoto habitu torpet: non quin aliæ ad ſenſum boni & uoluptatis ſuæ concitentur, impẽſius etiã quàm homo: & edunt ſigna quædam, quæ riſus uim & uicem obtinent, ut exultationes, & uoces etiam in ſuo illo genere inconditas: ſed quia uultum, uti nos, non mutant, non dicuntur ridere.* Qui *autem* Græca *uoce agelaſti nominantur, quaſi non ridentes, haud ideo quòd ridere non poßint dicuntur, ſed quia raró: uel ex natura melancholica, & duro corde, uel occupati cogitatione maiorum malorum, qua dilui tur lætitia & uoluptas: aut mente ad diuerſarum rerum ſpeculationem abducta, aut quòd ex acuta & diligenti reputatione rerum omnium, nihil iam eis occurrit nouum. Contrà autem ebulliunt crebri & magni riſus, ſeu mollefacto corde delicijs, ut uino, luſibus, amoribus, fabellis feſtiuis, concentu, laſciuia: ſeu remißis, & quaſi reuocatis cogitationibus: uel reducta ſecuritate, & tanquam animo à metu aut moleſtia liberato, uel delectamentis exquiſitis, maximéque nouis atque inuſitatis.*

DE OFFENSIONE.

HA*ctenus, ut de homine: iam ut de belua atrocißima, atque immanißima. affectus enim, qui ex opinione ueniunt mali, mirum in modum exaſperant atq; efferant humanum animum.* Primus *mali morſus* Offenſio *dicitur, tanquam quum quis impingit. eſt enim dolor ex incongruentis mali contactu.* Vnde *alij affectus ſuppullulant, odij, inuidentiæ, iræ. & eſt animi ille dolor, dolori*

corporis haud abſimilis, qui exiſtit à prima uellicatione aut pũctione. Eſt porrò malum, quod nos offendit, quicquid eſt aduerſum nobis, ac inconueniens, & congruentiæ noſtræ inimicum: quemadmodum quum deforme aliquid intuemur, uel abſurdos ſonos audimus, prauèque concinentes. Congruentia autem hæc uel eſt in corpore, uel in animo. In corpore eſt harmonia illa, qua rectè ualemus. quæ quum aduerſo motu attingitur, offendimur. ut in concuſſu omni ac impulſu, in plaga, uulnere, preſſione, æſtu, algore, ſiti, fame, & eiuſmodi. In animo uerò congruentia eſt primùm in ſenſibus. habent enim ſinguli ſenſuum cum certis rebus conuenientiam, à quarum contrarijs auertũtur, & declinant: ut oculi, colores, & delineamenta ſpecioſa: aures, ſonorum cõcentum: guſtus, ſapores ſibi cõuenientes: nares, odores certos: tactus, proportionem principum qualitatum. Eſt altera congruentia in interioribus ſenſis, uelut imaginatione atq; extimatrice: unde in ſomnijs & delectationes uerſantur, & errores. quæ duo experimur in belluis, ut res à natura ſua alienas aut contrarias refugiant, uel impetum in eas faciant. Eſt item congruentia in ratione, & hæc duplex. altera circa ueritatem, & id quod ſolum ſcitur: altera circa id quod agitur. Actio uerò eſt uel eorum quæ manu excercentur, quæ opera nuncupamus: uel quæ poſita ſunt in uitæ uſu ac ordine, in adminiſtratione prudẽtiæ. Mendacio omnes offendimur, ſi quidem narretur, tanquam uerum. alioqui autem delectat compoſitio & aſſimulatio ueritatis: ut pictura, uel imitatio mimica. Quæ cognitiones artésq; aut diſciplinæ proportionẽ non habent cum ingenio noſtro, offendunt nos quidem ad auerſionem tantum, non item ad inſectationem maleuolam:

niſi

niſi fortè accedat malignitas animi, & proteruitas, aut ſuperbia, ut nihil patiamur pro pulchro haberi, niſi quod nobis placet, aut quo ipſi ſumus præditi. In uita eſt congruens illud & decorum, quod ſitum eſt in rectitudine, officijs, uirtute huius. ut nullæ ſunt ferè præſcriptæ formulæ, ſed ex iudicijs, & cuiuſque æſtimatione pendet, incredibile dictu, quàm uariæ exiſtant ex eo offenſiones: ut uix duos reperias, quibus idem placeat. Sequitur enim quiſque affectum, aut ingenium ſuum, nõ rectum examen rationis. Idcirco in iudicando tanta diuerſitas: quippe ratio uel unica eſt, uel non admodum multifaria: ingenia autem infinita, diuerſiſsima, difformia. Accedit his, nihil eſſe omnino, quòd plurimum rationum argumentorúmque ſit in contrarium capax, quàm officia & decorum uitæ. habent enim hæc, quamcunque te in partem conuerteris, probabilem & pro ſe rationem, & in oppoſitum. unde error & fraus eorum, qui ſingula non rimantur altius. Quarta proportio eſt uoluntatis, de eo quod iudicatum eſt cuique bonum in præſentia. Hinc offenſio, prout eſt & uoluntas uehemens, & quod bonum eſſe ducimus magnum, multúmque expetendum: contrarium autem malum, damnoſum, & accuratè depellẽdum. Offenſiones omnes eo grauiores ſunt, quò interius penetrant. ſcilicet præcipua pars cuiuſque rei ueriſsimè res ipſa eſt, quod eſt in ea intimum. Itaque quòd illud attingit, rem ipſam attingit, & lædit: unde offenſio acerrima. Quocirca grauiſsimæ omnium offenſiones ſunt in uoluntate, minus graues in ratione, tum in ſenſis, poſtremò in ſenſu corporeo. Nec offendimur ijs, quæ lædunt corpus, ſi uoluntas non auerſetur: ut quum ab amiciſsimis cædimur, quod in alijs cenſeremus eſſe intolerabile: &

mendacium,quod pro alio dictum uehementer nos permoueret, pro nobis ipſis gratum eſt, quia placitum uoluntati. In *ſenſione eſt offenſio. quod enim non ſentitur, nec offendit:ut homo muſcis infeſtatur,nõ item elephantus, qui illas non ſentit.* Idcirco *qui delicato ſunt ſenſu, uel natura ſua,uel aſſuefactione, uel debilitate,celeriter offenduntur. nec de ſolo exteriore loquor ſenſu, ſed de omni etiam rationis & uoluntatis.* Teneri *natura ſunt pueri, & mulierculæ.aſſuefactione autẽ, quibus multum indulgetur:ut pueri molliter educati,ſicuti qui à matribus uiduis,principes,diuites, & ij quibus aſſentantur & abblandiuntur omnes,repugnat nemo:quibus etiã omnia cedunt ex ſententia:debilitate autẽ,ſunt ægri,ſenes,laßi, famelici,ſitientes,quiq; magnis animi perturbationibus conflictantur: uelut amoribus,ardentibus deſiderijs,quæ explere non poſſunt.* Accedunt *his uigiliæ, anxietates, metus,terrores,omnis deniq; exiccatio corporis,& feruefactio.nã affectus hic ad calidos & ſiccos refertur:idcirco in ſimilibus conſtitutionibus corporũ,& qualitatibus locorum ac temporũ facilè inualeſcit.* Et *inſuetudine quoq; ſenſus offenſionis eſt multus & frequẽs.*Noui *enim & inexperti paßim offenduntur etiã minutißimis omnibus,ſcilicet perſtringũtur,quibus nõ aſſueuerũt:ut qui nunquã prius domo egreßi,peregrè proficiſcuntur, quæcunq; uidẽt fieri à patrijs moribus aliena,damnant, atq; abominantur,tanquã abſurdã,ſtulta,barbarica,quũ ſint tamen plerunq; potiora, quàm quibus domi inſueuerant.*Non *ſunt adeò delicati homines in uſu rerũ & experimentis uerſati, nec cõſuefacti probra & cõtumelias ferre, ut* Socrates:*qui in priuato patientiã diſcebat, quã in publico præſtaret:nec qui aſſultus ſunt fortunæ crebrò*

per

perpeſſi. Sunt aliæ offenſiones cuique peculiares, quas eſſet immenſum perſequi: ut alij ſerræ ſtridorem ferre non poſſunt, alij grunnitum ſuis, alij morderi lintheum, alij frangi prunã ardentem forcipe. Sunt quos offendit geſtus ad certũ modum compoſitus, ſeſſio, inceſſus, motio manus, locutio: ſunt quos uel ruga alienæ ueſtis. quis ualeat explicare moroſitates difficilis huius animantis? nec ipſe tolerabilis eſt cuiquam, nec poteſt alia tolerare. Et *hoc in ſingulis hominũ. quid mirũ, ſi nihil ſit tam probè, tam rectè, tam ſanctè factũ, quod omnibus in multitudine placeat?* Q*uidã ex praua cõſuetudine aſpernãdi omnia, cum traxerũt morẽ, ut quibuslibet citra iudicium, citra diſcrimen omne offendantur: quibus etiam hoc ſapientiæ loco eſt, nihil ne rectiſſimè quidem factũ approbare, in omnibus mira iniquitate iudiciorum exquirere quod damnent. quo nomine plurimũ ſibi placent, & apud ſtultos ſpectatores ingenij gloriam conſequuntur: quaſi uerò non ſit multo prõptius, & cuilibet factu facilius, promiſcuè damnare omnia, quã inter bona & mala diſcrimen ponere, quod ingenioſi demum eſt hominis, & cordati. Contrarijs ex cauſis minuitur & detrahitur offenſio.* Extremum *offenſionis eſt excandeſcentia, infimum autem auerſatio, quũ offenſio auerſione ſola & ſeparatione placatur: ut quum hilaris recedit à triſti, iocoſus à ſeuero, fullo à carbonario, quæ moleſtia nuncupatur.* Ex*candeſcentia cõcutit uniuerſum corpus, & accendit cor. quum autem eſt compreſſa, nec poteſt erumpere, cõuertitur in rabiem, & infert ſibi manus uiolentas. tum extendit ſe latè, etiam in eos qui nihil offenderunt. ipſa ſe enim irritat, & exacerbat, & dilatat.* Data *eſt homini offenſio, ut ad primum uelut mali guſtum ſtatim reſiliat,*

neu progrediatur ulterius, ne fortè ex aſſuefactione malum eiuſmodi incipiat ei allubeſcere. Offenſioni contraria eſt allubeſcentia: priuatio autem, animi æquabilitas & profunditas quædam: ut facile deuoret, quæ alij non poſſunt perferre.

DE CONTEMPTV.

Contemptus ex offenſione naſcitur, quum malum eiuſmodi eſt, quod non nocet quidem, ſed uile atque abiectum iudicatur, ut in homines nequam & perditos: Non cupimus ei, quem contemnimus, benefactum: ſed nec uolumus eum lædere, tantum illudere, & oſtendere quàm deſpiciendus ſit, ac pro nihilo habendus. Cõtemptus odij atque inuidiæ acerbitatem ſæpe diluit, ut non tantum cupiamus illi malefactum, quum id quod uires nullas habet, conatur tamen nocere, & ferocit in imbecillitate. Naſcitur apud quoſdã odium, apud alios non odium, ſed augetur contèmptus & irriſio: quale eſt illud in prouerbio, Mulier gladium. Contemptum ſequuntur irriſio, ſubſannatio, geſticulatio, deluſio, auerſio oculorum & aurium ab ijs quæ dicit aut facit, deſpectus, tanquam indigna ſint uideri, uel audiri. Puſillanimi ſuſpicaces ſunt, & contẽni ſe ab omnibus exiſtimant: quicquid alij agant, aut dicant, ad ſui contemptionem rapiũt. unde crebræ querimoniæ, & maledictio. Contemnitur facilè, qui minimum nactus ſit ex ijs bonis, quibus nos plurimum tribuimus: ut alij nobilitati, alij facundiæ, diuitijs, animoſitati, & eiuſmodi. In precio eſt autem, ſi alia ſit nactus bona non minoris æſtimanda, ut potentiam, dignitatem, gratiam, eruditionem: uel ſi poteſt multum lædere. non enim contemnimus, quos metuimus. Nihil ab eo ſperes, inquit Cicero, quia nolet: nihil ab eo timeas, quia non poterit.

DE

DE IRA ET OFFENSIONE.

IRa eſt concitatio animi acerba, quòd bona ſua uidet comtemni, quæ ipſe putat non eſſe cõtemnenda in quo & ſemetipſum cenſet contemni. cuiq; enim precium atq; æſtimatio ex ſuis bonis. Ira eſt motus, iracũdia habitus, uel ingenium naturale. Ira omnis ex offenſione naſcitur: non eſt autẽ omnis offenſio ira. differũt enim duo hæc, ut generale & ſpeciale. Sed cõmuni tamen ſermone confundũtur, adeò ut altera pro altera ſumatur. & habẽt alioqui motus atq; effectus conſimiles, tantum diſtant adiectione contemptus, tanquam diſtinctione formæ à genere: quippe ira ſine contemptu non eſt, offenſio eſſe poteſt. Itaque iraſci dicimur rebus mutis & infantibus, & inanimis, quum nòn ad arbitrium noſtrum nobis parent. nobiſmetipſis quoq;, quum facti alicuius pœnitet: aut quum aliquid agere conamur, nec procedit. Offenſio autem eſt hæc, non ira. neque enim ineſt in his ſpecies contemptionis: ſed ita ſunt tamen, ſicuti dicebam modò, ira & offenſio ſenſu ſermonèque communi, non uulgi modo, ſed doctorum quoque, permixta & inuoluta, ut ſæpenumero de utraque intelligendũ ſit, quod de altera dicitur, paritérque ſit præcipiendum de ambabus. Quemadmodum etiam eſt genus quoddam inflãmationis in pectore, quum concitat ſe animus, magnóſque ardores ad grande aliquid arduúmque efficiendum concipit: quod ſine ira atque offenſione contingit. nulla enim mali eſt ſpecies obiecta. Iraſci tamen uocant omnes, etiam Ariſtoteles ipſe, & grandia opera ad partem iraſcibilem referunt, abutentes nomine, quòd omnem incenſionem ſanguinis ſub ira comprehendunt. eſt hoc autem inflammatæ cupiditatis. Sed redeamus ad propoſitum. Neglectio pro con-

temptu ducitur, apud eos præſertim qui maximam habent de ſe ipſis exiſtimationem, aut ſi ſua bona putant omnibus præferenda, & uenerabilia: de quo numero ſunt nobiles, milites, facundi, formoſi, ſuperiores quocunque genere bonorum, cenſent exhiberi ſibi reuerētiam oportere: adeò quum non ſit, contemptos ſe interpretantur. Signa, ex quibus contemptionem colligimus, nimis multa fecit humanæ ſuperbiæ ſuſpicacitas, dicta, facta, riſus, nutus, geſtus, motus corporis: & quū uires nacta eſt ſuſpicio, nihil non eòdem rapitur. Eſt motus quidam offenſionis naturalis, aduerſus eum qui læſit corpus: qualis eſt inferis. eſt alter, qui ſubitò quidem exiſtit, & quaſi ſine tempore ad primum tactum comtemptus, ita ut nonnulli naturalem eſſe ducant, & iudicio anteuertere. is nonnunquam fit ex bile immodicè inflammata, aliàs uerò non ex iudicio à contemptu orto ſubitò: ſed ex illo quod in animo habemus præceptum, & confirmatum, bonos eſſe nos, doctos, generoſos, induſtrios, præſtantes: oportere nobis honorem exhiberi, & reuerentiam, non oportere nos contemni, ex hoc iudicio informato intus atque infixo, ſubitò ira incaleſcit, ubi primum contemptus uel procul ſeſe protulit, ac oſtendit. Ira & uehemens offenſio peruertit mentem, ne recordetur iuſti ac pij, non beneuolentiæ, non neceßitudinum. nam occiderunt quidem uxores & charißimos liberos, irati: & prodegerunt opes auari, ambitioſi honores ſpreuerunt: & hæc omnia ex alio impotentiore amore. Atque indulgentia ſui tenerrima obtenebrat iudicium, negligit ſe, modò irruat in ultionem: eſt planè cæcitas mentis. extenditur adeò, ut ſe uellet ulciſci uel cum iactura cœli, terræ, generis humani: & indignatur,

quòd in ultionem ſuam non etiam aſtra ipſa conſpirent, & concitentur. Iraſcimur non ſolùm uni alicui, qui nocuit, ſed toti nationi propter eum: ut Dido Troianis, & poſteris eorum, propter Aeneam. Sed fortaßis hoc magis odium fuerit, quàm ira, ut Ariſtoteli placet: Seneca iram eſſe dicit. Quidam libenter immorantur, nõ in ira, ſed in reputatione ultionis, quæ eſt res homini grata. quibus incommodis afficeret eum qui læſit. Inducit furorem mentis, quũ eſt uehemẽs, & inſaniam, ſicut in Aiace: alios item morbos, & mortem. L. Sylla in Puteolanũ quendam excandeſcens interijt. In corpore uerò horrẽdos edit effectus, & uiro indignos. Efferueſcit enim ſanguis circa cor initio offenſionis, córq; ipſum turgeſcit: unde eſt frequens illa palpitatio in pectore. ſed nondũ eſt ira tamen, nec offenſio, quouſque ardentes illi à corde ſpiritus cerebrum inuaſerunt. quantumcunq; enim pectus incaleſcat, ſedatus erit homo, & quietus, ſi calor ad cerebrũ non penetret: quemadmodum nec ebrius eſt, qui multum hauſit uini, ſed cui uinum caput percelluit. Celerrimè igitur exardeſcunt, quibus humores in cerebro ſunt præferuidi. inde eſt etiam mutatio uultus, trepidatio oris, impedimentũ ſermonis, & alia uiſu teterrima, beluæ planè, non hominis. Et ſunt adeò ſtolidi nonnulli, qui præter eam deformitatem, quam ira foras promit, & depingit in facie, gaudent efferare uultum, & geſtũ uniuerſi corporis. Irati alij pallent facie, refugiente ſanguine ad cor: hi ſunt animoſi. alij rubent, aſcendente ad caput: iſti ignauiores. Et ut eſt ira dolor, quòd bona ſua, quæ putat non aſpernenda, contemnuntur: ideo uult oſtendere, ſua bona non eſſe parui æſtimanda. ídque ſe aſſecuturum credit oſtenſione potẽtiæ, & præcipuè no-

cendo,unde appetitus ultionis,qui eſt ei communis cum offenſione,odio & inuidia. Ariſtoteles aliquot ponit diſcrimina inter odiũ & iram. Odium,inquit, creſcit tempore,ira minuitur.ultio iræ,eſt dolorem reponere:ultio odij,eſt malefacere,& ualde nocere.ira uult ſentiri ſuã ultionem:odium id non curat,modò malefaciat. itaque mortem inimico adfert,uel quòd mortis ſit inſtar,truncationem membri,morbum,egeſtatem,carcerem,exiliũ, uitium quoque aut demẽtiam,ut olim Cretenſes,qui inimicis ſuis nihil imprecabãtur aliud,quàm ut rebus malis delectarentur,& aſſuefacerent. Iratus dolet, odiens non dolet. Ira & offenſio facit potentes formidoloſos, impotentes autem ridiculos:ut pueros, & mulierculas, atq; eo magis,ſi iactent uerba grandia, & tragica, & ad potentum imitationem minentur dira atq; horrẽda. Seneca totam iram ſubitò dicit exiſtere:cui meritò Plutarchus refragatur. creſcit enim ex ſuis cauſis:ut ignis fomento ſubiecto. Gliſcit porrò ex eiſdẽ,quibus de cauſis erat orta:nempe ex contẽptus opinione,per loca argumẽtorũ omnia,ex eo in quo eſt tenero,delicato, laſſo, ægro,famelico,amante:iuxta uetera prouerbia, Animo cupienti nihil ſatis feſtinare,à laſſo rixam quæri,fame ac mora bilem cieri:adeò ut in aliquibus horum feruor hic naturalis ſit,ut dixi,& iudicio prior. Qui inſueti ſunt accipere iniuriam,ijs offenſio eſt intolerabilior. In imbecillibus acuta eſt ira, & prompta. putant enim ſe deſpici,quia inualidi,& ex moroſitate ſunt ſuſpicaces. Omnis etiam infirmitas,magnam habet ſuſpicionem de contemptione ſui à ſuperiore.ideò facilè ſtomachatur, & illum ſuperbiæ inſimulat.denique quiſquis ita de ſe ſentit,ut facilè contemni ſe putet poſſe:ſenes, ægri, inopes,ign

pes, ignobiles, ignominioſi. Aquæ potores uehementes & iracũdi ſunt, quia tenues habẽt ſpiritus, qui citò corripiuntur ab incẽdio iræ: Qui uinum potant, uel ceruiſiam, craßiores habent, & ad incendendum minus faciles. Studioſi homines, quòd ob laborem cogitandi, calor ad cerebrum rapitur, ubi ſedes eſt iracundiæ, huic affectioni ſunt obnoxij, teneri quoque & delicati, quibúſq; multum indulgetur. Ideo grauißimæ ſunt iræ principũ, & diuturnæ, quibus omnes non ſolùm indulgẽt, ſed adulantur. Ex loco, magiſtrum contemni in ſchola: tum in locis calidis, ſtomachoſi. Ex ijs qui in loco, apud hos aut illos. permagni enim refert, apud quem fiat contẽptus. Moleſtius patimur, ſi apud eos cõtemnamur, apud quos cupimus eſſe quàm honoratißimi. Ex tempore, quũ iret ad petendam dignitatem, quum coronatus: ut Demoſthenes contra Midiam, in meſſe detineri agricolam. Eſt & ſtatus rerum: grauior ducitur contumelia, ſi propter præſentem fortunam ſimus deſpectui, quum aliàs fuerit proſperior. Ex agente cõtradicenti iraſcimur, quia uidetur paruifacere noſtrum iudicium, & maxime quũ de nobiſmetipſis cenſetur. Si minor eſt ea in re, de qua nos aſpernatur, ut de nobilitate, de opibus, de eruditione: ſi amicus, ſi affectus beneficio à nobis, aut noſtris, aut ipſe, aut aliquis eius neceſſarius: ſi uolumus, aut uoluimus prodeſſe. in quo eſt ſæpe offenſio magis, quàm ira, ſicuti in hoc, ſi non referant debitam gratiam: & tanto magis, ſi damnum reponant pro beneficio. item ſi is qui debet ſubuenire potius, quàm aſpernari: ut filius, pater, princeps. eſt enim officij uel prætermißio, uel uiolatio. Sed ira eſt, ſi à familiaribus, à quibus contẽptus eſt, multo acrior: quoniam quum ij nos negligunt, qui exiſtimãtur nos

tur nos optimè nouiſſe, iure habemur pro deſpectis. Si ab his, à quibus ſoliti ſumus honorari, ſi non honorent, uel neglectim prætereant, uel etiam afficiant probro aut contumelia, contemptio cenſetur intolerabilis. Ex inſtrumento: ut ſi quis percußit pugno, uel palma, uel arundine. Ex modo actionis: iraſcitur uehementer, qui quid ualde cupit: iraſcitur, ſi quis contrà ueniat, ſiue contrà uenire uideatur, etiam ijs qui ſecum non conſentiunt, & non unà incandeſcunt. mouent nobis ſtomachum non ſolùm ij qui affecerunt contemptu, ſed qui nunciarunt, qui retulerunt. ut ille qui uulnerauit recitantē carmen contra ipſum compoſitum: qui refert, inquit, carmen de me maledicum, is facit. Patet hoc latißimè ad omnem eum, qui quoquomodo fuit cauſa, etiam remota, & ſegnis: non quæ quid egerit, ſed cuius quid occaſione eſt actum, aut præbuit occaſionē, aut potuiſſet impedire, ſi uoluiſſet, quippe in his omnibus reſidet uel deſpectus, uel neglectus quidā. Incandeſcimus, ſi paruipendatur id quod nos plurimi facimus, ſiue in nobis, ſiue in alijs, & de quo uolumus æſtimari magni uel nos, uel chari noſtri: ut philoſophus, ſi philoſophia uituperetur: homo militaris, ſi militia: atque eo magis, ſi ab hominibus inexpertibus illius rei id fiat, nempe à rudi, ab imbelli. Qui adferre ſe bonum aliquod putat alteri, uelut lætū nunciū, uel munus, ſuccenſet ei qui negat eſſe tale. uidetur enim paruifacere, id quod ille dicebat eſſe amplū, & quod attuliſſe gloriabatur. Si quis gaudeat in felicitate noſtra, grauißimè offendit. Iráſcimur nunciātibus aduerſa, ut Agamennon Calchanti, quem uocat μάντιν κακῶν: & ijs qui triſtia noſtra ſpectauerunt, uel audiuerunt, quoniam nō uidentur curare dolorem noſtrum: gerunt enim ſe tanquam

quam

quam uel contemnentes,uel inimicos,uel pro nihilo ha=bentes. nam amici,aut qui reuerentur, condolent,indi=gnantur,uindicant. atque eo impatientius irritamur,ſi arriſerunt,ſi oſtenderunt placere ſibi noſtram deformi tatem. Succenſemus ijs quoque qui noſtra ſeria uertũt in ioca,& ſcommata admiſcent:nam uidentur contẽptim eludere. Exard*eſcimus & in eos qui omnibus benefa=ciunt,ſi non etiam nobis:nam id ſpeciem præ ſe fert in=curiæ. tum qui nobis multum rogantibus denegarunt:in quo interdum ſubit inuidia,uel odium.* Obliuio *quoque iram parit:nam eſt neglectio. ut etiã iniquo animo ac=cipiant quidam,ſi alieno nomine compellentur:ſcilicet uidemur illos non curare,& præterire tanquam uiles.* Ex *fine,ſpoliauit,ut derideret aut illuderet.* Ex *contin=gentibus,quum contemptus præter aut contra opiniõnẽ accidit. eo eſt enim acerbíor.* Ex *ijs quæ ante rem,ſi pa=res amici:ex ijs quæ poſt rem,ſi ad eam contemptionem uidetur ſequi diuturna ignominia,nobis,familiæ,natio=ni.* Incendimur *nonnunquam autoritate ſola,quum nos nihil cauſæ cernimus ad animum concitandum. urgent tamen & ſtimulant nos propinqui,affines,neceſſarij,ſu=periores,quibus nos animum noſtrũ non permittere pro flagitio habetur.* Ita *non ſatis eſt,affectus tam uariè in nobis pullulare,niſi etiam iuſſi accipiamus.* O *quàm dolendũ eſt,tot ex cauſis naſci augeríque monſtrum hoc adeò pernicioſum humano generi. Sunt qui iram etiam poſtquam præterijt,ſimulent ex ſuperbia, ne ſine cauſa uideantur excanduiſſe,& opera agunt iratorum. Sapienter Seneca:*Multos *abſoluemus,ſi cœperimus an=tè iudicare, quàm iraſci. nunc autem primum impetum ſequimur:deinde quamuis uana nos concitauerint, per=*

ſeuera

ſeueramus, ne uideamur cœpiſſe ſine cauſa. & quod iniquiſsimum eſt, pertinaciores nos facit iniquitas iræ. retinemus enim illam, & augemus: quaſi argumentum ſit iuſtè iraſcendi, grauiter iraſci. Sic ille. Feruor ille à pulmonibus extinguitur, quum illos conus attigit cordis. Quoſdam uidemus breuiſsimo tempore facere finē ultionis cupiendæ, propter pulmones paratos, & raritatē ſanguinis circa cor, qui ſtatim reſtinguitur, ut ſtupa incenſa. Lentiores ſunt ad iram frigidæ temperaturæ, ſed in ea pertinaciores. Itaq; iuuat ratione uictus uti moderata: ut cibi ac potiones ſint frigidæ, & in biliofis craſſæ, ſomnus largior, quies, actiōes remiſſæ. Deferueſcit ira, minuta uel opinione contemptus, uel ultionis cupidine, uel quia nos ſimus obliti, uel quia auertimus cogitationem: quapropter utile eſt ſe ad lætiora trāsferre. Ira deferueſcit facilè feſtis diebus, celebritatibus, ludis, conuiuijs, hilaritate, rebus proſperis, & ſucceſſu. Riſus & feſtiuum aliquod reſponſum diſſoluit offenſas: quo modo Tarentini iuuenes placarunt infenſum Pyrrhum. Obtunditur etiam, quia illi quorum iudiciū magni æſtimabamus, & à quibus dolebamus nos deſpici, ſunt iam obliti: uel quia mortui, uel quia diſceſſerunt, ubi uel non aſpernabuntur amplius nos, uel iam illorū aſpernationē illic non curamus, uel non cernimus. uel illi ſunt diminuti: ut ridiculi ſint potius, ſi faſtidium præ ſe oſtendant, quàm curandi. Ceſſat ira, quum declaratum eſt nō fuiſſe contemptum, quem credebamus: ut quū quid fecit homo ſtultus, aut imprudens, aut imperitus, aut morbo aliquo dementiæ laborans, ut non poſsit rectè iudicare: adhæc aſſuetus, aut inuitus, & qui coactus facit. eiuſmodi enim non contemnunt: ut quum iniuria ad neceſsitatem ineuitabilem

tabilem refertur,uelut ad diuinam uolũtatem, cui nemo poteſt reſiſtere:aut imperium regis,uel tyranni,uel eius omnino qui poteſt extrema ui cogere.Item qui alteri nocet,ut ſibi proſit:non enim is dicitur cõtemnere.& malunt homines à perturbatis agitatione animi aliquapiã iniuriã accipere,quàm à quietis,& ocioſè ſtatuentibus. Nec eſt contemptus,quum prætenditur factum quid eſſe à confiſis beneuolentia aut humanitate,& placabilitate,alterius potius eſt opinio quædam excellentiæ. Accedit his, quum nouo honore opinio utilitatis adimitur. Porrò quum animaduertimus,uel amiciſſimos noſtros, & quorum affectus ducimus pro noſtris,non iraſci, & iudicare non eſſe contumeliam,miteſcimus ex autoritate:quemadmodum contrà ex autoritate concitamur,ut modò diximus.item quum uidemus iniurioſo illi multos iraſci,atque indignitate permoueri, placamur:ſcilicet manifeſtò tunc apparet,malè illũ de nobis iudicaſſe, & tot iudicijs in contrarium acquieſcimus.Quid, quod eſt uelut genus quoddam ultionis,tam multos uni eſſe infenſos? Iam uerò eſt quũ pœnitet eum,qui nos offendit:nam hic pœnam paſſus eſt ex pœnitentia.qui fatentur ſe erraſſe,minuunt noſtram iram:qui negant ſe feciſſe quod accuſantur,quia non admiſerunt contemptum,quem ſuſpicabamur,uel quia metuunt nos,& ſuperiores fatentur eſſe.Quũ autem eſt offenſio,nõ item ira, magis accendimur,ſi exiſtimemus eos mentiri:ut erga filios,uel famulos,uel diſcipulos.irritamur enim impudentia eorum,uel contumacia.Quum quis ſe nobis ſubijcit,lenit animũ:quod animaduertere eſt in feris. Si quis afficiat nos magno aliquo beneficio,in eum miteſcit ira.Subijcitur etiã qui eget,qui rogat,qui in calamitatẽ incidit,

Defer

*Deferueſcit bilis,ſi inuiſi reuereantur nos, & metuant.
hæc enim ſubiectio eſt contraria deſpectui.* Adde, *quum
ipſi nos damnamus,iudicãtes iuſtè pati,ac meritò:quod
fecit* Dauid *erga* Semei.*quippe non tũ noſtra bona ma=
gnifacienda arbitramur,maliciam noſtram reputantes.*
Et *ut bilis accenſa parit facilè offenſionẽ atq; iram:ita
quum ſe remiſit,extinguitur illa,quaſi perturbationis
flamma.*Quocirca *bilim refrigerare,quod paulò antea
monebam,ualde conducit,uel cibo,uel potione,uel ablu=
tione,uel ſomno,uel cœlo aperto, & aſpectu amœnita=
tis.*Ideo *qui conuiuijs & genio crebrò indulgent, tum
offendũtur rarius,tum offenſionẽ remittere promptio=
res ſunt:ut gentes ad Septentrionem.* Multum *ad iram
excludendam facit,præcognitum habere & perſuaſum,
homines ferè omnes iniquiſſimè de rebus ſtatuere,uel
ex imperitia,uel ex praua aliqua libidine animi:ut ma=
gis ipſi qui contemnunt,contemnendi ſint,uel miſerandi
uerius:tum de ſeipſo non magnificam habere exiſtima=
tionẽ,ſed noſſe ſe,quàm ex multis uicijs,erroribus, im=
becillitate,uilitate compactus ſit,& concinnatus.* Tri=
*buta eſt homini ira ad appetitum rerũ excellentium,ut
quum uideat ſe,ac doleat, ob uiles abiectáſque actiones
reijci ac contemni,det operã,ut ſe ab illis uindicet,trãſ=
ferátque ad præclaras,quæ contemni iure non poſſint.*

DE ODIO.

O*Dium eſt offenſio radicata,qua quis cupit graui=
ter illum lædere,in quem tendit offenſæ exiſtima=
tio.non enim ad coniunctum modò tempus,aut præteri=
tum offenſio hæc ſe porrigit,ſed ad uenturum quoq;,&
poſſibile.*Itaq; *odimus eũ qui læſit,qui lædit, qui lædet,*

quem

quem lædere arbitremur poſſe. Suſpicio magnum hic regnum obtinet, in qua uel meticuloſum noſtrum ingenium ſequimur, uel coniecturam ex ratione aut experimentis, quòd alios læſit, quòd eius parentes aut propinqui læſerunt, quòd qui tales ſunt, ſolent lædere: ut qui robuſti & animoſi abſq; mente, & feræ famelicæ uel irritatæ. eóq; multorum iniuriaas experti, minus quidem & rarius offenduntur, ſed magis timent, & ſuſpicaciores ſunt, unde procliuiores ad odium: niſi ſi bonitate naturæ mitigentur, aut ſapientibus cõſiderationibus, ut Socrates *Athenienſis.* Et *brutæ animantes eam oderunt imaginem, ſub qua fuerunt aliquando læſæ.* Ignaui *homines in odium ſunt proni, quippe qui undique imminere ſibi damnum metuunt. itaque oderunt omne genus uirium ac potentiæ, à quo lædi poßint ſiue in animo, ſiue in corpore, ſiue in fortunis.* Vnde *exiſtit magna in potentibus formidoloſis ſæuitia: qualem de* Caligula, & Nerone, *alijsqúe ignauis principibus accipimus.* Et *qui in homines potentes peccârunt, grauiter illos oderunt metu pœnæ, uelléntq; eos ſublatos, ut ipſi agerent ſecurè. hinc ſententia illa,* Offendentem *non ignoſcere. Cauſæ uehementes odij ſunt cuique, ut quiſque res æſtimat.* Ambitioſo *grauißima eſt, aliquid contra ſuam exiſtimationem dixiſſe, feciſſe, cogitaſſe: auaro contra commoda, religioſo contra pietatem, bono ciui contra patriam, rémque publicam.* Quòd *ſi animum prius amor occuparat, hoc abolito facilius ſubit odium, ut quum quid deprehendimus non eſſe quale arbitramur.* Acrius *autem exaſperatur odium, cùm deprehendimus contrarium: ut eſſe auarum, quem de benignitate diligebamus: eſſe ſegnem, quem de ſtrenuitate.* Idem *contingit, quum amori opponitur odij*

cauſa, quæ prægraue: ut ſpoliatos eſſe nos ab hoc, quem liberalem erga alios eſſe deprehendimus. Odium ex *frigidis eſt & ſiccis, idcirco eiuſmodi perſonis, locis, temporibus inualeſcit: ut melancholicis, hyeme, morbo, egeſtate, famæ infamia.* Agit *quidē in his altius radices odiū, ſed iners & ſegne: acuitur autem ad acerbitatem calore.* Sunt *ad odium procliues, ſuperbi & inuidi, & naturali quadam maleuolentia præditi, quíque illam aſſuefactione contraxerunt, ſoliti malis hominum gaudere.* Qui *tenerrimè ſeſe amant, leuibus de cauſis oderunt alios. ſemper enim lædi ſeſe autumant, iniuriámque ſibi fieri interprètantur.* Confirmatur *atque augetur odium à frequenti ira: unde & odium dixerunt quidam, iram eſſe inueteratam.* Item *ab inuidia, quod eſt omnium incitatiſſimum atque atrociſſimum: citiúsque odium placatur, ortum à grandi quapiam iniuria uel contumelia, quàm ab inuidia.* Odium *ex metu auertit cogitationem: non enim libenter de eo cogitamus, quo terremur. ex ira autem, uel inuidia, crebram reputationem adfert, ſiue in noſtris proſperis, ut inimici doleant: quemadmodum apud* Comicum Gnato Parmenoni: Nunquid uides, quod nolis? In *aduerſis autem, ne inimici lætentur: quale eſt illud* Neſtoris Homerici, *Gaudebit hac noſtra diſſenſione* Priamus. Idcirco *quantum poſſumus, cauemus, ne illi triſtes nos eſſe ſentiant, aut demiſſos: niſi fortè quum de induſtria odium inuidiæ defugimus, ſicut* Dionyſius Corinthi. *Gaudemus uerò, quum quos odimus, malè habent: atque eo magis, ſi in eo quod nos offendit: ut uires eſſe ademptas inſolenti, autoritatem arroganti, diuitias diuiti prauè illis utenti.* Ex *læta boni ſenſione amor naſcitur: ex amaro ſenſu, mali odium.* Bona *autem pro-*

pter

pter naturæ noſtræ imbecillitatem nec pura ſunt unquam, nec diuturna, ſenſumq́ue ſui exiguum relinquunt: mala uerò contrà, quoniam in nobis inueniunt ubi inſideant, atque infigantur, & longiora & grauiora ſunt, diutinúmque ueſtigium ſui imprimunt: quo fit, ut odium citius in animis noſtris proueniat, quàm amor, & maiores agat radices, & ſtabiliores ſint illius ſtirpes ac fibræ: uidelicet quòd in nobis inuenit ſolum ſibi conueniens. Rectè Cicero: Cui dolet, meminit: cui placet, obliuiſcitur. Ex odio ſuppullulant, maledicentia, & quum incanduit, acerbitas, ac ſæuitia. Amor ſtimulat ad bene agendum, odium autem auertit à bene agendo, & ad nocendum impetit, ac ſollicitat. ideo ſerit inimicitiarum ſemina: & aſtutè dat operam, ut quem odit, incidat in periculum: uelut in iram eius, qui multum poteſt lædere. Quomodocunque enim, ſiue per ſe, ſiue per alium, clàm, palàm, cupit illi malè euenire. Hebetatur odium rebus calidis ac humidis, rebus lætis, ac ualde proſperis. Tum ijs oppoſitis, quæ amorem pariunt, aliàs potioribus quàm erant odij cauſæ: aliàs paribus, interdum quoque leuioribus, ut quiſque eſt pro tempore affectus. Adimitur miſericordia, tollitur ſpe, aut cupiditate certa aliquid ab inimico adipiſcendi, quod utile aut iucundum credamus fore, dignúmque ut illum de eo munere diligamus. Diluitur item maiore aliquo & grauiore odio, aut aliarum rerum magni momenti cura & ſollicitudine. Sublatis quoque odij cauſis, contingit aboleri odium: ut quum quis eſt mutatus. atque hoc promptius, ſi qua ſubſit alia amandi cauſa: ut quòd propinquus, neceſſarius, eruditus, reipublicæ utilis, quòd redijt ad frugem meliorem. Comtemptus rerum terrenarum, & erectio

animi ad cœleſtes illas ac ſempiternas, frangit odia atque inimicitias. Quid enim illi, qui in cœleſtem patriam eſt intentus, cum offenſiunculis breuis huius peregrinationis? Debilitatur etiam odium, *ſi quis aſſueſcat, quæ alij fecerint, aut dixerint, in meliorem partem deflectere. auferetur enim ea cogitatione origo offenſionis, ac proinde odij quoque.*

DE INVIDIA.

Bonum quod alteri contigit, quatuor modis poteſt conſiderari. nam uel nocet nobis, ut quum noſtra bona fiunt minora applicatione aliorum, quæ maiora cenſeantur: quemadmodum quum ſublatis in altum uicinis parietibus, officitur noſtris luminibus, in quo eſt dolor quidam naturalis. nam orbatio bonorum pro malo eſt. Altera eſt ratio boni alieni, quum non nocet illud quidem nobis, ſed dolemus, quòd non tantundem nobis euenerit: quæ eſt cupiditatis ſpecies quædam. Tertia eſt forma, quum nollemus alios conſequi, quod nos ſumus conſequuti, aut quod nos expetimus, aut quod concupiuimus, nec potuimus aſſequi. Maior eſt hæc inuidia, quum de ijs bonis, quæ nobis oportere adeſſe cenſemus, nec adſunt: aut quæ alijs communicantur, quum nos propria eſſe nobis oportere iudicamus, ut dignitatē in nobili. Hæc ſpecies uocatur Zelus. Quarta eſt forma, quum id ſolum dolet nobis abſque ullo reſpectu noſtrarum utilitatum, ſed tantummodo quod iudicamus malum eſſe nobis, alios bene agere: quæ eſt germana & maximè propria inuidentiæ natura, qualis eſt diaboli, & filiorum eius. Sed aliæ quoque ſimilitudine quadam inuidiæ nuncupantur. Eſt ergo inuidia, animi contractio de bono alieno:

in qua

in qua contractione ineſt morſus quidam, & dolor. itaque mœroris eſt pars. Bona autem, *quibus potiſsimum inuidemus, ea ſunt, ad quæ ſequitur precium, exiſtimatio, honor, decus, gloria. alijs enim non perinde inuidetur, ut acumini ingenij, amplæ eruditioni, ignobili, aut uirtuti neglectæ: quæ ſi magno æſtimentur, inuidia protinus illa inſequitur, non propter ipſa, ſed propter precium. ita ut decus potius & honorem inuideamus alijs, quàm uera illa bona, quibus honor defertur.* Inuidia *ferè ex ſuperbia naſcitur. ſuperbus autem ſublímia hæc & ſpecioſa magis ambit, quàm uera bona, & ſolida, quorum illæ ſunt quaſi umbræ quædam.* Quocirca *ſuperbi natura ſunt inuidi ex cupidine namq; præcellendi, inuidia oritur: & eo magis inuidet quis, quo inanior eſt à bonis, quæ concupiſcit: neque is eſt, qui uideri affectat.* Itaque *puſillanimi, inuidentes ferè ſunt: ut* Iob *inquit,* Paruulum *occidit inuidia.* Præclarè Cicero: Neminem *alterius, qui ſuæ uirtuti confideret, inuidere bonis.* Inuidia, *res eſt abiecta & ſeruilis: quoniam quiſquis inuidet, maiora aut potiora iudicat alterius bona, quàm ſua: aut certè id ne contingat, metuit. quocirca nemo audet fateri, ſe cuiquam inuidere: citius dixerint iraſci ſe, aut odiſſe, aut etiam timere. minus enim hæc ſunt turpia, & iniqua.* Itaque *qui odit, & qui iraſcitur, & qui mœret, & qui timet, & qui amat, affectum ſuum audet retegere: unde maxima animi cordiſque alleuiatio conſequitur. qui autem inuidet, comprimit animi miſeriam illam impenſo ſtudio, ne ſe proferat: unde magna corpori accidunt incommoda, pallor, liuiditas, macies, oculi profundi, aſpectus obliquus, & degener.* Leonum *generoſitas nec limis unquam aſpicit, & ſic ſe aſpici fert indignè.*

In animo intemperiæ ac furiæ tumultuantur clauſæ & cohibitæ, quo nullum poteſt eſſe tormentum par. Rectè *illi qui inuidiam dixerunt eſſe iuſtißimam: quippe quæ inuidenti eſſet meritum ſupplicium.* Delectantur *inuidi maledicentia, & carpunt quicquid inuidioſus uel dicit, uel agit: ut notam aliquam inurant, aut maculam aſpergant, & quæ recta ſunt, in peiorem partem detorqueant: non tam quòd ipſi ea mala eſſe iudicent, quàm ut alijs mala uideantur.* Tametſi *inuidia, quum nacta eſt uires, deprauat iudicium, uehementius etiam quàm affectus reliqui: & quamlibet minuta cenſet eſſe ingentia, & turpiſſima quæ pulcherrima. quam in rem multum facit odij acerbitas.* Habet *enim inuidia omnis odium ingenitum, & quidem atrocißimum: quippe odium ex ira mitigatur facile, ex offenſione autem ſatisfaciendo tollitur.* Inuidia *uerò nec cicuratur, nec patitur ſibi ſatisfieri, imò irritatur beneficijs: ut ignis in naphtha accenſus, qui infuſione aquæ maius incendium excitat. unica ratione amittit uires, ſi felicitas, quam inuita uidet, tollatur.* Itaque *inuidia miſerum uellet efficere, odium uerò omnino perdere. inuidia quoque idem conatur, quum aliter non poteſt miſeriam adferre. exardeſcit quoque in grauem odij rabiem. unde exitium concupiſcit eius, cui inuidet.* Quarta *inuidiæ ſpecies ad omnia ſeſe bona porrigit: tres priores ad ea tãtum, quæ poſſe nos quoquomodo conſequi arbitramur. itaque inter compares & ſimiles ſunt maximè: ſicuti figulo inuidet figulus, & egenus egeno, & uates uati, iuxta* Heſiodi *dictum. uidelicet dedecus eſt, quum ſis in eadem nota, non per omnia eſſe parem: & naturaliter pungit hominem. nam uelut iniuriam uidetur accipere, ſi melius habeat, qui non habetur melior.*

melior. quum uerò alter eſt ſuperior, ceſſat uel dedecus, uel querimonia. Compares & conſimiles uoco, in quacunque boni comparatione, etſi in alijs ſint ualde diſpares: ut rex muſicus alijs muſicis, quemadmodum Nerò Cæſar Græciæ artificibus, hominibus de plebe infima. docti fortuna diſpares: fortunati eruditione ac ingenio inæquales, utiq; quum in fortunæ comparationem ueniuntur: ſicut ille, quum de peritia. Nec ueritas ſimilitudinem hanc aut diſsimilitudinem metitur, ſed cuiuſq; exiſtimatio & iudicium. Sunt extremæ conditionis homines, qui regibus opulentiam ſuam & felicitatem inuident, & magna dementiæ perſuaſione pares ſe eſſe regibus gloriantur. alij ſe iudicant regno digniores, & ſuccenſent, quòd ille rex ſit, non ipſi. & quidam inter furioſos conſtricti, uiliſsimæ proſapiæ, ad ſe clamãt regnum iure pertinere: quales uidimus aliquot hîc, & in Britannia. Eundem in modũ euenit de literatura, de omni arte, diſciplina, præſtantia ingenij. Hominem noui, uix ultra prima progreſſum elemẽta, qui ſe de eruditione nec Thomæ Moro, nec Eraſmo Reterodamo iactaret concedere. Inuidia de bonis animi longiores habet decurſus, quàm de bonis corporis, uel externis: quoniam decus & æſtimatio illorum bonorum non nouit finem, uti nec bona ipſa, quæ in immenſa ui animi latiſsimè ſeſe porrigunt. contrà autem, corporalia breuiores habent metas, ſiue in creſcendo, ſiue in uſu, ſiue in precio. Videre hoc eſt in offenſione, quũ ludendo uincimur. grauius enim id ferimus, quum in ludo id contingit multæ induſtriæ, ut latrunculis, uel aciebus: quàm in quo ſolùm dominatur ſors, ut in taxillis. Langueſcit inuidia felicitate, eò uſque progreſſa, uel in nobis ipſis, uel in æmulo, quæ omnem æqualitatem tollat:

ſicut in fortuna Alexandri, quem odiſſe poterant multi, inuidere nemo. Opprimitur enim inuidia magnitudine, non aliter quàm fumus ingenti flamma. Viciſſim Hadrianus Cæſar nactus principatum, quum obuius ei eſſet factus æmulus quidam: Euaſiſti, inquit, periculum. Tametſi quartum illud genus inuidentiæ non nouit diſcretiones: omnia inuadit, & lacerat. Vertitur item inuidia in miſericordiam, ſi in locum felicitatis ſuccedat miſeria. & ferè ita fit, ut inuidi ſint ad miſericordiam proni, & miſericordes ad inuidentiam. Contemptus, quia miſeriæ pars eſt, inuidiam retundit. quod Dionyſio inferiori contigit, quum deuolutus tyrannide, abiectè deſpectéq; Corinthi conſultò uerſaretur. Aegrotis, ſenibus, pueris, minus inuidemus: quòd eorum infirmitatem miſeramur. ſenibus & ægris uidetur inſtare finis curriculi huius: pueros ad eam magnitudinem neſcimus peruenturos, quam nos nollemus. Et alioqui pueri, ut animãtes omnes teneræ, amabiles ſunt propter innocentiam ac ſimplicitatem. Extruditur minor inuidia à maiore, hoc eſt, de rebus quas nos multo pluris facimus. Opprimitur etiã metu grandis alicuius mali. intento enim in periculum impendens, nõ uacat inuidere. Flacceſſit inuidia erga procul diſſitos, uel loco, uel tempore: ut erga eos qui longiſſimè receſſerunt, & in mortuos: niſi ſi res aliqua coniungit eos, & ceu præſentes reddit, ut quũ ad comparationem æſtimationémq; reuocantur uel ingenij, uel eruditionis, uel monimentorum, uel rerum geſtarum, uel nobilitatis, uel diuitiarum atque opum, aut rerum eiuſmodi. Inuidia communicata fit minor. deteritur enim noſtra inuidentia ex aliena aduerſus eundem, tanquàm ille iam fiat miſerabilis, cui tam multi malè cupiunt: adeo

ut etiam quidam bene de ijs, & loquantur, & ſentiant, quibus inuident, quum alios uident malè de eiſdem loqui, ſuprà quàm exiſtiment par eſſe: uel cùm uituperari audiunt in eo illa, quæ ipſi potius laudanda cenſeant. Permouetur enim animus rei indignitate, quòd mala exiſtimet bono accidere: & hanc putat eſſe ultionem, ſi contrà dicat: & approbet, quæ illi reprobãt, ut eos malè urat. Quarta inuidiæ ratio iniquiſsima eſt prorſum, nec à Deo indita, ſed à Dei inimico diabolo per peccatum inuecta. Reliquæ tres, ſtimuli ſunt, ut magna bona uelimus parare, & conſeruare.

DE ZELOTYPIA.

IN tertia parte inuidentiæ eſt zelotypia, quæ (ut uerbum ſonat ipſum) zelus eſt de forma. Ea eſt metus, ne quis, quem nos nollemus, fruatur forma aliqua. id uerò dupliciter: uel ut nos fruamur ſoli, uel ut is fruatur ſolus quem ipſi uolumus. nam & de liberis, & ſororibus, & de matribus, & de pupillis, & curæ noſtræ concreditis, tangimur zelotypia: non ut nos illarum fruamur forma, ſed ne alij contra ius & fas. id uerò malum eſſe cenſemus, uel nobis. ut ignominiam aut pœnam: uel illis ipſis quæ nobis ſunt charæ, ut decus uel flagitium. zelotypia autẽ fruitionis noſtræ ex cupiditate noſtra naſcitur, quæ eſt uel uoluptatis, uel poſſeſsionis, uel proprietatis, uel decoris. ex quarum cupiditatum incrementis & decremẽtis, augetur & minuitur zelotypia. Nam uel uoluptatem exiſtimamus eſſe tantam, ut ſoli uelimus perfrui: & extenuari credamus, ſi communicetur: uel cupimus poſsidere, & amiſsionem metuimus in communicatione: uel qualecũq; id eſt quod poſsidemus, nollemus in eo habere

ſocium.ut ille, qui negat ſe uel Iouem paſſurum riualē. Ita euenit ſæpe, ut quod habemus proprium, ſi reddatur commune, abijciamus prorſum, atque aſpernemur: & nō modo zelotypiam, uerumetiam cupiditatem illius omnē exuamus. Poſtremò ſpectatur in hoc zeli genere decus aut dedecus, pro cuiuſuis æſtimatione ac cenſura zelotypiam induimus, deponimus, augemus, diminuimus: quo fit, ut uariè homines, apud uarias nationes ſint in hoc affecti. Occidentales & meridionales grande cēſent eſſe maritis dedecus, uxorum impudicitiam, ideo ualde zelotypi ſunt: ſeptemtrionales non item. Animātes quędā zelotypia tanguntur, ut olores, & columbi, & gallinæ, & tauri, metu communionis, ne minus ſit quod communicentur, néue amittatur penitus. Creſcit & decreſcit zelotypia ex perſonis, locis, temporibus, negocijs. Perſonæ ſunt, zelotypus, & ea de qua eſt zelotypia, & propter quam. Zelotypus, ſi ſit ſuſpicax, ſiniſtréque omnia interpretans, magnas præbet morbo ſuo acceſsiones: ſin ita de ſe ſentit, ut non arbitretur habere ſe quo placeat, celerius & grauius in zelotypiam incidit. Cuius ſumus zelotypi, poteſt occaſionem dare affectionis & incrementis & decrementis. nam & antequam experimento fiat notior, conſiderātur in ea priora, mater, auia, educatrix, & educatio, & tota antè acta uita: tum in experimentis ſermo, mores, pietas, conſtantia, ingeniū, prudentia, amor erga nos, cura boni nominis, & metus infamiæ. Nos etiam quemadmodum in eam perſonā ſimus animati, multum refert. nam ſi infenſi ſumus, omnes occaſiones arripimus calumniæ ac rixæ: ſin diligimus, minus facilè ad zelotypiam impellimur. uerus enim amor minimè eſt ſuſpicioſus: imò contra, à zelotypia amor diluitur.

diluitur. niſi fortè eſt is amor, quē coniunctum diximus concupiſcentiæ, quum amicus amici ſui beneuolētia alijs inuidet, quo fruatur ſolus. Is *de quo ſumus zelotypi, ſi ſoleat ad impudicitiam ſollicitare, ſi poßit, ſi artes eius negocij calleat, ſi capiatur tali forma, qualis eſt erga quam tenemur zelo: ſi iam reipſa det operam, & ſollicitet: ſi habeat, unde poßit ei placere: ſi non è regione plura, uel maiora alia, unde diſplicere. multum hæc zelotypiam & pariunt, & enutriunt.* Ex *loco, ſi non eſt aditus, ſi omnia obſerata & clauſa: ſi locus ſacer, aut frequēs, uel obſeruatus, aut expoſitus multorum oculis, & eorum amicorum, uel fidelium nobis, uel inimicorum illi, uel curioſorum, aut loquaciū, uel prudentis unius ac uigilantis cuſtodis, minus habet uirium zelotypia. quæ ſi contraria ſunt, plurimum.* In *tempore ſunt, opportunitas, religio, ſi non uacat uel petenti, uel petito.* Ex *negocijs, ſi magnis negocijs diſtinentur, aut occupatißimi ſunt: ſi putant eſſe damnoſum ſuis utilitatibus, uel exiſtimationi: denique ei rei, quam ipſi pluris quàm uoluptatē faciant.* His *omnibus adde cauſas contrarias. nam alteræ percenſentur pro utriſq;. ex cauſis uerò contrarijs contraria exiſtūt effecta.* Atque *in ijs quæ ſunt commemorata, plures maioréſque cauſæ plus habent pōderis. ſunt autem maiores minoréſue, non ex ueritate, ut ſæpe dixi, ſed ex animo atque opinione uniuſcuiuſque.* Gignit *zelotypia in animo inquietudinem noctes ac dies, turbulentißimas omnes uoculas, omnes auras captat zelotypus, & arripit, & amplificat apud ſe, cum iniquißima de ſingulis calumnia.* Zelotypia *ſimul & naſcitur ex ſuſpicacibus, & facit ipſa ſuſpicaces, atque ad peiora omnia credulitate procliuißimos.* Tranſit *in odiū & rabiem*

biem nõ ſolùm contra rem zelatam, ſed in omnes quotquot apud iniquiſsimum animum ſuum confingit, occaſionem aliquam præbuiſſe facinori, de quo eſt anxius. poſtremò aduerſus ſemetipſum: unde crudeliſsimæ ſæpenumero ſequutæ ſunt ultiones, ut etiam zelotypus ex morbi impotentia manus ſibi uiolentas attulerit. de ſexu altero loquor ex more: ſed uterque eſt intelligendus. nam inter fœminas non minor eſt hæc perturbatio, nec leuior impatiẽtia, quàm in uiris. Aboletur *affectus hic, ſublatis ex quibus naſcebatur cauſis, & potiſsimũ ſuſpicionibus ac crudelitate, tum ratione aduocata, quũ conſiderant ſe torqueri fruſtra, nec aliud quàm moleſtiam lucrifacere: ut uxores aliquot & olim & noſtro æuo prudentiſsimæ, quum flectere ſe maritorum animos zelotypia non poſſe reputarent, eam tanquam inutilem & ærumnoſam depoſuerunt prorſum, aliæ, quòd animaduerterent maritorum laſciuiam ignominiæ ſibi non fore, imò plerunque maiori gloriæ, æquis animis ſecubationem alienationémque maritorum pertulerunt.*

DE INDIGNATIONE.

I*Ndignatio eſt offenſio, ſeu dolor, de indigna felicitate. indignitas uerò hæc aut in perſona eſt, aut in re: in perſona, quũ indignus uel expetit bona, uel (quod grauius eſt) adipiſcitur: in re autem, quum accidit res bona malo, uel à malo. in quo animi motu eſt duplex indignatio aduerſus agẽtem in malum, & miſericordia in eum, qui patitur immeritò.* Naſcitur *facilè indignatio ab inuidia. ea enim ut eſt iniqua, efficit ut quicquid alteri euenerit boni, indigno credamus eueniſſe.* Quòd *ſi pungitur quis, ne quid fortè redundet in ſe incõmodi ex bono alterius.*

terius,ea perturbatio nõ tam indignatio erit, quàm metus.& ex metu coaleſcit odium:quòd ſi eſt iam in præſenti damno,contrahit ſe animus in ægritudinẽ. Eſt interdum qui de ſua ipſius felicitate,ei à quo ſibi eſt uel tributa uel procurata,indignetur,quum indignũ ſe atq; imparem negocio iudicat:uelut regi,quòd ab eo ſit creatus conſul:uel amicis,qui creandum curarunt.ſibi quoq; ipſi,qui expetierit,qui ambierit,qui acceperit:ut Veſpaſianus in triumpho Iudaico apud Tranquillũ.quod ferè fit,quum aliquid interuenit moleſtiæ.quocirca in definitione,quum felicitatem poſui,non adieci alienã. Huc referri poteſt ille ex Comœdia ſemetipſum crucians, quòd melius ipſe agat domi,quàm filius militiæ,idcirco decreuit ſibi malefacere.Et indignitas hæc circa omnia uerſatur boni genera.nam indignamur malo contigiſſe opes,& formam,& robur,& ualetudinem integrã, & facundiam,& ingeniũ,& literas.Malum uoco eum, qui noſtro utiq; iudicio non bene illis eſt uſurus.Sola ſi adſit iuſtitia & probitas, non indignamur. nullam enim mentem cenſemus ea eſſe indignam:nec arbitramur futurum eum uel nobis,uel quibus bene cupimus, inimicũ, aut noxium.Cretenſes quidem ijs quibus male uellent,dicebantur imprecari,ut rebus malis aſſueſcerent:ſed ubi bonis iam uiderentur eſſe moribus præditi,id non eſſent imprecati.neque enim illis ipſis fuiſſent inimici,quos ſibi non eſſe inimicos exiſtimarent.Nihil eſt enim iuſtitia & probitate amabilius. Acrius uerò indignamur ijs, quibus caſus aliquid tribuit,quàm quibus natura:& recens adeptis,quàm olim.uetuſtas enim multum parauit ſibi iuris:ut iam naturale uideatur,quod diu eſt poſſeſſum.Stomachamur item,ſi quis quæ ſupra uires aut meritum

ritum ipſius ſint, aggrediatur: uelut magiſtratũ, honores, decus, certamen cum potiore, ſiue potior ſit ea in re de qua contenditur, ſiue in diuerſis. Prioris exẽpla ſunt, imperitus cum perito, ignauus cum forti, pauper cũ diuite. poſterioris autem, muſicus cum uiro iuſto, rhetor cum imperatore, piſtor cum magiſtratu: quum quidem in ea concertatione pictoria ars cum magiſtratus dignitate committitur. alijs autem nominibus nec cenſentur, nec ueniunt in comparationem. Permouemur itẽ, ſi quis laude quidem dignus, laudetur tamen ſupra meritum. tum enim conamur illi etiam meritã laudem detrahere. Indignatio plurimũ inualeſcit in ſuperbo, qui ut ſe maximis bonis cenſet digniſſimum, ita alios omnes uel mediocribus bonis impares, ac indignos. itaque omnibus qui bonum aliquod affectant, tanquam immerentibus, ac proinde iniuſtis, ſuccenſent. Quòd ſi ſint competitores, aut eandem ingrediantur uiam, quam ipſi peregerunt, ſuboritur zelus, ne & eodem quò ipſi perueniant: puta ad opes, famam, eruditionem, fauorem, gloriam. Itaque homines modeſti, tum animis uel humilibus uel ſeruilibus, haud ualde ſunt perturbationi huic obnoxij. Indignatio ex eadem radice oritur, quá miſericordia: nempe ex iudicio boni, & amore illius. Sed in obiecto ſunt affectus cõtrarij, quippe indignatio eſt de bono indigni, miſericordia autem de malo indigni. Ex harum duarũ commixtione naſcitur effectus ille, qui in Sacris literis nonnunquam zelus nominatur, ut in libris Regnorũ de Helia, & in Pſalmis: Quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorũ uidens. & zelote illi bello Iudaico, de quibus Ioſephus. Eſt enim zelus hic, indignatio de ijs, quæ indignè fiunt contra eum qui eſt nobis charus: uelut contra

Deum,

Deum,& res ſacras,contra rempublicam,contra principem,quo prætextu multi ſæpenumero prauis libidinibus ſeruiunt,& explent odij ſui acerbitatẽ,zeli nomine. Alij rapiuntur zelo imperito atq; imprudenti:qualẽ in Iudæis fuiſſe Paulus ſignificat, ſcribens ad Romanos. Addita eſt homini indignatio ad uitæ communionem,ut æqua & recta conſtet bonorum omnium diſtributio, ne ad indignos deueniant:hoc eſt,prauè uſuros.

DE VLTIONE, ET CRVdelitate.

QVicquid affectus accipit,cupit in idipſum refundere,unde accepit,ſiue bonum ſit,ſeu malum.hinc naſcitur erga beneuolum beneuolẽtia, & benefacientem beneficentia:uel contrà, maleuolentia & maleficentia. Qua de cauſa animus ab aliquo affectus dolore,cupit in illum ipſum,qui dolorem dedit,retorquere ſimilẽ morſum:iſque appetitus ulciſcendi dicitur,& quum in opus exit,ultio:ea uerò eſt meritæ ſentẽtia noſtra pœnæ inflictio.pœna autem damnum eſt,ſiue læſio, in quocũque genere bonorum animi,corporis,fortunarum;ut eſt cuiuſque de his exiſtimatio.Nam ſunt qui ſe ulciſci putant de iniuria,oſtenſo medio ungue,aut geſticulatione turpi,aut conuicio.ſunt rurſum,qui fuſte uel gladio malint impeti,quàm uerbo probroſo.alij,qui uel parum ſibi uirium ad ultionem eſſe rentur,uel auidiſsimè eam expetunt,diris deteſtationibúſq; uindicem ſuperiorẽ implorant,ut principem,uel numen. Omnis ergo offenſio, quæ latè per odium,per iram,per inuidiam,per indignationem ſe porrigit,cupidinem habet ultionis,hoc eſt doloris reponendi:niſi quod alij affectus aliter.Inuidia enim

callidè

callidè & aſtutè ſurrepit, ut nolit intelligi à ſe eſſe ultionem profectam. Ira apertè, & indignatio: ut hoc uelit & ſciri ab alijs, & ab illo de quo ſe ulciſcitur, ſentiri ac intelligi. zelus glorioſam ſibi cenſet & prædicandã uindictam de eo, cui ſuccenſet, ſumptam. Odium uarium eſt. nam quum excandeſcit, in naturam iræ trãſit. frigidum uerò quaſi uirus furtiuè ſurrepit, ac lædit. Acerbitas offenſionis, quæ cohiberi amplius nõ poteſt, ſed effuſè in ultionem omnem prorumpit, ut noceat, quacunque poteſt, rabies uocatur. tractum nomen à morbo, quo canes & lupi infeſtantur: quæ quoniam non datur erumpere, angit & comprimit cor, grauitérque corpus uniuerſum afficit, & percellit, quod rumpi ac diſrumpi dicitur. Actus & mulctationis & uindicationis, quum inualuit, tranſit in ſæuitiam, ſeu crudelitatem, quæ eſt ſympathiæ priuatio. qui enim cõpatiuntur, miſerentur quoque. Carent autem ſympathia alij perpetuò, alij temporariè. perpetuò, ex conſtitutione naturali corporis, uel ex conſuetudine, quæ uerſa eſt in naturam: ad tempus autem, ut qui affectu aliquo uehementi commoti indureſcunt. id autem non diuturnius eſt, quàm ipſa perturbatio: ut cupiditas rei alicuius uehemens exacerbat ſæuitiam in obſiſtentem, ut diuitiarũ, uel principatus, uel uoluptatis. tum metus de re chara: ut de uita, de imperio: quod Neroni & Caligulæ & Commodo accidebat, qui ex metu ſæuiebant. Ecõtrario Titus Veſpaſianus filius ex fiducia & ſecuritate animi erat manſuetiſsimus, etiam aduerſus inſidiantes ſuo principatui. Ira quoque & offenſio dum ardent, auferunt rectas cogitationes, ſuadéntque aſperrima, & maximè dira. Et eſt crudelitas triplex, in procurando, in exequendo, & in prætermitten

mittendo. Procurant, qui iubent, qui arte efficiunt, uel aſtu. Exequuntur, *carnifices & milites. Multi enim crudeles ſunt in iubendo, ad quod non ſuſtinerent manus admouere. Tertia eſt crudelitas in ceſſatione officij, quum non miſeramur, quos oportet, uel ex maleuolentia, uel ex ſocordia: ut quum deſerimus uel præterimus parentes, propinquos, neceſſarios, calamitoſos, in morbo, egeſtate, periculo, nec eorum aduerſis mouemur. caremus enim illa, de qua dixi, ſympathia.* Inhumanitas, *atque immanitas eſt, quum iudicio atque ingenio humano abiecto, ferinum ſumitur.* Subſidit *ultionis cupiditas intrinſecus, quum refrigeratus eſt ſanguis à pulmonibus, aut à ſemetipſo deferbuit: ut in ijs quorum bilis citò quidem inflammatur, uerùm in leui materia, tanquam in ſtupa, breuiſſimè reſtinguitur. pertinaciores ſunt melãcholici, aut phlegmatici incenſi, ut tardiores ad ardendum.* Conquieſcimus *quoq; acceptis pœnis à nobis, uel ab alio, uel ab amico, uel à natura & fortuna, quum ſit miſer, æger, pauper, ignominioſus: & quum maiora pependit ſupplicia, quàm paſſurus erat ab irato.* In *mortuos non feruet ira, tanquam paſſos extrema, nec amplius capaces noſtræ ultionis.* Deſinimus *ſæpe uindictam expetere, quando iam illam paratam uidemus: quod multis euenit, qui inimicum quando habent in ſua poteſtate, parcunt, ſatis eſſe rati nocere potuiſſe.* Langueſcit *etiam acerbitas illa uicta & delaſſata, quum paulo antè in alios deſæuijt: quemadmodum in publicis ſupplicijs placatur princeps in ciuitate, & Imperator in exercitu, pœna paucorum.* Frangitur *interdum ab alio affectu, ut maioribus malis, uel ira maiore aliqua: ut lapis lapide, uel malleo.* Ira *quidem quum feruet, non admittit curationem ullam:*

magis enim remedio exacerbatur, propterea quòd ratio eſt prorſum perturbata, & ignis compreſſus ualidius ardet: niſi ea ſit fortè uis oppreßionis, quæ ignem obruat & extinguat, ut ruina, incendium. Mitigatur *quoque amore eius qui deprecatur pro inimico, aut quum eſt honorificum parcere, aut quando aliquid utilitatis ſperamus: aut timemus damnum: ut clauus clauo extruditur.* Dies *denique ipſa morbis omnibus animi medicinam adfert citius, aut tardius, pro qualitate corporis, pro perſuaſione & iudicio animi. & ut bilis accenſa parit facile offenſionem atque iram, ita quum ſe remiſit, extinguitur illa perturbationis flamma.* Idcirco *bilim refrigerare admodum conducit, quibus modis ſuperius eſt dictum. Comprimitur, & reſeruatur uindicta aliud in tempus, quamdiu exequendæ illius non eſt occaſio. quod* Reges *dicit* Homerus *facere, ut ad tempus ultionem dißimulent, quoad inueniant ſuam opportunitatem. interea autam coaceruatur, & computreſcit in ſtomacho: & quo longius dilata, hoc maiore cum purulentia euomitur.*

DE MOERORE.

MOeror, *eſt animi de malo præſenti contractio, uel de eo quod iam habetur pro præſenti.* Perturbatio, *eſt hæc omnino lætitiæ contraria: eadem à* Cicerone *ægritudo nuncupatur.* Quas *autem ille ægritudinis partes conſtituat ex placitis* Stoicorum, *facile eſſet huc adducere: & feciſſem, ſi uel ab illis iudicarem eſſe ſatis rectè tradita, uel à* Cicerone *animaduerſa, atq; expẽſa. ſed neutrum uidetur mihi. Si cui tamẽ placent, equidem non impedio; in promptu ſunt apud eum, quarto* Tuſculana-

rum

rum quæſtionum. Naſcitur interdum mœror ex ſola boni abſentia: ut matri, quum unicus diſceßit. Multi quoque delicias, & conuiuia, & dies feſtos ac lætos triſtantur: unde eſt rei amiſſæ deſiderium, & animus inquietus aliquid ſemper requirẽs: ut in equa pullo adempto. Ex mœrore atra bilis gignitur, & ex hac uiciſsim mœror ingraueſcit, ſiue alia mali opinione. Videas melancholicos homines mœſtos, quibus alioqui nihil accidit mali, nec ipſi mœſtitiæ ſuæ cauſam poſſent reddere. Nigri huius humoris opus eſt obtenebrare ſpiritus, unde hæc exiſtũt incommoda. adimitur animo ſua alacritas, eadémque ex cauſa uultui quoq; obfuſcatur ingenium. Moleſtiæ, inquit M. Tullius, me hebetarunt. & Niobe in ſaxum dicitur eſſe ex luctu conuerſa. Inducitur refrigato cerebro ſomnus, quemadmodum eſt apud Pſalmiſtã: Dormitauit præ tædio anima mea. Suboritur odium tum hominum, tum lucis ipſius, rerúmque omnium humanarum, iuuátque altius in mœrorem demergi: nec hilariora, uel conſolationes admittuntur. quod Octauiæ contigit, de Marcello filio in adoleſcentia extincto. adeóque ægritudo auet gliſcere, ut nũquam ſe ſatis iudicet mœrere. Cornelia Pompeij apud Lucanum in ipſa doloris face:

Turpe (inquit) mori poſt te ſolo non poſſe dolore.

Augetur præcipuè mœſtitia in meticuloſis, qui longißimè ſuſpiciones mittunt, & diffuſam texunt malorum telam: ex hoc damno illud, ex illo aliud, & deinde aliud naſcetur. Tranſit poſtremò in odium ſuipſius, & deſperationem ac rabiem: ſicut de Hecuba legimus, quæ hac de cauſa fingitur uerſa in canem. Corpus autem ægritudine exiccatur, & contrahitur cor, adeò ut in quibuſdã ægritudine extinctis repertum ſit, non latius membrana cor

autem contrahit ſecum uultum, hoc eſt ſuam imaginem. denique atteritur ipſa ualetudo. Comites mœroris ſunt fletus, plāctus, gemitus. Affectio hæc frigida eſt, & ſicca, idcirco inualeſcit in frigidis temporibus, & locis, omninóque in ijs quæ ingenium obtinent melancholicum: ut in autumno, & hyeme, & tempore nubilo, & de nocte, tum ad Septentrionem. in quibus regionibus plures abſumit mœſtitia, quàm in Hiſpania uel Italia. A contrario autem lux & ſerenitas exhilarat animos, & ſol (quemadmodum Plinius inquit) tenebras triſtitiámque non cœli modò, uerùm humani quoque animi diſcutit. Et ut lætitia charis communicata augetur, ſic etiam mœſtitia. in lætitia enim præter noſtrum bonum lætamur lætitia eorum, quibus bene uolumus: item in ægritudine præter malum noſtrum animaduertimus eos, quibus chari ſumus, in eiſdem uerſari, amore ſcilicet omnia unum reddente. Inter eos autem, qui non ita amant mutuò, contrarium euenit, ut lætitia communicata augeatur: uelut in ſocietate quæſtus, uictoriæ, belli, luſus, litis. Mœſtitia autem in alios deriuata, leuatur animus. Solatium enim eſt, ſe in malis non eſſe ſingularem: tum alios miſerari ſortem noſtram, tanquam patiamur immeritò. Et quando eſt qui ex dolore noſtro dolet, nec is tamen dolor in nos reciprocatur, uelut oneris partem à noſtris humeris in alienos transferimus. quo fit, ut aliena lætitia ægritudinem noſtram exacerbet: ſicut feſti dies, & celebritates publicæ. cohibetur enim introrſum, & augetur mœſtitia, per appoſitum contrarij: quemadmodum calor uiuentium corporum in hyeme. Et quum alios reputamus dolore noſtro non moueri, ſurgit indignatio, & miſeratio noſtri ipſorum, & tanquam in nouo malo renouatur

mœror.

mœror. Diluitur triſtitia uel malo ſublato, uel reddito amiſſo bono, aut rebus lætis maioribus affluentibus, quas non pluris æſtimemus, quàm illas quarum abſentia dolebamus. diluitur ijs etiam, quæ tepefaciunt atram bilim, ut cibis calidis, & humentibus, uino potiſſimum. De quo eſt in Sacris literis: Da uinum mœſto. oblectamētis quoque uiſus, uel auditus: ut cœlo aperto, campis & pratis patentibus, muſica. tametſi eſt muſicæ genus quoddam, quod mœſto maiorem mœrorem infert. Aſſueti malis affligi, uelut callum animo ducunt, minúsque ab ægritudine premuntur, & maius malum minoris mali ſenſum obruit. Diſcutitur quoque auerſione cogitationis, ut negocijs, & narratiunculis lepidis, recto iudicio: nempe reputatione non eſſe tantum malum, non tanti eſſe ut ſic nos affligamus: plus nos in eo quod agimus perdere, quàm ſit in eo quod dolemus deperditum: nempe negocia, & occaſionem quæſtus, dignitatem, autoritatem, famam, gloriam, quæ ſunt ex medijs conſolationibus: non eſſe malum, non tantum, non illi cui euenit, non nobis, non chariſſimis noſtris: maius bonum inſtare, aut eſſe conſecutum, hanc eſſe communem ſortem, ab illo fieri cuius uoluntati & iudicio non obtemperare nefas eſt, mœrore remedium non parari. Poſtremò, ut in alijs animi morbis clauus clauo retunditur, quum oſtenditur uel periculum maioris mali, quod inſtet, ut illud quod iam adeſt, pro nihilo ſit habendum: ſicut qui dolet amiſſam pecuniam, in diſcrimine captiuitatis, aut mortis, aut amiſſionis liberorum uerſari. uel commonſtratur maximorum bonorum ſpes, ut famæ, & immortalitatis nominis: uel dignitatis, gratiæ principis, aut illius (quod omnia ſuperat bona) beatitudinis ſempiternæ.

DE LACHRYMIS.

LAchrymatio non eſt affectus, ſicuti nec riſus. eſt enim lachryma humor, ex calfactione humidi ac teneri cerebri diſtillans per oculos. In magna calfactione, quando cerebrum exiccatur, non manant lachrymæ: ut in ira uirorum. nec quum iam antea eſt exiccatum: ut in longo mœrore ac luctu, in ſenecta: uel quum ſiccum eſt ex ſe, ut in melancholicis. Sunt quos ingens ægritudo ita obſtupefacit, ut compreſſo calore omni, lachrymam dare non poßint, quas uel in mediocri dolore profunderent largiter. Profluunt autem lachrymæ, quum cerebrum eſt humectatum, ut in ebrijs: quũ molle ac tenerũ, ut in pueris, mulierculis, ægris. Exiſtunt ſæpe ex uento ualido, ex fumo, ex aduerſa aliqua ualetudine, ex riſu itidem, quoniam in eo incaleſcit cerebrum. Ab affectionibus etiam naſcuntur, uelut ab amore, ex deſiderio fruendi re chara: ab ira, in teneris, & qui ſe ulciſci non poſſunt: ab inuidia, in mulierculis & pueris: à pudore, à lætitia. Potiſſimum uerò ex miſeratione defluunt lachrymæ. ea uerò eſt duplex, uel ſui ipſius, uel alterius. Miſeratur quiſque ſemetipſum in mœrore, quòd indigno iudicet ea mala accidere. adeòque naturales tum ſunt lachrymæ, ut multi eas profundant abundè, uel ſola ex reputatione, quòd poſſent ſibi mala immerenti contingere: uelut carcer, exilium, paupertas, orbitas, mors. Et ut quiſq; ſeſe amat tenerrimè, maximiſque cenſet eſſe bonis dignum, ita eſt ad ſui miſerationem promptißimus: atque inde lachrymatur, ad imaginationem mali. Aliena quoque mala ex ſympathia mouent nos, & eliciunt noſtras lachrymas: ſed hæ tamen tum ad prodeundum tardiores ſunt, tam ad exareſcendum faciles: quòd aliena incommoda tanquam

quam

quam procul ſpectamus, & quorum leuis ad nos ſenſus perueniat. Exiſtunt quoque lachrymæ, quum quid uidimus, uel legimus, uel uidemus, uel recordamur piè, ſanctè, officioſè dictum à quopiam, factúmue: & eo magis, ſi is qui egit, aut dixit, periculum aut damnum ſuum magno atque excelſo animo, præ operis pulchritudine pro nihilo duxit. Tributæ ſunt homini lachrymæ ad teſtandum noſtrum dolorem, ut alios in noſtri miſerationem, atque adferendam opem adducamus, ut auxilio mutuo iuuemus inuicem: tum etiam ad teſtificationem, alienis malis nos affici, in quo eſt permagna animorum conciliatio.

DE METV.

METus eſt, inquit Ariſtoteles, mali appropinquantis phantaſia. Idcirco pericula metuimus, quæ ſunt mali aduentantis prænuncia. cuiuſmodi ſunt tempeſtates, prauæ qualitates temporum: ad quas ſequuntur eluuiones, fames, peſtilentiæ. Iræ item, atque offenſiones eorum qui poſſunt lædere. quoniam enim poſſunt, & uolunt, manifeſtum eſt rem malam inſtare. Timentur item aſtuti, uafri, callidi, magis quàm ſimplices & aperti. Timent qui ſunt alijs formidoloſi, iuxta mimum Laberij: Neceſſe eſt multos timeat, quem muli timent. qui enim formidini eſt alijs, niſi omnino inſanit, uidet periculum ſibi eſſe ab illis omnibus, ut ſe à metu liberent: &, Quem metuunt, oderunt, ut eſt in uetere uerbo. niſi fortè ij ſint metuentes, à quibus nullum poſſit damnum exiſtere, aut quia nolent, aut quia carebunt uiribus: etſi hoc rarum eſt. quoniam nihil eſt tam inbecillum, quin aliquid ad nocendũ ualeat homini, præſertim in occaſione.

Mala etiam longinqua minus nos perturbant: ut mors incerta, quam etiam ſenes homines procul adhuc abeſſe ſperant. Aliter *ſic ab* Ariſtotele *finitur metus, ut ſit perturbatio ex opinione futuri mali, utique moleſti, uel corrumpentis. non enim, inquit, omnia expaueſcimus: quale eſt, ſi quis ſit iniquus futurus, aut ignarus: ſed quæ magnas moleſtias important animo, aut corruptionem corporibus.* Id *quidem ferè in uita ciuili, de qua ille in* Rhetoricis *præceptis loquitur. plerique enim hominum inſcientiam & uitium non habent in malis, ſed quod nocet corpori, aut affectioni.* Qui *uerò ex præſtabiliore ſunt nota ingeniorum, non minus ignorantiam rerum bonarum & uitium exhorrent, quàm alij morbos & mortem. itaque ſic commodius finietur.* Eſt *contractio animi, de eo quod cuique malum uidetur, quum cogitatur aduentare.* Ergo *quòd metus naſcitur ex periculi conſideratione, qui plus conſiderant, plus timent: ut prudentes, ſobrij, experti.* Pericula *proxima, etſi aliena, incutiunt nobis timorem, tanquam non procul à nobis abſit malum.* Proximum *uerò eſt uel loco: ut illud,* Paries *quum proximus ardet. uel ſimilitudine conditionis: tremit enim latro, quum latronem alium uidet ſuſpendi: & prægnans, quum alia uitam in puerperio amittit. atque eo perturbantur confuſius, quanto eſt conformior conditio, in eo præſertim unde contractum eſt malum: ut ſi graſſator plectitur, quia uulnerauit, non contentus ſpoliaſſe. alter qui idē admiſit, expaueſcit.* Sin *quid ſit diſſimile, minor eſt metus: ut ſi ſpoliauit tantum, non uulnerauit: ſi ille captus eſt, quia ſolus, hic uerò habet comites: ſi ille quia pernoctabat in publico diuerſorio, hic in ſpelunca: ſi quis ex febre quartana interijt, quòd ſibi*

nimium

nimium potando indulgeret, minus terretur homo temperans in quartana. Metus primùm omnium contrahit & debilitat cor, ad cuius opitulationem ſuperiorem calorem natura illi ſummittit: iſque quũ non ſufficit, etiam inferiorem eodem rapit: unde pallor, & frigus. Tremẽte corde, tremit uniuerſum corpus: motum enim cordis ſequitur. unde linguæ titubatio, atque hæſitantia. Quod in alijs quoq; affectionibus eſt annotare, in quibus cor celerrimè agitatur: ceu in ira, & lætitia, tum etiam in exercitatione. Sed in metu uox eſt exilis, quia calor à corde & à ſuperioribus deſcendit: in ira grauior, quoniam aſcẽdit. inhorrent etiam pili, quòd ex frigore comprimuntur meatus: unde rigor pilorum. Qui parum habent ſanguinis calidi circa cor, ignaui ſunt. Ideo qui proportiõe ſanguinis magno ſunt corde, meticuloſi ſunt natura, ut lepus. Columbi autem, & cerui, timidi: quòd felle careant, unde accendi poſſet ſanguis. nam in quibus flaua bilis intumeſcit, ſanguis quoq; ebullit circa præcordia, & fiunt gnaui atq; ſtrenui. Qui craſſo ſunt ſanguine, & multo & calido circa cor, ſecuro ſunt animo, & audaci: abundant uidelicet calore, quod eſt ad fiduciam potiſſimum, & in qua diutiſſimè conſeruẽtur, materia nempe denſa & firma. Quum autem exiguus calor reuocatur introrſum ad pectus, fit cor debilius, & magis tremit. Vnde faciem in metu rubeſcere, argumẽtum eſt animi degeneris. animoſior eſt, cui expalleſcit: corroborat enim natura cor, ſummiſſis illi undique ſubſidijs caloris ac ſanguinis. Is porrò calor, ſi deſcendat, creſcit metus, deſerto corde: unde & aluus ſoluitur. Et ex naturali ratione Homerus de ignauo dixit, Cor illi ad calcaneũ decidiſſe. Illud eſt annotandũ, compreſſionẽ omnẽ

cordis,quæ in ægritudine eſt, & formidine,tum etiã in offenſione & cupiditate cohibita & compreſſa, anguſtiam nominari:quæ fit etiam ſæpe ſine affectu, humore aliquo ſpiſſo incumbente in cor. Hæc quidem ſunt metus opera in corpore.in animo uerò hæc exercet,perturbat & confundit cogitationes.Rectè, qui dixit:Quomodo poterit cœlos & elementa ſcrutari,cui perpetuò incumbit paupertatis,ſeruitutis,mortis metus? tũ illud:Pauor mihi ſapientiam omnem ex animo expectorat. In periculis adeſſe animo,& conſilium ex re nata, quaſiq; ſub manum poſſe excogitare,ut de Annibale Liuius, & de Iugurtha Saluſtius memoriæ tradunt:non ſolùm fortiſſimorum eſt,& eorum qui nõ uehementer eiuſmodi periculis mouentur,ſed etiam acutorum,magniq; ingenij. tales ſunt autem,uel facti uſu atque exercitamẽtis multis & magnis:uel à natura formati & inſtructi, quibus eſt ſanguis circa cor multus,calidus,liquidus:qui & copioſos,& ſubtiles ac temperatos ad cerebrum ſpiritus mittat.Plinius ait,nulli animantium pauorem eſſe confuſiorem,quàm homini.fides ſit penes illum, qui ingenij ſui nutu ad metũ deuergit,uix rationes ullæ ac cohortationes huic ſufficiunt,ut animum reſumat,& ſeſe erigat ad fiduciam.Magna & ualida eſt naturæ uis,quum incumbit intrinſecus,id eſt,in prima conſtitutione:niſi acris atque aſsidua ſit meditatio in periculis contemnẽdis,in animo aduerſus mala confirmando,ut perſuaſum obfirmatúmque ſit,mala quæ timentur,non eſſe admodũ damnoſa:aut alia parata eſſe maiora bona,ſi illis defungamur malis:aut maiora mala,ſi illa quæ urgent,nõ deuitemus,ac ſuperemus.Rectè Catilina Saluſtianus: Compertum habeo milites,uerba uirtutem non addere, neq; ex ign

ex ignauo ſtrenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione Imperatoris fieri. Quanta cuiuſq; animo audacia natura aut moribus ineſt, tanta in bello patêre ſolet: quem neq; gloria, neq; pericula excitant, ne quicquã hortere. timor animi auribus officit. Sic ille. Et timido, ſi perſuadere tentes, timorem ipſum magis officere, & incommoda grauiora reddere, magis timeat: ut in contagioſis morbis, in quibus multum nocet mali phantaſia. pullulat enim metus geminus, alter ex periculo, alter ex metu ipſo. Quæ ex metu proueniunt, hæc ferè ſunt: demiſsio, abiectio ſui ipſius, aſſentatio, adulatio, ſuſpiciones, cautio, quæ extimulat ad quærenda malis remedia in animis firmis. In infirmis autem exiſtit cõſternatio, & conturbatio, & exanimatio, tum etiam pigritia, deſperatio, & proſtratio: ut ſupra iacentem ingruat, quicquid impendet & minatur. Quapropter nulla eſt animi miſeria maior quàm metus, nulla ſeruitus fœdior. eáque de cauſa odium aduerſus formidoloſum, ad metũ tanquam ad cotem exacuitur, ut aduerſus tyrannum: & cupit ſe animus aſſerere in libertatẽ. unde reſumptis uiribus frigefactus ſanguis recaleſcit, & actione contrapoſitionis ardentiſsimè ad ſeſe uindicandum accẽditur, quæ res etiam animoſiſsimos ſæpe, qui timuerant, facit: & crudeliſsimos ſe in dominos gerunt, qui ſeruiebant: magnóq; impetu excutiunt à ſe illos, à quibus premebantur. Metus, ut alij ferè affectus, ſuſpicioſus eſt, & meticuloſi omnes ſuſpicaces, omniáq; auget in maius: nec unquam tãtum eſt periculum, quantum ſibi fingit. quocirca ſolatij loco eſt timenti pro re chara, intereſſe illius periculis, aut certè liquidò illa cognoſcere. Bene expreſſit hunc affectum Ouidius uerbis Penelopes: Vtilius ſtarent

rent etiam nunc mœnia Troiæ.& quæ ſequũtur:notum eſt carmen.Metus augetur auctis cauſis,ex quibus naſcitur:tum ad formidinem aliorũ,qui experti ſunt ea pericula,ſciúntque quantum ex ijs immineat mali: ut quum nauta timet in tempeſtate,terrẽtur uectores. & qui intrepido ſolent eſſe animo,quum pauent,augent noſtram formidinem:ut quum tyro conſpicit ueteranũ trepidantem. Perterrefaciunt nos quoque grauius pericula, ubi præſidium noſtrum debilitatur:ut populus ualde conturbatur,quando magiſtratus timẽt,uel ij qui ſoliti ſunt in periculis ciuitati proſpicere:quemadmodũ pulli tremunt,matrice commota.Quas etiam res experti ſumus ualdè aſperas, magis deinceps metuimus:uelut digladiationem,ij qui ex prima grauiter diſceſſere ſaucij.Securitas eſt,quum nullum eſſe remur periculum:ídque uel ex conſideratione,uel ignorantia.ex cõſideratione, quũ defuncti periculo,nullum cẽſemus reſtare:aut in uniuerſum deſpicientes omnia,quæ inſtant,nihil ad nos mali peruenturum iudicamus.Qui curam etiam abiecerunt illius boni,quod periculo impetitur,ſecuri agunt:ut diuitiarum,famæ,uitæ.nihil enim habent amplius de quo ſint ſolliciti,ac proinde timeant. Ignorantia eſt in ijs,qui non cogitant aut perpendunt, ut dormientibus, pueris, ebrijs,inexpertis:tum in ijs quorum cogitatio aliorſum eſt auerſa ab alijs cogitationibus & curis,uel à perturbationis uiolentia,ut ira,inuidia,cupiditate.Et ſecuritas quidem eſt,ut dixi,quando nullum eſſe periculũ arbitramur.Fiducia autem,quum in periculo confirmamur aduerſus mala appetentia. ea uerò exoritur, uel aucto intrinſecus calore,ut uino iniecto:aut ijs quæ corroborent cor:uel affectu aliquo feruenti,ut ira,amore,cupiditate,

ditate, metu maioris mali: quæ ſunt animo animoſitatis loco etiam in ignauiſsimis. certis etiam concentus generibus: ut ſcribunt de Timotheo *muſico, qui lyræ cantibus* Alexandrum Macedonem *& incitarit ad arma, & mox paulo mutatis numeris ſedarit.* Audacia *eſt, quum ad depellenda mala, uel bona ardua conſequẽda, animus exurgit, & rapitur.* Quod *fit maiore quodam feruore ſanguinis, eáque de cauſa ad iraſcibile officiũ refertur: de quo ſum, quum de* Ira *diſſererem, loquutus.* Aeſtimatur *autem periculum ex loco, ex tempore, ex perſonis, uel nobis ipſis, uel inimicorum, ex uiribus quorũ omniũ cõſideratio uel grauat periculi opinionem, uel eleuat, quum uidemus parũ nobis poſſe noceri hoc tẽpore, hoc loco, ab his qui nolẽt, uel ob amorem noſtri, uel ob ipſorum bonitatem. qualis eſt de* Deo *fiducia.* Qui *non potuerunt, quia carent uiribus: non audebunt, quia non noſcunt ſe habere uires, uel quòd omnino nõ habent, uel eas non intelligunt: ut equi, & tauri, & multi hominum.* Et *nobis in his poſſeſsionibus, familia, amicis, neceſſarijs, deniq; perpenſis uiribus, munimentiſq; (quibus ſepta eſt ea pars noſtri quæ impetitur, & id quod impetit) atque inter ſe collatis.* In *ingenio ſunt acumen, eruditio, facundia: in ualetudine, conſtitutio, uires, alimenta, medicinæ: in fortunis, opes: in dignitate, autoritas, gratia: quæ omnia patent latiſsimè.* Non *eſt loci huius explicare, qui adierunt ſæpe idem periculum, & euaſerunt incolumes, aut certè cum leui incommodo fidentiores in poſterum redduntur, ut milites ueterani in bello.* Noua, *ſubita, inopinata pericula, animos quantumuis fortes percellunt, ac conſternant, quæ uerò præuidimus, quæ multum uerſando cogitatione fecimus, iam quaſi familiaria minus*

urgẽt. Meditatio enim illa pro aſſuefactione fuit patiẽdi, ut quaſi callum animo induceremus. Confirmant nos quoque exempla aliena. Ille & ille fecit, quid eſt in me minus? & eo ſumus erectiore animo, quo nos præſtare illis arbitramur, qui fortiter eadem pericula & ſubierunt, & euaſerunt. præſtare quidem ijs uiribus, quibus periculum eiuſmodi uel toleratur, uel repellitur: ut facundia, prudentia, gratia, robore, præſidijs amicorum, loci, tẽporis, principis, Dei. Quum uerò imminens malũ non ducimus pro magno & pernicioſo, cõſtabilitur animus: aut quum paratum ſcimus eſſe aliquid potius, quo prius illud ampliter compenſetur: uelut opes, eruditio, gloria, uita immortalis. Horror, & exanimatio, quæ ſunt metus in animo effectus & opera, in præteritũ quoque recurrunt. quale eſt Vergilij,

Nanque animus meminiſſe horret, luctúque refugit.

Ferunt Iudæum quendam in Gallia, quũ ex agro domum de nocte reuertiſſet dormiens in aſino, tranſiſſetq; ruptum pontem per anguſtam tabulam, poſtridie reuocato ad acrem cõſiderationem periculi, quod euaſerat, exanimatũ eſſe. uidelicet imaginatio facit rem præſentem, ut aliàs dixi. Porrigunt ſe itidem formidines ad poßibile. coniuges quidem miſerabiliter cœperunt lamentari, quòd eſſent ad focum colloquuti. quid ipſis fieret ſi unicũ ſuum amitterent, qui illis erat ſanus, & ualens? Sed hoc phantaſiæ regnum latè per affectiones omnes patet. Datus eſt homini metus, ut caueat nocitura, prius quàm ſe illi applicent.

SPES.

Spes cupiditatis eſt forma, nempe fiducia, euenturum quod cupimus. Spes non habet euidentiam ſcientiæ,

ſed con

ſed coniecturam opinionis,uel probabilem,uel poßibilē, quòd ſæpe factū eſt ſimile,quòd aliquando,quòd in pari idem euenit,quòd aliqua ratione & cauſa debet fieri, quòd par eſt ut fiat,quòd credibile eſt futurum in hoc, ab hoc,hoc tempore,hoc loco,negotio. Nihil deniq; eſt tam leue,tam minutum,tam procul dißitum,tam alienū, ad quod animus non adhæreſcat facilè,dum ſpei adminicula conquirit.quantulum enim aut quale ſit cunque, ſatis habet uirium ad ſpem ſuſtinendam:adeò uel ipſa leuis eſt, uel hamata & uiſcata. Iucundißima eſt ſpei perſuaſio,& uitæ in primis neceſſaria, inter tot ærumnas & res duras,penéque intolerabiles.Omnia enim fierent ſine ſpei condimento non ſolùm fatua,ſed etiā inſuauißima. Prudentérque fictum eſt in fabula, quòd in Pandoræ pyxide,effuſis rebus omnibus,ac perditis,ſpes ſola reſederit in fundo:quæ eſt imago humanæ uitæ. ideóque ab artifice mundi effectum eſt,ut ſpes leuißimis de cauſis & naſcatur,& ſuſtentetur.

DE PVDORE.

PVdor eſt metus dedecoris,ex quo non ſequitur damnum. ab Ariſtotele definitur, dolor,ſeu perturbatio animi,de ijs quæ dedecus uidentur inferre. Et omnia reſpicit tempora,præſens,præteritum,futurum, poßibile. nec ſolùm pudor eſt de ipſo dedecore, ſed de periculo etiam,ne admittas tale quid, unde adijſſe turpitudinis periculum uideare. Pudor quandoquidem dedecoris eſt metus,multum in ijs ualet,qui honoris ſunt cupidi. hi enim tanto magis metuunt contrarium, tanquam graue malum. Turpe & decorū multiplex eſt. aliud enim natura ipſa conſtat:ut quæ ſunt hominis naturæ amica,

uel rep

uel repugnantia.iuſtitia,humanitas, modeſtia, pulchra ſunt & decentia:his autem contraria,deformia. Eſt *& turpe ex primo deriuatum ſcelere, quum corrupta eſt natura,diminuta eſt bonitas,inualuit uitium. hoc ſitum eſt in omni mentione obſcœnæ libidinis,quemadmodum in* Geneſi *ſcriptum legimus, poſt inobedientiam uelaſſe primos illos coniuges pudenda.cuius cauſa eſt,quòd humani animi generoſitas,quum uidet mēbra illa ſibi non obtemperare,ſed duci proprijs quibuſdam motibus,& incendijs,ſummouet à conſpectu,& occultat ſeruum repugnantem, & ſubditum rebellem.* Ideóque *quibus ea membra non ſunt rationi ac uoluntati humanæ inobedientia,minus illa & re & uerbis tegunt:quia non adeò tanguntur pudore,ut in prima innocentia, & in noſtris ſenibus & puerulis:in quibus cum pubeſcētia uenit etiā pudor rerum illarum.* Eſt *& aliud turpe ex offenſione naturali ſenſuum,ut ad odorem, uel aſpectum tetrum, atque auerſandū:qualis eſt in omnibus excrementis corporis,ijs præcipuè quæ per amplas corporis cloacas defluunt.* Res *iſtæ omnes per ſe turpes ſunt, horúmque duorum generū uerba & cōmemoratio non carent obſcœnitate,& offenſio eſt deuitanda.cauſa eſt,quòd uerba mouent neceſſariò intelligentiam,& phantaſiam audientis.* In *uenereis phātaſia excitat motus libidinis flagitioſos:in tetris autem faſtidium,& nauſeam,totiusq́; corporis,ſi paulò ſit tenerius ac delicatius, perturbationem.* Hinc Cynicorum *diſſoluitur cauilloſa reprehēſio humanitatis,quòd homines puderet loqui de ijs quæ neceſſaria eſſent,& carerēt flagitio:cuiuſmodi ſunt,liberis dare operam,excernere, nares emungere,meiere: non puderet autem de uitijs & ſceleribus apertè loqui,*

uelut

uelut de latrocinijs, de furtis, fraudibus, proditione patriæ, uiolatione legum, tyrannide. uidelicet horum ſcelerum commemoratio, tametſi ea ſunt nefaria, tamen non mouent phantaſiam ad aliquid turpe, aut graue corpori. mouent autem illa altera, quamlibet naturæ neceſſaria, & conducentia. Quin & ſapientes ea flagitia reticent apud eos, quos ſuſpicantur imitaturos, ſi ſciant, non turpitudinis ſuæ gratia, ſed periculi alieni. quum uerò de illis aliquid referunt, addunt inſectationem ad doctrinam cautionémque audientium. Ex hiſce fœditatis & decoris generibus naſcuntur illa, quæ hominum moribus atque opinionibus nituntur. plurimum intereſt, quemadmodum uel nos ipſi de rebus ſentiamus, uel alij quorum iudicio mouemur. Cenſura pulchritudinis, aut fœditatis, ex receptis uel moribus uel opinionibus ſumitur. Idcirco alia alijs uidentur turpiora: ut ſunt cupiditates eorum, inter quos uiuimus, & uerſamur. militibus nihil eſt probroſius ignauia, negotiatoribus paupertate, aut carere fide: ſtudioſis literarum, inſcientia. quicquid ergo aliquod iſtorum inter illos arguit, pudorem importat. In uniuerſum autem, quoniam nihil eſt uirtute formoſius, uitia omnia incutiunt pudorem. quin & eorum ſimilitudines, imagines, ſigna, uitia ſunt, quæ fiunt contra pium & fas, contra æquum, contra ius & leges, contra maiorum inſtituta, contra mores patrios, contra præcepta ſapientum, & prudentum conſilia. carere etiam ijs rebus pulchris, quæ alijs tui ſimilibus non deſint, ſiue priuatim cuique, ut adoleſcentem nobilem generoſa educatione: uel publicè, ut ciuitatem legibus, libertate, in uitio ſolent poni: tanquam tua culpa uel amiſeris: uel non paraueris, quæ à communi ratione diſce-

dunt. Verecundiam incutiunt ſiue in uitijs, ſiue in rebus neutris: ut ſtatura uel enormis uel puſilla, oris aut corporis deformitas, linguæ uitium. Nec ſolùm res noſtræ turpes pudefaciunt nos, ſed eorum qui nobis ſunt coniunctiſsimi: ita ut illorum turpitudo in nos ipſos, uel noſtra in illos redundet: uti patrum, auorum, filiorum, nepotum, conſanguineorum, principum, ſubditorum, tutorum, pupillorum. Inter omnes patrum eſt maxima, quod uerſiculo eſt Græco teſtatum: Nemo tam eſt uir excellens, ſuisque fidens uirtutibus, quem non frangat parentum ignominia: propterea quòd uitia patrum in nos uidentur naturæ ſimilitudine deriuari, tanquam hæreditaria. Sed apud rectè ſtatuentes nihil ex hiſce omnibus iuſtum & legitimum pudorem importat, præter illa, in quibus eſt aliqua noſtra culpa: uelut in eorum peccatis, qui curæ ac prouidentiæ noſtræ commiſsi ſunt, ac crediti: ut filiorum, diſcipulorum, uxoris, pupillorum, ſubditorum, clientum, familiæ, neceſſariorum. de quo eſt illud, Amici uitia ferendo facis tua: utique in ijs probris, quæ ad curam noſtram pertinent excludere, aut emendare. Quo fit ut etiam leges, & pietas, & bona maiorum inſtituta in gente aliqua, malè ab alijs audiant gentibus, quum illis omnibus ea non ſit melior. quale eſt apud Paulum, Propter uos malè audit nomen Dei in nationibus. Ex alieno pudore atque ignominia pudeſimus & nos, quum eiuſdem turpitudinis ſumus nobis conſocij: uel quum illius fuimus autores, magiſtri, adiutores, ſocij: uel quum is pudeſit immeritò, & quem indignum ſit pudefieri. Erubeſcimus item ad alienam impudentiam, quando eum quem conueniebat uerecundari, uidemus nihil commoueri prorſum, aut leuiſsimè. Qui quòd non exhiberi

beri ſibi reuerentiam uident, à quibus, quo loco, tempore, negotijs, aut rebus exiſtimant oportere, uerecundantur ipſi: neque id modò, ſed ſæpenumero indignantur & iraſcuntur: eóque uehementius, quo plus ſibi arrogant, & honoris ſunt auidiores. Modeſti homines in medijs ſuis laudibus erubeſcunt: ut M. Cicero de Caio Aquilio dicit, pro Pub. Quintio. timent ſcilicet ſuſpicionem arrogantiæ, ſi immoti ſuas laudes auſcultent, tanquam uideantur eas agnoſcere, atque approbare. Qui diſcrimina hæc nôrunt fœdi & decori, metuunt tamen dedecus, paßim uerecundantur ſine cauſa: ut pueri, & ruſticorum plerique: unde eſt ille pudor ruſticanus. Qui uerò nihil hæc curant, nec eos pudet: quòd non ſimplici de cauſa contingit. Hi enim ex educatione non nôrunt: ut ruſtici, & filij egenorum. illi ſeipſos in flagitia ita proiecerunt, ut omnem reſpectum hominum exuerint: ut latrones, lenones, meretrices. Sunt quos in deſperationem egerunt ſua mala, & in odium decoris: ſicut inopes, mendicos, ignominioſos. Alij ſuperiores ſeſe eſſe rentur, & uerſari ſemper inter eos quos nihil reuereri debeant: ut principes, magiſtri, patres, ſenes, homines arrogantes, qui reliquos omnes deſpiciunt, tanquam inferiores ſe. Vicißim, qui de ſe ipſi moderatè ſentiunt, ſæpius incurrunt pudorem, non à rebus, ſed à ſuis ipſorum ingenijs. Qui uideri affectãt nullis eſſe uel inferiores, uel ſubditi, impudentiam dedita opera exhibent: & quærunt occaſiones pudoris, ut confidentiam in illis ſuam oſtentent. Ex optima & præſtantißima ſunt nota aſſectatores ſapientiæ, qui hæc uulgaria rerum diſcrimina derident. alia uidelicet habent ipſi excellentiora, magíſque ad libram ueritatis expenſa atque exami-

nata. Conſiderantur in cenſendis pulchris & deformibus, circunſtantiæ locorum:ut in Aethiopia deformis non eſt color ater, nec ſtatura puſilla apud Pygmæos, nec furari Lacedæmone. Temporis: ut Saturnalibus ludere, atque ineptire. Perſonarum:uel noſtra, ut aliquid turpe facere Magiſtratum, deformius eſt, quàm priuatum: uel aliena, magis pudeſimus apud eos, ex quorum improbatione plus dedecoris nos reportaturos formidamus.uel ob noſtrum de illis iudicium, ut apud parentes,tutores, præceptores: uel omnium, aut plurimorum, ut principum, & eorum qui magni habentur de ſapientia,& rerũ iudicio,uel de uirtute: & potiſſimum,qui ei turpitudini, quam nos reformidamus, obnoxij non ſunt. Minus enim pudet nos turpiter aliquid agere,apud ſimilia agentes. Deniq; quoſcunq; reueremur,apud hos plurimum erubeſcimus.Rurſum,quorũ iudicio nihil tribuitur,nec de eis uerecundamur:ut puerorũ,& morionum. Quod ſit apud plures, magis pudendum eſt ,quàm quod apud paucos,modò cætera ſint pares.Idcirco multum pudet nos,ſi quod fœditatis ſignum dedimus apud eos,quos ſuſpicamur prodituros:& eo grauius,ſi ſint latè ſparſuri.cuius generis ſunt, qui ſolent, ut dicaces : qui cupidè facient,ut inimici:qui poſſunt,ut celebres ſcriptores,uel qui inter multos & magnos uerſantur. Amor ſi ſit admixtus cum opinione magnitudinis, pudorem ducit ſecum comitem:ſin aliter, tollit,ut inter pares. Magnitudo eſt omnis excellentia, quæ conſideratur, ut talis ſiue conditionis & fortunæ,ſiue corporis,ſiue animi,& mentis. Spes quoque ad pudorem facit.à quo enim ſperamus boni nos aliquid accepturos,quocunq; boni genere,quod nos utique ducamus eſſe tale:apud hunc ex leuiſſima de-

decoris

decoris ſpecie perfundimur rubore, metu, ne ſpe noſtra fruſtremur. huic uidelicet probari uehementer expetimus, ut uoti fiamus compotes. Signa quibus fœditas notatur, ſunt: reprehenſio, increpatio, conuicium, deriſio, illuſio, dictum, nutus, geſticulatio, uoces inconditæ. Pudor ſuffundit genas rubore, quæ eſt erubeſcentia: quia periculum in metu eius eſt generis, ad quod propulſandum opus ſit cordi ſubſidio, nempe calore illuc occurrente. in pudore autem conturbatio quædam exiſtit animi, ex opinione dedecoris. ad caput ergo rapitur calor, unde per faciem diffunditur. Eámq; ob cauſam M. Cato, nec puerum pallentem probabat in pudore, nec militem rubentem in diſcrimine: quòd hic argumẽtum præbebat ignauiæ, puer autem confidentiæ atq; impudentiæ. Quæ uidentur fœda noſtra, magis nos afficiunt pudore, quàm quæ audiuntur: & aſpectus eorum quos reueremur, plurimum nos pudore afficit. idcirco pleriq; in uerecundia demittunt oculos, alij auertunt, alij claudunt. puerũli, quũ erubeſcunt, naturaliter manibus operiunt oculos, & faciem. Socrates de amore dicturus in Phædro Platonis, faciem pallio operuit, tanquam in argumẽto uerſaretur parum ſe digno. nec ſine cauſa dicitur prouerbio, Pudor in oculis. In tenebris nullus ferè eſt pudor. & quum capite ſumus inuoluto, nec noſcimur, minus pudet. Alij generoſiores, qui uel in ſolitudine apud ſemetipſos pudeſcunt, ſiue quid in præſentia agunt turpe, ſiue ex recordatione, quod egerint. Pudor, ſicuti & metus, animum conturbat: tametſi non tanto quatit tormento, ſed confundit certè, excutítq; rectè cogitata. quod deprehenſum eſt in doctis & cordatis uiris, quum uel ad multitudinem dicturi prodiſſent, uel ad principem aliquem, quem eximiè

reuererentur. Valida rei alicuius cupiditas uerecundiam excutit, ut in amatoribus, in periculo rei alicuius charæ amittendæ: ut uitæ, aut filij. Auari eadem de cauſa non multum uerecundantur, quum ſpecies eſt lucri aliqua. Nec ſenes multum pudet, partim quod apud iuniores agunt, id eſt, ſe inferiores, quaſiqúe filios: niſi fortè hos habeant pro fortioribus, ut principes, aut locupletes, aut patronos ſuos: aliàs quòd non tam decore aut dedecore mouentur, quàm utili uel inutili. Pudor uelut pædagogus quidam additus eſt homini. puer enim uel adoleſcens conſilio eſt inualidus, propter ignorantiam eorum quæ uerſantur in uita. Is ſi ſibi fidat, in plurima incidet incommoda. ut ergo iudicio prudẽtiorum acquieſcat, habet pudorem tanquam ſtimulum, qui impellat eum potiores reuereri. Potiores ſunt autem uel numero, ut multi: uel ætate, uſu rerum, prudentia, eruditione, leges ac mores, patria iudicia uniuerſorum, uel plurium, & eorum qui in magna ſunt exiſtimatione. quocirca nihil eſt ei qui uitæ officia non nouit, utilius. Cohibet item affectus temerè ſeſe effundentes atque euagantes, ideóque pro educatione eſt pueris & mulieribus. Nihil potuit dici in ſacris oraculis de muliere fœdius, quàm quòd pudorem abieciſſet. Et philoſophus ille, quum puerum animaduertiſſet erubeſcentem: Bono es animo, inquit, fili, hic eſt color uirtutis. Viris etiam frænum eſt, ne ſe in ea effundant quæ minimè deceant, miniméque uel illis ipſis conueniant, uel alijs: ne quid committant turpiter, flagitiosè, prauè, indecenter, pro ratione perſonæ, ætatis temporis, loci, ſocietatis, humanitatis. maximéque neceſſarius eſt omnibus quicunque in communione & ſocietate ſunt uitam acturi.

DE

DE SVPERBIA.

Superbia, tumor eſt animi, ex opinione boni præcellentis, unde honor & precium exiſtit: ſiue id bonum adſit, ſiue adfuerit, adfuturúmue ſit. Infixæ *ſunt huius mali radices noſtris pectoribus: quoniam ex eo amore naſcitur, qui inditus eſt naturaliter cuique ſuiipſius. is enim, ut eſt admixtus, ignorantia excæcatur, efficítque ut quiſque ſibi uideatur optimus, ac proinde bonis quibuſcunq; digniſsimus. quæ cenſura tranſit à nobis in eos, quos amamus tenerrimè: quoniã ij alteri nos ſunt, ut diximus.* Eſt *ergo fons ſuperbiæ primus, incõſideratus cuique amor ſui ipſius. quod autem manat ex inconſideratione, copioſè neceſſum eſt influere in rudes, tardos, ſtupidos, præcipites, inconſideratos. nam docti, acuti, moderati, & qui in ſeſe oculos reflectunt, probè aſſequuntur, nihil eſſe de quo mortalis ullus poßit ſumere ſpiritus: & ut bilioſi quãlibet acuti & eruditi, niſi ſe magno inhibeant iudicio, & (ut ita dicam) ſufflaminent, rapiuntur præcipites in animi perturbationes, obnoxij ſunt huic malo: tum quòd ignis amat ſuperferri, & diffuſa per cerebrum cholera, ſubito uelut tormento uim omnem rationis quatit.* Tanta *autem ſæpenumero inconſiderationis caligo mentem obruit, ut ſuperbißimus ſit, qui minimas & paucißimas habet cauſas ſui efferendi.* Naſcitur *ex ſuperbia, arrogantia: ut quoniam ſe maximis bonis dignum ſuperbus exiſtimat, quæ ex ſe habet bona, unde originem ſumit ſuperbia, ingentia eſſe cenſeat, unica, omniúmque præſtantißima. ut nobilis genus ſuum, formoſus formam, acutus ingenium. quæ uerò aliunde propter illa accedunt, modica, & infra ſuam dignitatem: quæ tamen ſi alijs contingant, ſupra dignita-*

tem & meritum eſſe iudicet, ex liuore ac maleuolentia, quæ ſuperbiæ ſunt comites. Quicquid conciliare decus *& autoritatem & dignitatem poteſt, quærit, ut uerè poßideat, uel poßidere certè ſe ſimulat: uitat autẽ, quicquid quouis modo exiſtimationi poßit officere.* Hinc eſt *oſtentandi bonorum ſuorum auiditas ardentißima, ut alijs ea fiant nota: & dedecorum ſuorum celatio diligens ac ſtudioſa. quod facit non rebus ipſis modò, uerùm & iactatione uerborũ, & geſtibus corporis totius.* Et quo*niam quæ rara aut noua, aut inuſitata & ſingularia ſunt, propter admirationem pluris facimus: ille eiuſmòdi ſibi adeſſe bona uult alijs perſuadere, in rebus animi, in rebus corporis, in ijs quæ ſunt uitæ, etiam in ſumendo cibo, ueſtiendo, ludendo, in inceſſu, in rebus leuißimis, & quas nihil omnino interſit hoc aut illo modo agere atq; exercere: imò & in quibus periculoſa eſt nouitas, affectat ab alijs diſcrepare, & ipſe ſibi munire uiam, qua ingrediatur: unde abſurditas aſſeuerationum in diſciplinis, ut aliquid uideatur noui attuliſſe.* Hinc *inuidentia in eos qui uel potiora habent, uel ſimilia. efficiunt enim hi, ut ne, quod nos maximè cupimus, noſtra ſint unica & propria.* Nihil *adeò expetit ſuperbus, ac* Dei *ſimilitudinem aliquam: non utiq; quod ad bonitatem pertinet, ſed quod ad potentiam & magnitudinem: ut ſe nullius indigere, multos autem ipſius: nulli eſſe ſubditum, illi plurimos: neminem ſibi benefacere aut prodeſſe, ſe compluribus.* Et *ut magnitudinem ſuperbi oſtentent, cõponunt ſe in modum non amabilem, ſed formidabilem. id ſimulant, & iactant diuitias, opes, potentiam, cõtemptum aliorum, tanquam longè imparium: non dignantur eos colloquio, non congreſſu: utuntur ſono uocis graui, & uerbis grandibus ac*

tragicis,

tragicis, irriſione, ſubſannatione, iurgijs, minis. unde inſolentia dictorum & factorum intolerabilis. In omni contentione pertinacia inuicta, & contra autoritatem omnem, & contra manifeſtiſsimam ueritatem, contra bonum & utile uel ipſius eiuſdem ſuperbi. omnia enim poſtponit præeminentiæ, ne qua re habeatur inferior. Itaque nec admoneri ſe patiuntur, nec doceri uolũt: ſed quicquid ſemel arripuerint, tuentur. unde ſectæ, & factiones. citiùſque mutari uellent ueritatem, & rerum naturam, quàm ſuam aſſeuerationem, quam ipſi non rarò falſam eſſe haud ignorant. Sequitur ira ſuperbiam, quòd nunquam ſibi tantum tribui exiſtimat, quantum meretur: tum ultionis cupiditas, & mulctatio per occaſionem. Iam circunſpectio ad aliena uerba omnia, ad nutus, ad geſtus, ne quid aduerſum ſe exeat, non honorificũ. Suſpicax eſt ſuperbia, & quæ ſimpliciter ſunt dicta uel facta, iniquiſsimis interpretationibus ad calumniã detorquet. Ex hoc tam prauo more, támque immodica ſui indulgentia, fit tenerrimus animus, omniúmque rerum quæ aduerſa ſua uoluntate eueniant impatientiſsimus. hinc offenſio, & indignatio rabioſiſsima, & conuicia non in homines modò, ſed in Deum quoque, tacita plerunque, interdum uerò expreſſa & aperta. Ignoratio hæc tam craſſa, uel inconſiderantia tam præcipitata, non ſinit nos in reputatione noſtrorum bonorum cogitare, à quo ſint bona illa, quis, quomodo, qua ratione tribuerit. Nihil de Deo ſuccurit animo: nos noſtra ſolertia, diligentia, merito noſtro paraſſe exiſtimamus. quale illud eſt apud Ezechielem ex perſona diaboli, Ego feci me. quod eſt, ſicut Iob ait, Manum ſuam deoſculari: quæ eſt impietas magna. Irrepit mirè per cuniculos in

mentem ſuperbia. Sæpe enim magnis ex uirtutibus oritur: aliàs ex conſideratione noſtræ moderationis tur-geſcimus, modò quum reputamus ſuperbos eſſe nos, idq́; nobis dolet, reflectitur in ſe animus, & quod ſuperbia ſua ſibi diſpliceat, ſuperbit. Flexuoſus *quidem ſerpens ille, hoſtis hominum: ſed & maſſa noſtra longa uitiorum continuatione corruptiſſima eſt.* Expergiſcitur *nonnunquam ex recta præceptione ſuperbia, ægreſcitq́; medendo, ut inquit ille: & quęadmodum de palma dicunt, deprimendo erigitur. quum enim hortamur aliquem uirtute fidere, quod eſt uerum ac ſolidum bonum, non genere, opibus, forma, facundia, eruditione, gratia, quæ ſunt inania: fit ſæpenumero, ut is neglecta admonitione, exiſtimet præcipuum ſe in eo eſſe, de quo iubetur non erigere animum, magnamq́; ſibi uel eruditionem, uel formam, uel quid ſimile ineſſe, quandoquidem remedijs uidet eſſe opus, ne de tanto bono inſoleſcat.* Ergo *adhibendo medicamento incrudeſcit morbus: quia medicamentum tanquam moleſtum reijcitur, uel prætermittitur, ut inutile. cauſa uerò morbi, quia honorem uidetur continere, grata eſt, & fouetur delicatè.* Magna *itaque eſt opus arte, ad cohibendam beluam hanc tam multiformem & multicipitem.* Impedit *ſuperbia magnos in ſapientia profectus, partim dum pudet diſcere, ne inferiores uideantur: partim quod magnã uitæ partem ſuperbi per ambitionem, inuidiam, iram, ultionis cupidinem tranſigunt: ut ſic occupatis, nulla ſana cogitatio ſubire poſſit eorum mentes.* Et *quemadmodum uenenata animalia, ſi quid ederint ſalubre, in uenenum tamen cõuertunt: ita ſuperbus, quæcunque agit, ad honorem parandum, & auram captandam refert.* Et *quia unicus eſſe*

ac ſin

ac ſingularis cupit, ſi quem aliqua de laude commendari audit, ſtatim ſua bona profert in comparationem, tanquam potiora. Themiſtocles interrogatus, quænam eſſet ſuis auribus muſica gratiſsima: Oratio, inquit, de meis laudibus. Etiam de eo gaudet extolli, quod non ſolùm ipſe non habere ſe eſt ſibi conſcius: ſed id quoque ſcit alios ſcire. Mentiris, ſed places, dixit mulier quædã pediſſequæ aſſentãti. Dolet homines aliud intueri, aliud cogitare, alia de re loqui, quàm de ſe uno. nec officium eos cenſet facere, ſi id intermittant: ut de Caligula ſcribit Tranquillus. Quocirca altitudinem omnem, tãquam ſuis officientem luminibus, uellent deturbatam: ut principum nonnulli, ad commemorationem diuinæ potentiæ, tacitè carpuntur animis, & cuperẽt, ne quis ſe eſſet potentior, ac ne Deus quidem. Caligula idem, cum Ioue ſimulabat ſe inimicitias exercere. Superbo tantopere eſt perſuaſum ſe eſſe præcellentem, ut exemptum ſe arbitretur eſſe oportere humanis legibus: & impunè abire, quicquid agat ipſe, in alios iudex ſeueriſsimus. nec impunita ſolùm præteriri ſua, uerùm (quod eſt intolerabilius) haberi in rectè factis. exemptos quoque naturæ legibus, ne Deo quidem ſummo & præpotenti ſubditos: ita ut quidam pudori ducant, orare in templis, ſuppliciter Deum precari, ad memoriam ſcelerum ſuorum uultum contrahere, uel lachrymam dare aliquam. Bene declamator ille de ſuperbo, Erubeſcit Cæſarem timere. Superbia animum tumentem facit, & proinde inanem: haud ſecus quàm ignis aquam. quod & in corporibus experimur bilioſis, in quibus facilè gignuntur flatus & uenti. Inter omnia uitiorum genera poteſt conſtare pax & cõcordia, ſuperbia excepta. de quo eſt in Prouerbijs

Salo

Salomonis: Inter *ſuperbos ſemper iurgia ſunt.* Reliqui *enim uitioſi id expetunt, quod poſſunt omnes conſequi: ſuperbi quòd expetunt, non poſſunt. nempe utrunque alteri præferri. Solùm habet ſuperbus amicitiæ ſpeciem aliquam, cum eo qui ſe illi ſubijcit adulatione rerum, & aſſentatione uerborum. Superbo nullo negocio perſuaſeris, ut ab ijs ſe affectibus abſtineat, qui ſunt demiſsioni uicini: metu, lætitia effuſa, aſſentatione, ambitu.* Tametſi *ille demittit ſe nonnunquam, ut magis extollatur: ſicut retrocedunt, qui lõgius uolunt ſalire. ut etiam abiectiſſimè nõnunquam ſeruiat, quo poſsit impotentius dominari: & ſe egẽtiſsimis atq; impuriſsimis ſummittit, ſi per illos arbitratur gradum ſe ad dominationẽ poſſe præſtruere: ut olim* C. *Marius, &* Iulius *Cæſar, & quotidie noſtri principes.* E*ſt & comitas atq; educatio quædam ſuperbiſsima, non in alterius honorem, ſed in noſtrum ipſorum: ut boni eſſe, & prudentes, benéque inſtituti iudicemur: unde accedat æſtimatio.* De quo in Eccleſiaſti*co dicit* Ieſus: *Eſt qui nequiter ſe humiliat, & interiora eius plena ſunt dolo.* A*ffectus hic eſt præferuidus: naſcitur gliſcítque in locis, temporibus, negocijs calidis: uelut ad meridiem, in bellis, diſſenſionibus. Quo autẽ bonum, quod poſsidere nos credimus, pluris fit, hoc maiores criſtas erigit hic gallus: ut in raris bonis, & quæ paucißimis contigerunt, ijſq; honoratiſsimis, aut omnino nullis.* Expenduntur *& iudicia ſpectãtium, intumeſcit animoſus miles in caſtris, & facinoribus belli clarus: doctus in academijs. contrà deponit animos ſtudioſus inter ſigna militaria: miles inter liberos.* Idcirco *ſuperbiſsimi omnium ſunt nobiles, & formoſi: quia genus & forma magni ubique fiunt. tum diuites, quòd pecuniæ omnia*

obedi

obediunt,ut inquit Sapiens:illíſque omnes honorẽ exhibent.Frangitur ſuperbia primùm à ſapientia & conſideratione noſtræ utilitatis:tum ſi apertè ſciamus non ignorare alios,non ineſſe nobis ea bona quæ ſimulamus: aut ſi ſciant non eſſe noſtra,ſed ad tempus accommodata.Hinc ſi adſint tot mala,ut exiſtimatis bonis prægrauent,nóſque in animi cõtractionem abijciant, aut ex grandi periculo in metum & horrorem.& ut eſt affectus calidus,infrigidatione corporis tepeſcit,ex alimentis,& loco.Bona præterita ſi per ſe conſiderentur,erigunt nobis animos:deijciunt autem,ſi ad pudorem præſentis fortunæ referantur:quum quidem culpa eſſe noſtra amiſſa ducimus,& potiſſimùm culpa infami, uelut proditione,furto,latrocinio,adulterio,alea,imprudentia,dementia. Naturale illud ſemen primum ſuperbiæ, unde in tantam degenerauit malitiam,non erat malum: nempe ut ſe homo excellenti cõditione progenitum reputans, amaret ſe, dignúmque maximis ac ueris bonis cenſeret:nempe cœleſtib. quæ magno animo appeteret. Verùm prolapſus in ignorantia, longiſimè illinc diſceſſit ad cupiditatem uiliũ rerũ, ac uaniſſimarum:quæ appellauit bona, & pro æternis illis ſubſtituit.

FINIS.

ILLVSTRISS. ET GENEROSISS. PRINCIPI D. CHRISTIANO, Regi Norbegiæ & Daniæ, duci Sleſuicenſi, &c. Comiti Oldenburgenſi, &c. Vitus Amerbachius. S. D. P.

SCripturus tuæ Maieſtati, ac vnà miſſurus hoc meum Opus philoſophicum, Inclyte ac fortiſſime Rex, non ſemel ſum in propoſito impeditus, & ab incipiendo abſterritus. Cogitabam enim, quanta potentia, quanta amplitudo fortunarum tuarum eſſet, quantæ opes, quanta dignitas: & contrà, quæ imbecillitas mea, quæ anguſtia, quæ tenuitas rerum, quæ humilitas conditionis: & in ſumma, quanta eſſet inter nos inæqualitas in omnibus rebus; atque ita uelut magni cuiuſdã luminis radijs, tuæ Maieſtatis excellentia, mei animi viſus præſtringebatur: ac non aliter illa formidabilem ſe mihi reddebat, quàm in dimicationibus armorum lux & ſplendor facit. Nam & is ualet ad terrendum aduerſarium: nec tonitrua tantum incuterent metum, niſi fulgur accederet. Sed iterum atque iterum, & ſæpius inuitauit, ac tandem cõfirmauit in hoc inſtituto me, Tuæ Maieſtatis bonitas, pietas, humanitas ac lenitas, amórque erga doctos, & omnem liberalem doctrinã ſingularis: quas maximas uirtutes non modò ab alijs, & magnis viris prædicari ſæpe audiui, ſed ipſe quoque intelligere potui ex maximis rebus tuis geſtis, & communi quadam fama, quæ rarò de nihilo eſt, vt etiam prouerbium teſtatur. Itaque, ſi quid in hac re à me peccatur, quod nec puto, nec uelim, tribui debet hoc amori meo, & admirationi tuarum virtutum: nec poterit mihi, ut ſpero, denegari venia. Sed dicat aliquis, Maieſtas minus apud te valuit in abſterrendo, quàm in alliciendo humanitas, & aliæ manſuetiores virtutes? Huic reſpondere poſſum, quòd more hominum fecerim, qui malunt huc ferè confugere, ibique iuuari aut conſeruari, quàm inde aufugere, ac deſeri, aut perire: nec minus eſt bonis Principibus honorificum & gratum, ſe timeri, quàm diligi, ac amari. Atque id totum fit ad ſummi Principis, & conditoris aliorum principũ, ac omnium rerum Dei Optimi Maximi quaſi exemplum & imitationem. Quis enim ignorat, non velle Deũ aut ſolùm, aut perpetuò timeri, ac dilectionem eſſe quandam conſummationem no-

ſtræ bea

ſtræ beatitudinis,aut ipſam beatitudinem ex aliqua parte:timorem tantum initium,aut inſtrumentum? Nec facit Deus minis, quas nobis propoſuit,aliud, quàm vt nos incitet, ac adducat ad ſui amorem & obſeruantiam:quæ non poſſunt in nobis locum habere,niſi prius hoc ſit oſtenſum,quod habeamus opus Dei auxilio,quódq; velit nos Deus iuuare.Huc pertinet, huc deſtinatus eſt timor.& vt ex potentiæ,ſanctitatis,iræ ac Maieſtatis demonſtratione,& meditatione timor quidam naſcitur,ita ex tractatione & commendatione beneuolentiæ,manſuetudinis,ac amoris, naſcitur dilectio,nec eſt dilectio propter timorem,ſed timor propter dilectionem.Verùm de his nunc ſatis,quæ tamen ad meam excuſationem fuerunt propemodum neceſſaria:nihílque dubito, quin tua Maieſtas benignè ſit illam admiſſura.Non enim hic me ualde mouent iniquorum & inuidorum iudicia,quæ vt ſunt falſa,ita non poſſunt ſubſiſtere:ac ſufficiet mihi,ſi tibi honeſtè placebo,& ſtudioſis philoſophiæ nonnihil profuero, adeóq; in Rempub.aliquid officij contulero,vel ſaltem indicauero meum ſtudiũ & amorem,quo illam cõplector. Nam ita ſum perſuaſus, vt exiſtimem hanc doctrinam,quam in hoc Libro profiteor, non ſolùm ad acuendas cogitationes & ingenium conducere,ſed etiam ad pietatem,& admirationem diuinæ potentiæ accendendã in animis hominũ.Nam ſi,vt S.Paulus etiam rectè vult,ex intuitu operum naturæ,cuius Deus author eſt, ac gubernator, venerunt homines in Dei quandam cognitionem, quid eſt poſt illa cœleſtia corpora magis admirabile,quid diuinius & præclarius in rerum natura hominis animo, qui ſecundum optimam etiam philoſophiam eſt imago Dei:cum id ſit in homine animus, quod eſt in mundo πρῶτον κινοῦν,vel ipſe Deus,ac ideo μικρόκοσμος ab illis appelletur homo. Quare non ſentio cum ijs, qui putant in faſtigio rerum humanarum poſitos,ac ad gubernacula vitæ noſtræ ſedentes(inter quorũ præcipuos tu es Chriſtiane) hiſtorias tantùm,& alia quæ ad mores pertinent,debere cognoſcere,nõ etiam hæc naturæ arcana perueſtigare.Mẽs enim,ſeu intellectus, præſtantiſſima pars eſt in anima:atque huius munus præcipuum eſt, has res,& ſimiles inquirere,& contemplari,ac tanquam aſpicere:quantoq; vis eſt hæc oculis excellentior,tanto eſt ad percipiendas res melior & certior,atq; ad excitandam in nobis, & alendã admirationem diuinæ potentiæ validior. Nunc, ſi hanc partem negligunt principes,negligunt id,quod ſolùm facit ferè vt ſint

boni

homines. Quod in hac tanta excellẽtia dignitatis, nõ video quomodo excuſari queat. Hoc tamẽ ita velim accipi, ut nolim eos interim aliquid eorum quæ ad Rempub. pertinent, omittere. quarũ gubernandarũ gratia præcipuè ſunt in hac miſera & cõtaminata vita: nec ita futuri, ut opinor, ſi manſiſſent incorrupti primi homines, quorũ culpa cõiecti ſumus etiam in maiores calamitates, aut fortaſſe non futuri omnino. Noſtra enim ſpõte omnes rectè feciſſemus, ac ſatis fuiſſet parentũ gubernatio, quanquam & hæc longe alia, quàm nunc eſt. Nihil autẽ prohibet, quominus & id genus philoſophiæ dent aliquid operæ principes, cùm & multi ex veteribus idem fecerint, & habeant exemplũ egregiũ in optimo, & pacis amantiſſimo principe Carolo, Chriſtianorũ hoc tempore Imperatore, qui nõ paucas horas collocat in Mathematicam & Aſtronomiam, ut audio, diſcendã: & tamen regit alios principes, tot regnis præeſt, tot nationibus, tot populis cũ ſumma laude & gloria. Immenſum ferè quiddam, & infinitum eſt, humana mens, & non facilè defatigari tractandis & uerſandis rebus poteſt, nec uni, aut paucis tantum perpetuò intenta eſſe. Gaudet ac recreatur varietate, vt uarijs coloribus oculi: atq; vt res ſunt multiplices in hac natura, & infinitæ, ita noſter animus ſubinde aliquid auet diſcere, quod antea neſciuit. Cum enim ſecũdum hanc maximè partem ad diuinæ eſſentiæ imaginem ſimus conditi, ac Deus non modo infinitũ quiddam ſit, uerùm etiam infinitas res intelligat, ac in ſuæ mentis velut cõſpectu habeat, quomodo quæſo ad vnam tantum rem diſcendam & intelligẽdam homo poteſt natus eſſe? Pectora noſtra duas nõ admittẽtia curas, inquit aliquis ex Poetis: cui ſimile quiddam in Platone, ex Xenophonte, ac alijs inuenitur, quòd nemo duo ſimul poſſit facere, & rectè facere. Sed eſt differentia inter facere, aut agere & cogitare: deinde non ſemper etiam uni rei maximè dediti, ac intenti eam tractamus. Datur ab agendo remiſſio, ludi permittuntur, exercitia corporis: cur nõ & animi quidã honeſtiſſimi ludi, & exercitia permitterentur? Quis cerdo ſemper de augendis bonis: qui miles de armis, de pugnis, de hoſtibus, de caſtris perpetuò cogitat? Quare hoc dictũ poetæ, ac ſimilia, non prohibent variarũ rerum tractationẽ, ſed cũfuſionem potius in tractando, & æquale omniũ ſtudium & curam. Delectus habẽdus eſt, ac una aliqua proponi debet, aut à Deo nunc eſt propoſita, cui potiſſimum debemus uacare. Quid, quòd nihil adeò ſimplex & unũ eſt, ut nõ diſtrahat animũ

in var

in varias partes? Cum itaque Principes habent ocium à publicis laboribus maximè conſentaneum eſt naturæ, ac eorum præſtantiæ, vt aliquid legant, aliquid meditentur, audiant, aut ſcribant, quo mens illuſtretur, & virtutes in eis accendantur: non ſemper dent operam venationibus, aleæ, commeſſationibus, ludicris certaminibus, choreis, & alijs ludis, non quidem turpibus, niſi modum excedant. ſed illi ſunt honeſtiores ludi: ac hi quidem non ſemper coli. vel propter valetudinem, vel propter ætatem, aut aliam cauſſam poſſunt. Quanquam autem, vt indicatum eſt antea, Principum eſt hoc munus præcipuum, vt hanc inferiorem vitam hominum, quæ in appetitionibus, & cupiditatibus conſiſtit, regant, iuſtitiam, æquitatem conſeruent: defendant bonos, malos puniant, hoſtes arceant, pacem & tranquillitatem retineant, ad conſeruandam & propagandam religionem, & pietatem, honeſtas diſciplinas, continentiam, & alias virtutes: non tamen ideo nunquam debent meminiſſe primi ſtatus hominum, & eius qui olim erit: ac ea non facere, quæ facturi fuiſſemus præcipuè, ſi nō incidiſſemus in has peccati miſerias, & faciemus illa beata & æterna vita. Nā ſicut vires in hominis natura ſunt deprauatæ per impietatem & flagitium primorum hominum, vt habet noſtra Religio, ita ratio quoque, forma & modus gubernandarum rerum humanarum eſt immutatus, vel auctus potius, aut inſtitutus deterior. quāquam ex neceſſitate quadam, introductæ ſunt leges, inuenti magiſtratus, præmia, pœnæ, dominia rerum, priuatum, publicum, iura belli, cōtractus, iudicia: quorum nihil fuiſſet opinor, ſi manſiſſemus integri, ac in primo velut ſtatu mentis & voluntatis, aliarúmque virium noſtri animi. Hæc ideo repeto & exaggero pro mea tenuitate, quòd cupiam non prorſus negligi à ſupremis hominibus partem naturæ humanæ ſupremam: non vt extenuem hanc tantam rem, quam vocamus vel Imperium, vel regnum, vel magiſtratum: & fateor maiorem eſſe, quàm poßit à me aut intelligi rectè, aut explicari pro dignitate. Nam veriſſimè dictum eſt à rege ſapientiſſimo & fortiſſimo Cyro, in grauiſſimo illo cū patre colloquio apud Xenophōtem, συνεδόκει σοῦ καὶ ἐμοὶ ὑπερμέγεθες εἶναι ἔργον τὸ καλῶς ἄρχειν. *Ac propterea ſunt etiam in tanta exiſtimatione, in ſplendore, dignitate, qui regnāt, ac honore, quæ res velut leniunt ac molliunt hos tantos labores, aut leuant hoc tantum pondus regnandi, ſicut pater Cambyſes ad filium Cyrum in eodem colloquio dicit,*

s

ἀλλ' ἐπικουφίζει τὶ ἡ τιμὴ τοὺς πόνους τῷ ἄρχοντι, καὶ τὸ αὐτὸν εἰδέναι, ὅτι οὐ λανθάνει, ὅ,τι ἂν ποιοίη. Hoc pater iam expertus rem dicit, filius illud aſſentiens patri: quod tamen abundè poſtea didicit in tractatione ac vſu rerum ita eſſe. Quanquam hoc naturæ præſtantia potuit indicare inſignis, & ad omnes virtutes promptiſſimus adoleſcens. Vtinam hunc Regem omnes principes, vt ſpeculum aliquod ſibi proponerēt, ad cuius exemplum & imaginem mores, actiones, ac totam vitam componerent. Nihil eo fuit ſanctius, nihil pietatis & omnium virtutum fuit amantius, nihil ad Rempub. gerendam excellentius. Colloquium verò, de quo hic loquimur, quid omittit eorum quæ ad perfectam & abſolutam Regis inſtitutionem, adeóq; peragendam honeſtè vitam Principum ſpectare videatur? Nunquam ij qui ſunt in hac ſpecula Reipubli. curandæ poſiti, hunc librum Xenophontis de manibus ferè debebant deponere, quo tanquam fidiſsimo & certiſsimo conſiliario poſſent vti in omnibus negocijs. Nunc obijci mihi poteſt, Quid hæc tam prolixè, ne dicam imperioſè? Patiatur me T. M. nonnihil gloriari, non tam de me, quàm de hoc noſtro literatorum ordine. Habent homines docti ſuum quoddam regnum etiam in rebus publicis, nec omnia per eos, qui vocantur Principes & Reges, geruntur. Euripides ait, quòd vnus vir non videat omnia. Hoc non tantùm de inferioribus intelligendū eſt, ſed etiam de ijs qui præſunt alijs. Nec me valde impedit, quod Homerus, & poſt Homerum Ariſtoteles, & multi alij, iubent vnum regnare, aut monarchiam eſſe optimam Reipub. formam. Non enim volunt, vt vnus ad ſuum iudicium, & pro ſuo quodam arbitrio, pro ſua mētis inductione faciat omnia: ſed, vt penes vnum ſint faſces, aut ſceptrum, aut alia inſignia, penes vnum ſit autoritas. Eſt quidem Rex imago Dei, ſed imago, non Deus: peccator, non iuſtus: homo, non Angelus, vt aiunt. Quare multis adminiculis opus habet ad peragendum ſuum hoc officium. In quo vel præcipuus locus eſt ingenioſis, eruditis, ac bonis viris: id quod ipſi quoq; fatentur. & nulli vnquam fuerunt ſani principes, qui non plurimum ſint vſi talium hominum opera & ſtudio, in agendis rebus: ac ſunt hi potentibus à Deo, velut remoræ quædam additi, ne per impotētiam animi ſua potentia abutantur. Quàm enim ſit difficile, in tanto ſplendore, in tantis opibus, in tanta omnia rerū affuētia, in tanto etiam adulatorum numero modum ſeruare, teſtantur omnium temporum hiſtoriæ, nôrunt & experiuntur quotidie qui ſunt in

hoc

hoc altiſsimo gradu rerum humanarum conſtituti. Atque ita pulchrè puto vetus Græcorum prouerbium, σπεῦδε βραδέως, in hac Principum & eruditorum coniunctione diuinitùs expreſſum eſſe. Verum & hic varia mihi poſſunt obijci. Quare ſciant lectores, nec de ingenio meo valde mihi me placere, nec doctrinam aliquam ſingularem tribuere: nihilominus tamen, & non prorſus fortaſſe nullum eſſe nobis ingenium ac doctrinam & licuiſſe mihi, tum beneuolentiam, ſtudium, & amorem erga Rempub. declarare, tum erga T. M. obſeruantiam. nec regnum Daniæ, ac Ducatus Holſatenſis, & Sleſuicenſis, aliæquè terræ, quibus imperas, omnino ſunt à noſtro Principe, ac nobis alienæ: &, vt liberè dicam, in aulis habentur ſæpe, qui aut approbent vitia principum, aut certè non valde improbent: rarò moneant eos de talibus rebus. idquè fit non tam veſtra culpa, quàm aut auaritia quadam, aut ambitione, aut odio, aut metu eorũ qui ſunt vobis additi auxiliatores. Ignoſcere mihi debent illi melioris notæ, ac veri conſiliarij Principum, quod non occulto veritatem, cuius haud dubiè ſunt amantiſsimi. reliquos nihil moror, & ne quidem eos mihi cupio propitios eſſe. Valeant, vt dignæ ſunt, ac miſſos faciant Principes, illæ peſtes Rerũ publicarum. Hæc non addo, quòd ſuſpectum admodum habeam tuam aulam de hoc vitio: ſed vt partim nonnihil accedat inde meæ excuſationi: partim vt ſtimulum quendam addam ſua ſponte iam currenti. Qui ſint alij, quibus vteris, neſcio: de D. Ioanne Ranxou equite, ac Petro Suauenio, ſcio, quòd ſint viri præſtantiſsimi: alter in re militari exercitatiſsimus, ac velut Patroclus quidam tuus: alter in humanitatis artibus egregiè inſtitutus, ac verè tuus Phœnix: vterque ex nobili ac honeſta familia. Quod ſi licet, non leonem, vt prouerbio permittitur, ex vnguibus æſtimare, ſed ex capite magis, ac pectore quodam modo: non eſt difficilè iudicare ac intelligere, quæ reliqua ſit multitudo aulica. Sed vt vt hæc ſunt, quæ tamẽ ſpero & opto eſſe quàm optima, quæſo te, Inclyte Rex, vt meam excuſationem ſinas aliquid apud te ponderis habere: & velis hanc audaciam, piam tamen, & plenam erga te & tuos populos amoris, ſtudij ac obſeruantiæ, æquo & clementi animo accipere. In orationis libertate ſi quid te offendit, condones hoc meis moribus, ac ingenio, quod à ſimulando & diſsimulando procul abeſt, adeòq; adulationibus eſt inimiciſsimum. Quæ vt eo facilius facias, velim ſcias, tuos populares ac ciues, qui honeſtiſsimis artibus hic operam

nauant, mihi ad hoc opus tibi dicandum, hortatores & incitatores fuiſſe: quorum cum ſit magna erga me beneuolentia, & ſingulare propemodum ſtudium, nolui committere, vt putarent, aliquid me ad alendum & augendum hunc amorem intermiſiſſe: præſertim cum nonnulli promitterent etiam, hoc meum factum ac officium, ſi quod eſt, Tuæ Maieſtati, placiturum eſſe, non tantum non futurum ingratum. Etſi autem id facile mihi potui polliceri ipſe, propter inſignem tuam propenſionem erga liberales doctrinas: tamen hæc res fecit me non parum animoſiorem, ac valere iuſſit intempeſtiuum pudorem. Quid, quòd ſcio, te hoc genus officij, ſtudij, pietatis, aut amoris in alijs, adeò non improbaſſe, vt eotiam valde probaueris, ac ſis complexus magna beneuolentia? Quorum ſi labor ac ingenium alicubi vincit meum laborem ac ingenium: non tamen vincit amor & obſeruantia, quod non pudet me dicere. Adde ad hæc omnia, quòd non minus reges, & alij potentes iuuare, ac tueri debent literas & literatos: quàm literæ & literati iuuant, ac defendunt ipſos: tametſi alia ratione, ac modo. Et ideo videntur mihi poetæ veteres, homines procul dubio ſapientiſſimi, ſuis Muſis mulierculis Apollinē gubernatorem adiunxiſſe: ac Mineruæ munus gerendorum bellorum, ſimul ac regendorum ſtudiorum tribuiſſe: vt ſignificarent, hæc natura & diuinitùs coniuncta eſſe, nec debere ſeparari. Sed iam ſatis diu tuam Maieſtatem hac oratione detinui. Quapropter, ne videar tuæ Sapientiæ, ac humanitati, quod minimè facio, diffidere, finem facio: nec aliud à te peto, niſi vt hunc librum, & merum in eo mittendo animum, ac officium, æqui boníque pro tua lenitate facias: ac pro Maieſtate regia, ſi opus erit, contra inuidos & iniquos indices defendas. Chriſtus adſit & tibi, vt piè ac feliciter imperes: & populis tuis, vt libenter & officioſè pareant. Vale. Datum Vitembergæ, X. Calend. Octobris, anno Domini

M.D.XLI.

VITI

VITI AMERBACHII LIBER PRIMVS DE ANIMA.

Diſputaturo mihi aliquid de Animæ natura & uiribus, ac ueluti partibus quibuſdam, & officijs: non tantùm hoc incidit, & ualde animum perturbat, quòd hæc res tota ſit una de obſcuriſsimis & reconditiſsimis in natura, atq; adeò uarietas opinionum de illa præſtantiſsimorum ueterum philoſophorum infinita propemodum, & inexplicabilis: ſed cùm ſubtilitas, ác ut ita dicam, peregrinitas illa Ariſtotelicæ orationis: tum etiam uel maximè diſſenſiones & contentiones interpretum eius philoſophi, non tantùm uulgarium, & ex magna parte præposterè doctorum, ſed eruditiſsimorum uirorum, & inter ueteres etiam principum. Ac uidetur quidem mihi non Proteus, aut Vertumnus tot formas inducere poſſe, quot formas alij huius generis ſcriptores Ariſtotelicis ſcriptis, ut ſic dicam, induerunt: præſertim in hac parte Philoſophiæ, quæ de Anima docet. Vt enim alios omittam, nónne Cicero putatus eſt à multis magnæ doctrinæ uiris etiam definitionem animæ, quod caput eſt uniuerſi negocij, in hoc autore non intellexiſſe? Et profectò illi non deſtituuntur rationibus, ſicut fortaſſe paulò pòſt monſtrabimus. Deinde nónne multi magni, & in Philoſophia tantum non ſummi homines, conati ſunt oſtendere, nihil à Platonis ſententia differre, quod ad hanc doctrinam attinet, ſententiam Ariſtotelis: plerique uerò non inferiores illis, diuerſum ſenſerunt &

docuerunt,& fortáſſe non immeritò? Hæ omnes difficultates in unum uelut globum concurrentes, non leuiter quidem certè me perterrēt, & tantum non à propoſito meo abripiunt in quancunque aliam potius materiā. Sed retinet me in hoc meo curſu, & inſtituta diſputatione tū uel nolentem officium meum, tum uolentem etiam dignitas rei, & præſtantia. Hæc etenim natura tenetur corpore ab omni: Ipſáque corporis eſt cuſtos & cauſa ſalutis, ut inquit Lucretius. Præterea meritò princeps dictus philoſophorum Ariſtoteles, inſpectionem & conſiderationem animæ, ſeu, ut ipſe loquitur, ἱςορίαν propemodum aliarum omnium rerum cognitioni præponit, propterea quòd exactam quandam, & exquiſitam, aut ſublimem etiam rationem contineat, & in ijs rebus uerſetur, quæ pleriſque alijs & dignitate & admiratione antecellant: quódque ad omnis ueritatis notitiam, ac in primis ad naturam rerum diſcendam magnum momentum habeat. Id autem eam ob cauſam, quòd anima ſit uelut principium quoddam animalium. Quod quàm ſit bene ac aptè dictum, facilè eſt intelligere, paulò tantùm diligentius hoc ſecum expendenti. Animatum enim corpus, eſt compoſitorum corporum præſtantiſſimum. Compoſita uerò corpora ſunt altera pars omniū eorum, quæ ſcientia naturalis tractat & explicat. Nam quæcunque huic ſcientiæ generi ſuppoſita ſunt, aut ſimplicia corpora ſunt, aut compoſita præcipuè. Nunc anima eſt id, à quo nomen habent, & perfectionem: imò hoc omnino, ut ſint animalia. Itaq; non obſcurum eſt, plurimū ad naturæ doctrinam pertinere & cōducere diſputationem de anima, ſi tamen ſobria ſit, & ſuum quēdam modum ac finem habeat, hoc præſertim tempore, ne res nimium extenuata, e u

ta euaneſcat demum. uel etiam alia cauſa eſt, ne homines ignaui, & deſidioſi prorſus hæc non attingãt, absterriti rei prolixitate, et difficultate. Cũ alioqui ſit πάντῃ καὶ πάντως τῶν χαλεπωτάτων, λαβεῖν τινὰ πίστιν περὶ αὐτῆς, ut ille ait. Quanquam plerique tanquam ex alto has literas in uniuerſum deridẽt, quomodocunq; proponantur. Verùm de talibus hoc non eſt mirum, cùm illa, quæ ipſorum profeßionis ſunt propria, frigidißimè & diſcant, & poſtea doceant alios, aut exerceant: & tamen ſplendidis magnificiſque interim titulis utuntur; oſtentant ueſtes ac annulos, quaſi uerum hoc ſit, Rara in tenui facundia panno: alios præ ſe contemnunt, ſoli regnare uolunt, blanditijs aliquando magis, aut cognationibus, aut affinitatibus, aut opibus, aut muneribus, aut etiam iocationibus, aut potationibus commendati, quàm uirtute, ac doctrina, quibus ſolis debetur honor & dignitas, non illis aut fumorũ uenditoribus, aut corniculis Aeſopicis, aut hiſtrionibus, aut helluonibus. Quid illa ratione tandem efficitur? Homines ignaui ac pigri euehũtur, negliguntur acres & amantes laborum, deformantur & affliguntur Reſpublicæ. Conſtitueram hìc longius excurrere in hanc fœditatem: ſed quia laterem lauarem, ſi hoc facerem, & alio loco id fortaſſe poterit fieri opportunius, omitto me defatigare, ac redeo ad propoſitam diſputationem, in qua præcipuè, quàm poterit fieri ſimplicißimè, ſummam Ariſtotelicæ ſententiæ explicabo, non addita confutatione ueterum opnionum, quæ extat in primo Ariſtotelis libro de anima, prolixè ac operosè agitata. Diuiſi autem in quatuor libros totũ Opus, in qua re nonnihil tædium laboris in legendo fallitur, ut ueteres etiam haud dubiè putauerunt. In primo, tractatur ſola defini

tio animæ. In ſecundo, recitantur animæ quinque præci puæ potentiæ, ac harum quatuor primæ explicantur. In tertio, diſputatur de intellectu, poſtrema & præſtantiſſi ma parte animæ. In ultimo, percurruntur ea, quæ legun= tur in libellis Philoſophi, qui Parua naturalia uulgò ap pellantur, à facilitate rerum, & notiore ac apertiore philoſophia de Anima, & eius uiribus, quam continent, ut puto. Rogo autem Lectores, ut meam operam, ac ſtu dium erga ſe ac Rempublicam literariam boni conſulãt: & res ipſas potius, quàm alia quædam ſpectent.

QVID SIT ANIMA.

HAec quæſtio negotium fecit omnibus ſapientibus, & uariæ de natura & ſubſtantia animæ inter eos opiniones fuerunt. Multi enim crediderunt ignem ani= mam eſſe, non pauci aerem, plerique aquam, nonnulli ter ram. alij ex omnibus iſtis, alij ex paucioribus eam con= ſtare: Fuerunt etiam, quibus ſanguis uideretur. alijs non ſanguis, ſed ſemen uiſa eſt. Ex numeris quidam, & motu: & eorum alij, quatenus hæc ſunt coniuncta cum corpo= ribus: alij, quatenus non ſunt coporea, compoſuerunt ani mam. Omnes tamen iſti in hoc conſentiũt, quòd aut ele- menta eſſe animam dicunt, aut ex elementis: excepto A= naxagora, qui ſolus, ut ſcribit Ariſtoteles, intellectum, ſeu mentem dixit impaſſibilem, & nihil cum alijs com= mune habere. Solet enim de hac re diſputari, non tan= tùm, utrum intellectus & aliæ animæ potentiæ poſſint à corpore, ſed etiam, an ipſæ inter ſe illæ potentiæ poſ= ſint aliæ ſine alijs eſſe: & qua ratione cohæreant, qua nõ cohæreant. Porro diuerſitas tam multarum ſententiarũ inter Philoſophos, nata eſt ex duobus tanquã principijs. Omnes enim reſpexerunt, etiam ipſe Ariſtoteles, admo= tum &

tum & ſenſum quæ ſunt præcipuæ uires animæ, ſeu potentiæ. Græci δυνάμεις *appellant, aut* πάθη. *Et hoc eſt, quod Ariſtoteles dicit in primo libro his uerbis:* ἔμψυχον δὴ τοῦ ἀψύχου δυοῖν μάλιστα δοκεῖ διαφέρειν, κινήσει τε, καὶ τῷ αἰσθάνεσθαι, *Et aliquanto póſt,* ὅσοι μὲν οὖν ἐπὶ τὸ κινεῖσθαι τὸ ἔμψυχον ἀπέβλεψαν, οὗτοι τὸ κινητικώτατον ὑπέλαβον τὴν ψυχήν: ὅσοι δ' ἐπὶ τὸ γινώσκειν, καὶ αἰσθάνεσθαι τῶν ὄντων, οὗτοι δὴ λέγουσι τὴν ψυχὴν τὰς ἀρχάς. *Quia uerò hæc alij corporea crediderunt eſſe, alij incorporea, natum eſt tertium genus ſectarũ. Idq; oſtendunt hæc uerba Ariſtotelis,* ὁρίζονται δὲ πάντες τὴν ψυχὴν τρισί, ὡς εἰπεῖν, κινήσει, αἰσθήσει, τῷ ἀσωμάτῳ. *Fuit etiam alia quædam ſpecialis opinio Empedoclis, qui putauit animam eſſe armoniam, quæ eſt permiſtorũ ratio, aut compoſitio: ut Ariſtoteles definit. Lucretius uocat eam habitum quẽdam uitalem corporis. Poſtremò, ut aliquid etiam de Etymologia addam, uox Animæ eſt facta, ut Grammatici ſcribunt, à Græco uocabulo* ἄνεμος, *quod ſignificat ſpiritum: aut quia ſine ſpiratione uita, quam efficit anima, & eſt eius quædam origo, non poteſt exiſtere: aut pro illorum ſententia, qui animã ex aere ortum habere, uel aerem eſſe dicunt. Huic appellationi Græca uox* ζωὴ *cognata eſt, quæ uenit à uerbo* ζεῖν, *quod eſt feruere: & facta eſt ex illorum opinione, qui igneam naturam animæ tribuerũt. Vita, Latina dictio, ualde generalis eſt, & ad generationis naturã alludit, quæ eſt ex non ente ad ens mutatio, quaſi uiolentũ quiddam ſit: quod tamen non eſt. A ui enim etiam Lucilius deriuauit uitam.* ψυχὴ *uox à* ψῦχος, *quod frigus Græcis ſignificat, ducta eſt: ad illorum ſententiam, qui ex aqua animam eſſe opinati ſunt. Atque hæ uoces pro eo=*

dem ferè uſurpantur. Veteres differentiam habuerunt inter animum & animam. illum dixerunt eſſe, quo ſapiamus: hanc, qua uiuamus, ut eſt apud Marcellum. Verùm ad propoſitum redeamus. Eſt itaq; anima ſubſtantia, ſicut forma, uel actus primus corporis naturalis, inſtrumentalis, uitam habentis potentia. Ariſtoteles ſic animam definiuit in 2. libro. & hæc ſunt eius uerba: ἀναγκαῖον ἄρα τὴν ψυχὴν οὐσίαν εἶναι, ὡς εἶδος σώματος φυσικοῦ, δυνάμει ζωὴν ἔχοντος. *Et in eodem loco:* διὸ ψυχή ἐστι ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ, ζωὴν ἔχοντος δυνάμει· τοιοῦτον δὲ, ὃ ἂν ᾖ ὀργανικόν. *Non multò pòſt aliter ſic definitur:* ἡ ψυχὴ δὲ τοῦτο, ᾧ ζῶμεν, καὶ αἰσθανόμεθα, καὶ διανοούμεθα πρώτως. *Et additur ibi clarius, quod antea etiam erat dictum, eſſe animam rationem quandam, & ſpeciem, non ut materiam, aut quod ſubiacet, Græcè* ὑποκείμενον *dicitur. Obſerua quod ſequitur, triplicem ſubſtantiam eſſe, aut ſpeciem, ſeu formam, aut materiam, aut compoſitum ex utroque, ut ſunt omnia corpora naturalia, quæ conſtant ex materia & forma. His uiſis, percurramus nunc breuiter ſingulas partes definitionis, ut, ſi poteſt hoc à nobis præſtari, plana fiat, poßitque ab omnibus intelligi. Vox* ἐντελέχεια *ſignificat Græcis idem, quod Latinis habẽs perfectionem, ſeu ipſa perfectio, uel abſolutio, uel conſummatio: nec malè conuenit cum uoce* ἐνέργεια, *& utitur his ferè pro eodem, ac ſine diſcrimine Ariſtoteles in his diſputationibus. Propterea hæc dictio ſcribenda eſt per* τ, *non per* δ. *Sicut rectè ſcripta eſt in uſitatis Græcis codicibus, & eſt facta, quod Themiſtius etiam oſtendit, à* τέλος, *id eſt finis, &* ἔχω, *id eſt habeo. Significant eandem rem uocabula, forma & ſpecies. In*

ſcholis

ſcholis Latinis recentiorum philoſophorum, actum dixerunt, quod Ariſtoteles illis duabus uocibus deſignauit: non ſatis propriè, ut arbitror. Idem enim ueteribus Latinis actus ſignificauit, quod actio, uel factum, ut apparet ex Ouidij trāsformationibus, & Iuſtini hiſtoria. Fabius Quintilianus ab agēdo putat eſſe factam uocem ἐνέργειαν. *Quod non reprehendo, modò hic non motum, ſed perfectionem eius, adeóque primum actum, non ſecundum ſignificet. Quare Boetius melius reddidiſſet* ἐντελέχειαν *perfectionis uoce, aut habentis perfectionē, quemadmodum Hermolaus Perfectihabiam dixit, non incommodè compoſito & nouo nomine, ut eſt Ariſtotelis. Quanquam uidetur mihi reſpexiſſe ad alteram uocē, quæ idem hic ſignificat* ἐνέργειαν. *quæ tamen, etſi pro ſecundo actu in alijs locis apud Ariſtotelem uſurpetur, hic ſignificat perfectionem, ſeu actū primū. Primus autem actus eſt anima: quia forma eſt animalis uelut ocioſi, & nihil utentis uita, cùm uitæ uſurpatio ſecūdus quidam actus ſit. Atque hoc docet Ariſtoteles his uerbis:* αὕτη δὲ λέγεται διχῶς, ἡ μὲν ὡς ἐπιστήμη, ἡ δὲ ὡς τὸ θεωρεῖν. φανερὸν οὖν, ὅτι ὡς ἐπιστήμη. ἐν γὰρ τῷ ὑπάρχειν τὴν ψυχὴν ὕπνος, καὶ ἐγρήγορσίς ἐστιν, ἀνάλογον δ' ἡ μὲν ἐγρήγορσις τῷ θεωρεῖν: ὁ δ' ὕπνος τῷ ἔχειν, καὶ μὴ ἐνεργεῖν: προτέρα δὲ τῇ γενέσει, ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ἡ ἐπιστήμη. *Nam ſicut in anima ſunt uigilia & ſomnus, duæ quædam affectiones: ita ipſa anima eſt alijs habitus, alijs actio ſecundum habitum: uerè tamen, & propriè, ut uult Ariſtoteles, habitus, uel quod idem eſt, actus primus, hoc eſt fons, aut origo, aut principium, aut cauſſa omnium operationum. Additur in definitione Corporis phyſici: quia corpus animalis conſtat ex quatuor elementis, quæ ſunt corpo-*

corpora ſimplicia,quorum naturam & uim unà cũ eorum natura & ui quæ ſunt ex illis compoſita,inueſtigare & ſcire,naturalis philoſophi eſt:nec eſt aliud quod uel diſcere uel docere debeat talis philoſophus,quàm tũ corpora talia, tum differentias & affectiones talium corporum,additis corporibus cœleſtibus,quatenus mouentur loco.Quæ ſequuntur, Organici, uel inſtrumentalis, uitam habentis potentia:non idem ſignificant,ut Themiſtius putat.Et quanquam nec cadauer,nec ſemen eſt tale corpus,quod rectè Ariſtoteles tradit:non tamen ideo coniuncta cum ſecundo actu potentia:eſt tale corpus:& cum dicimus de canente,quod poſsit canere, impropriè loquimur.Sed eſt perfectum animal,& quidem primo actu,ſeu habitu,non ſecundo actu.Corpus autem eſt tantum materia animalis.& illud nec ſemen eſt,nec cadauer. hoc enim non recipit amplius animam,illud nondum habet inſtrumenta ad recipiendã illam:& materia non eſt ens abſolutum,ſed habens inclinationem, aut potentiam ad aliquod perfectum ens.Ac omnino ſicut anima eſt primus animati corporis actus:ita corpus,ex quo & anima conſtituitur animal,eſt prima potentia,non ſecunda. Sunt enim duæ quoque potentiæ. Altera priuationem ſignificat, & uocatur aliquando potentia remota:altera habitum,ſed ocioſum, & nondum efficacem,& hoc ratione magis quàm re ipſa.Vt ſi homo dicatur potentia philoſophus,non quòd ſciat philoſophiam,& poſsit ea uti,quando uelit,ſed quod poſsit eam diſcere:de prima potentia intelligendum eſt. Si uerò didicerit philoſophiam,nec tamẽ utatur ea,ſeu philoſophetur,ut cum dormit,uel aliud agit,aut alioqui nõ uult ea uti:ſecunda potentia eſt philoſophus,& propin-

quiore

quiore illa, quam dixi & habitum ocioſum, & nondum efficacem. Hæc uocabula tamen non ita accipi uelim, quaſi ἐντελέχεια *ſit actio, ſeu perennis quædam motio potius, quàm forma & perfectio. Verùm hæc poſtea clarius & prolixius explanabo, ubi diſputabo de Ciceronis expoſitione. Itaq; corpus organicum non eſt idem cum eo, quod uitam habet potentia. Sed organicum, eſt prima potentia: Vitam habens potentia, id eſt animatū, ſecunda. Ita enim ego Ariſtotelem intelligo, ut faciat differentiam inter animam & uitam: ſitque anima primus actus, ſecundus uita. Atque hoc eſt, quod contra Platonē dicit Ariſtoteles, animam non moueri, ſed principium & cauſſam eſſe motus: hoc eſt, potentiam, & uim quandam uitæ, non ipſam uitam: aut id quod efficit in corpore organico motum & ſenſum, non ipſum motū & ſenſum. Quòd autem, & quare ſit immobilis anima, in primo libro de Anima apud Ariſtotelem monſtratur ſatis euidenter. Multa ſunt etiam de hac re à Macrobio annotata in Somnium Scipionis, ubi defenditur Platonis ſententia contra Ariſtotelem, ſed frigidè, ut opinor. Teſtantur idem, quod nunc dixi, hæc etiam uerba Ariſtotelis:* ἔστι δὲ ἡ ψυχὴ τοῦ ζῶντος σώματος αἰτία καὶ ἀρχή. *Et addit, uariè cauſſam dici animam:* ὅμως δ' ἡ ψυχὴ κατὰ τοὺς διηρημένους τρόπους τρεῖς αἰτία. καὶ γὰρ ὅθεν ἡ κίνησις αὐτή, τὸ οὗ ἕνεκα, καὶ ὡς ἡ οὐσία τῶν ἐμ ψύχων σωμάτων ἡ ψυχὴ αἰτία. *Nihil itaque uult Ariſtoteles in hac definitione dicere aliud, quàm quòd anima ſit principium animati corporis, id eſt, cauſſa, cur phyſicum & organicum corpus ſit animal: uel ipſum eſſe animal, aut eſſentiam animalis. Quàm autem ſit appoſita definitio, & bene phyſica, tum ordo partium, tum natura earum probat.*

probat. A ſummo enim ad infimum deſcenditur, hoc eſt, proprium genus ponitur cum propria differentia. nec ſunt audiendi, qui dicunt hanc definitionem tantum eſſe quandam deſcriptionem, ſeu expoſitionē uocabuli. Non *enim poteſt aliter definiri, & non ideo non eſt uera definitio, quòd non ſubijcit oculis rem, quæ nullo ſenſu poteſt comprehendi, æquè ac aliarum eſſentiarum formæ.* P*ræterea prorſus idem ſignificat definitio, quod ſignificat id quod definitur, ita ut talis corporis forma præciſè ſit anima, & anima talis corporis forma.*

QVOMODO HAEC EXPOSITIO conueniat cum Ciceronis expoſitione.

N*On ignoro, quantus uir Cicero fuerit: quantíque ſit faciendus non tantùm ipſe Cicero, uerumetiam omnis qui uerè Ciceronē uel amat, uel admiratur. Nihil enim unquam habuit* Romanum I*mperium potentiſſimū & maximum, doctius & facundius, nihil ueritatis amantius. Quare principio huius diſputationis à nemine aliter exiſtimari uelim, quàm ita me eſſe affectū erga hunc uirum, ut omnino debet homo literatus, & magnorū ingeniorum amator, admiratórque affectus eſſe: nec quicquam me hic dicturum eſſe ſtudio detrahēdi aliquid uel ipſi, uel ulli alij minima etiā uirtute prædito. Odi enim, & ex animo odi calumniatores illos, qui ad hoc ſe natos putant, ut aliorum bene inuenta & dicta reprehendant & inſectentur: idq; faciāt aut odio ueritatis, quod & turpiſſimum eſt, & monſtroſiſſimum in hominis natura, cùm hoc animal ſit magna ex parte ad quærendam & diligendam ueritatem natum: aut gloriæ cupiditate,*

ut uid

ut uideantur plus alijs ſapere, neglecta prorſus, aut contempta ueritate: quæ cum ſit omnibus rebus præferēda, utpote qua nihil ſit præſtātius, nihil diuinius, nihil propius naturæ humanæ potiſsimam partem attingat, ab omnibus debet ſummo ſtudio, cura, uigilantia quæri, expeti & coli. Quod etiam uetus poeta haud dubiè uidit. Nam dicit alicubi Menander: ἀεὶ κράτιστόν ἐστι τἀληθῆ λέγειν ἐν παντὶ καιρῷ. *Quod cum ita ſit, nō tantùm iſti in magno errore ſunt, qui putant omnia ſibi abijciēda eſſe, quæ à ueteribus ſunt tradita: ſed ij quoque, qui non modeſtia & reuerentia quadam adhibita, liberè ac ſyncerè dicunt, ſi quid ueteres minus bene docuerūt. Eſt enim notum, quòd nonnulli ex recentioribus pleraque ueterū rectè ſcripta, & à multis ſeculis approbata, neſcio qua temeritate inducti, leuibus quibuſdam rationibus euertere, ac planè, ut dicitur in prouerbio, Cornicum oculos configere conantur, nec pati poſſunt æquo animo ſe moneri à quoquam poſtea. Illos uerò quàm maximè reprehendendos eſſe puto, & reuocandas diſciplinas ad ueterum bonorum ac elegantium authorum præſcripta, quantum fieri poteſt. Cur enim non potius ex Ariſtotele philoſophiam diſcam, quàm ex Cicerone? Cur nō potius ex Cicerone Latinam linguam, quàm ex Pontano, aut Valla? Non quòd hos non legendos putem, ſed quòd illos magis, & in eorum ueſtigijs manendum eſſe, quantum ueritatis & honeſti ratio patitur. Quod ſi de ueruſtioribus illis temporibus dici poteſt, quāto magis de his noſtris temporibus dici poteſt, in quibus uix per totam uitā aſſequi plerique poſſumus magno ſtudio, ut priſcos ſcriptores intelligamus. Atq; utinam in hoc omnes magis incumberemus, ut ueteres authores illuſtrarētur,*

& noti

& notifierent, quàm ut nos inclaſceremus. Quòd quanti referat, nũc etiam arbitror doctis & bonis uiris manifeſtum eſſe, futurúmque non multo pòſt manifeſtius. Quanquam libertas illa de rebus cogitandi & patefaciendi, ſi quos inuenimus, ueterum errores, nobis nõ adimi debet. Nam rectè Vlyſſes apud Homerum:
οὐ μὲν γὰρ πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα διδοῦσι.

Quocirca non puto ualde rogãdos eſſe honeſtos uiros, ut mihi ignoſcant, ſi quædam tum diſcendi, tum docendi cauſſa dixero contra Ciceronem, aut alios etiam, ſiue nixus aliquibus bonis rationibus, ſiue ſtudio retinẽdæ ueræ & genuinæ Ariſtotelis ſententiæ: præſertim cũ & ſubtilis atque obſcurus in hac diſputatione ſit Ariſtoteles: & ego uerè hoc poßim dicere, quæ ſcribo, adhuc illa mihi pro ueris, aut certè uериſimilioribus uideri, quàm ea quæ uel à Cicerone, uel ab eius defenſoribus ſunt de hac re ſcripta. Sed quid me excuſo tam anxiè, cùm ipſe quoque Cicero dicat, reprehendi adeò non ſibi moleſtum eſſe, ut ſit etiam gratum? Si omnino tamẽ aliqui non poterunt mihi ueniam dare, uel quia non ſatis modeſtus fuiſſe, uel etiam quòd non meritò ſententiam Ciceronis uidebor improbauiſſe, non graue mihi erit, cum multis alijs hanc inuidiam ſuſtinere. Si uerò & erratum à me fuerit, nec defendam errorem contentioſè, & hîc ſanè labor atque conatus mihi perierit. Sunt itaque hæc uerba Ciceronis de hac re, & extant in primo lib. Tuſcu. Quæſtion. Quintum genus adhibet uacans nomine, & ſic ipſum animum ἐντελέχειαν appellat nouo nomine, quaſi quandam continuatam motionem, & perennem. De Ariſtotele autem loquitur, & putat cũ ſenſiſſe, quòd anima ſit ex quinto elemento, quod Ariſtote

ſtote

ſtoteles alicubi appellat proportionale ſtellarum elemento. ac in tali corpore collocat principia omnium animarum (ſic enim ibi loquitur) ſed ita ut mentis principiũ ſeparari poßit, nõ poßit reliquarũ principium: mentémq; ſolam diuinam ponit expreßè, ac ſine dubitatione, ut in tota ferè hac diſputatione facit. Non tamen ideo ſentiendum eſt, Ariſto. putaſſe, quòd anima ſit immortalis, eo modo præſertim quo nos credimus, aut Platonici putant immortalem eſſe, cum de ui tantum & potẽtia loquatur, quæ non ſit actu in corpore mortuo, ſed euaneſcat in indiuiduo: maneátq; tãtum in ſpecie, ac in corporibus cœleſtibus, à quibus omnium inferiorum eſt motus principium. Et hoc uidetur eſſe, quod in tertio de Anima dicit de intellectu agente & patiente, quòd alter ſit immortalis, alter mortalis: & alibi, quòd ſpecies nec generetur, nec corrumpatur. Cicero, & pleriq; alij hunc locum, & illum 2. lib. de Gen. animal. intellexerunt de materia: decepti, opinor, Platonicis diſputationibus. Et hoc eſt quod ſcribitur in 1. de Diuin. his uerbis: Quorum amborum generum ratio eſt, qua Cratippus noſter uti ſolet, animos hominum ex parte extrinſecus eſſe tractos, & hauſtos. Ex quo intelligitur, eſſe extra diuinum animum, humanus unde ducatur: humani autem animi eam partem, quæ ſenſum, quæ motum, quæ appetitum habeat, non eſſe ab actione corporis ſeiugatam. quæ autem pars animi rationis atq; intelligentiæ ſit particeps, eam tum maximè uigere, cum plurimũ abſit à corpore. Hæc uidetur ex Ariſtotele ſumpta, qui dicit inter cætera illic, λείπεται δὲ τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι. Præterea definitio animæ apud Ariſtotelem eſt generalis, & pertinet quoq;

ad pecudum animas. Hæ autem ab omnibus iudicantur mortalitati eſſe obnoxiæ. Quare anima hominis etiam, quatenus ſentit, mouetur, afficitur, & intelligit ſecundum potentiam: corrumpitur, ſecundum hanc philoſophiam. Quod autem anima, prout eſt forma animati corporis, hoc eſt præcipua pars hominis, ſit immortalis ſecundum Ariſtotelem, declarant hæc eius uerba: ἔοικε δὲ καὶ τὰ τῆς ψυχῆς πάθη πάντα εἶναι μετὰ σώματος, θύμος, πραότης, φόβος, ἔλεος, θάρσος, ἔτι χαρὰ, καὶ τὸ φιλεῖν τε, καὶ μισεῖν. *Ne quis autem putet, hic* πάθος *non ſignificare idem quod* δύναμιν, *aut potentias tantum eſſe à corpore inſeparabiles, non etiam animam, cuius ſunt potentiæ: legendus eſt ille totus locus, ubi & ſenſus dicitur* πάθος, *& anima cõparatur recto, & huius accidentibus potentiæ: cuiuſmodi eſt, rectum tangere ſphæram in puncto. Sicut enim rectum, etiamſi habet ſuas affectiones & differentias, tamen,* ἀχώριστον *eſt, id eſt, non poteſt abſq; corpore exiſtere, cùm non ſit ſubſtantia, ita etiã anima eſt tantum in corpore organico phyſico, uitã habẽte potẽtia, quanquam habet ſua quædam* πάθη, & δυνάμεις, *nec poteſt niſi in animali eſſe: atq; corrupto animali, & ipſa corrũpitur, ſicut aliæ formæ. Oſtẽditur etiã ibi, quare affectiones, ſeu potentiæ ſint tantũ in corpore, aut materia, ac tandem his claris uerbis concludendo idẽ affirmatur:* δῆλον, ὅτι καὶ τὰ πάθη λόγοι ἔνυλοι εἰσιν. *Idem eleganter his uerſibus Lucretius docuit:*

Denique in æthere non arbor, non æquore in alto
Nubes eſſe queunt, nec piſces uiuere in aruis.
Nec cruor in lignis, nec ſaxis ſuccus ineſſe,
Certum ac diſpoſitum eſt, ubi quicquam creſcat & inſit.

Sic

Sic animi natura nequit ſine corpore oriri
Sola, neque à neruis & ſanguine longius eſſe.

Et paulo poſt:

Quippe etenim mortale æterno iungere, & unà
Conſentire putare, & fungi mutua poſſe,
Deſipere eſt. quid enim diuerſius eſſe putandum eſt?

Hæc eſt, ut ego exiſtimo, uera & certa philoſophi ſententia: cum qua non conuenire per omnia Ciceronis uerba, nemini uidere difficile eſt. Cum autem ad definitionem hic uelut aditus tantum ſit, in qua multo plus eſt & ſubtilitatis & obſcuritatis, quàm in ſuperioribus, non adeò diſsimile eſt uero, eum etiam in definitione lapſum eſſe. Et hæc quidem hactenus. nunc ad ipſam definitionem ueniamus, in qua tantum hoc erit probandum, & ἐντελέχεια rectius in Ariſtotele ſcribi, quàm ἐνδελέχεια: nec eſſe animam continuatam motionem, imò ne motionem quidem eſſe. Et primùm quidem, quæ illa eſt pertinacia, perpetuò pugnare pro dictione ἐνδελέχεια, cum ἐντελέχεια in Ciceronis etiam codicibus, & quidem caſtigatiſsimis inueniatur ſcriptum: & tam illa, quàm hæc ſit noua dictio, ac uſurpant utramque Græci recentiores authores? Heſychius exponit hanc dictionem uoce ἐνεργείας. ſicut etiam in Ariſtotele altera pro altera ponitur. Suidas etiam eſt in hac ſententia, & hæc ſunt eius uerba: ἐντελέχεια ἡ τελειότης, καὶ τὸ εἶδος τοῦ ὑποκειμένου τουτέστι τὸ εἶδος τὸ ἐπιγινόμενον ἐκ τῆς τοιᾶσδε συνθέσεως, τῶν στοιχείων τῇ ὕλῃ. Et addit, compoſitam eſſe dictionem ab ἐν, & τέλος, & συνέχον. Sed quid in colligendis authoribus laboro, cum uix ulli Græci aliter de hoc loco Ariſtotelis, & de ipſa dictione iudicauerint? Et tamen homines pauci, & latini, aut uix etiam latini (intelligunt

t 2

candidi, quid uelim) tanquam pro aris & focis, pro ſua opinione dimicant in peregrino autore. Deinde *hoc quoque conſtat, Ariſtotelem in talibus diſputationibus nõ facere diſcrimen inter uocabula* ἐνέργεια, ἐντελέχεια, μόρφη, εἶδος, λόγος*: & uocabulum* ἐντελεχείας *melius conuenire cum reliquis tribus, quàm* ἐνδελεχείας. *Præterea motus definitio Ciceroni uel maximè refragatur. Eſt enim motus actus entis potentia, hoc eſt actus imperfectus, ut ipſe Ariſtoteles exponit. Anima autem eſt actus perfectus, aut ipſa potius perfectio rei. Non eſt hæc contrarietas? Sed fingunt mihi modum ſubſtatialem. Hic uerò eſt Chimera quædam, & Ariſtoteli ignotus: niſi alterum ſignificent progreſsionem ad ſubſtantiam, aut operationem, quæ oritur ex ſubſtantia: alterum progreſsionem ad accidens, uel operationem, quæ inde naſcitur. quod tamen non faciunt, & facerent improprié, ſi facerent. Oſtendimus etiam ſuprà, quòd Ariſtoteles immobilem faciat animam, contra Platonem, cuius ſententiam uerè pro Ariſtotelis ſententia in hac parte amplexus eſt Cicero: & tamen Ariſtoteli eam tribuit, cum toto cœlo diſtent inter ſe illorum philoſophorum ſententiæ: quod ad motum præſertim attinet. Nec puto aliquem dubitare de eo quod dixi, Ariſtotelem ſentire, quòd anima non moueatur: cum hoc uel ex Macrobio appareat. Ac ſunt ſanè de iſta re hæc uerba Ariſtotelis:* ὥστε οὐ τὸ κινοῦν, καὶ τὸ κινούμενον, ἡ ψυχή, ἀλλὰ τὸ κινοῦν μόνον. *Sic enim concludit illam diſputationem contra Platonem. Sunt etiam aliæ duæ probatiunculæ rhetoricæ magis & probabiles quàm philoſophicæ & firmæ, quibus nituntur quidam Ariſtotelem in ſuam ſententiam pertrahere, ac defendere Ciceronem. Altera*

eſt

eſt admodum imbecillis. Dicũt enim, rationem, aut uſum quendam ſermonis hoc requirere propemodũ, ut legatur in Ariſt. ἐνδελέχεια, quòd hæc uox uſitata ſit: ἐντελέχεια nouum eſſe uocabulum, & inuſitatũ. Nos autem ſuprà indicauimus, quòd ambæ dictiones ſint pariter nouæ. Et quidem contra ſe hic ipſum Ciceronem habent, qui dicit, nouo nomine animum ἐνδελέχειαν Ariſtotelem appellare. quia ipſi contendunt ibi, ſic ſcribi debere hanc dictionem per δ, non per τ. Altera probatio eſt paulo ſpecioſior, non minus tamen infirma, ut opinor. Nam cum dicunt, Ariſtotelem uoluiſſe formam animalium ſeparare ab aliarum rerum formis hoc uocabulo, ac propterea nuſquam reperiri, hanc appellationem reliquarum rerum formis tribui ab hoc authore, falſum eſt. Nuſquam enim hoc dicit ille philoſophus, quòd uelit diſcernere ſic inter ſe formas animatorum, & inanimatorum corporum. & ſunt loca in Ariſtotele, ubi generaliter hæc uox uſurpatur pro quibuslibet formis, ut in principio ſecundi libri: λέγομεν δὴ γένος τι τῶν ὄντων τὴν οὐσίαν, ταύτης δὲ τὸ μὲν ὡς ὕλην, ὃ καθ' αὑτὸ μὲν οὐκ ἔστι τόδε τι. ἕτερον δὲ μορφὴν, καὶ εἶδος, καθ' ἣν λέγεται τόδε τι. καὶ τρίτον τὸ ἐκ τούτων. ἔστι δὲ ἡ μὲν ὕλη δύναμις, τὸ δὲ εἶδος ἐντελέχεια. Et aliquãto poſt τὸ γὰρ ἓν, καὶ τὸ εἶναι, ἐπεὶ πλεοναχῶς λέγεται τὸ, κυρίως ἡ ἐντελέχειά ἐστι. Item in eodem libro, ἔτι δὲ τοῦ δυνάμει ὄντος λόγος ἡ ἐντελέχεια. Sed ne ſint hi loci alicubi ſuſpecti, quòd ſunt ex hac diſputatione de anima deſumpti (quanquam eruditi & modeſti non poſſunt ea in dubium uocare) ſic dicit in ſecundo libro περὶ ἀρχῶν ἕκαστον γὰρ τότε λέγεται, ὅταν ἐντελεχείᾳ ᾖ μᾶλλον, ἢ ὅταν δυνάμει. In tertio libro eiuſdem operis, non tantum

generaliter utitur hac uoce Ariſtoteles, ſed applicat eam etiam ad omnia prædicamenta. Sic enim ait: ἔστι δή τι τὸ μὲν ἐντελεχείᾳ μόνον, τὸ δὲ δυνάμει. καὶ ἐντελεχείᾳ τὸ μὲν τόδε τι, τὸ δὲ τοσόν τι, τὸ δὲ τοιόνδε. καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν τοῦ ὄντος κατηγοριῶν ὁμοίως. Cui non ſatis dilucidè uidentur hæc uerba Ariſtotelis, loqui generaliter de uoce ἐντελέχεια? Plenum eſt opus primæ philoſophiæ locis, in quibus hoc uocabulum ſic uſurpatur: ut interim de alijs taceam. Neceſſe eſt magno morbo animi laborare, qui contrà audebit dicere. Non enim puto quenquam fore tam iniquum & impudentem, ut diſtinguat hæc, & dicat, alibi legendum eſſe ἐνδελέχεια, alibi ἐντελέχεια. Quanquam mihi non tam eſt diſputatio de uoce, quàm de ipſa re: & hac conceſſa, non uellem eſſe ualde in uocabulo difficilis: ita tamen, ut quemadmodum de uoce ἐνέργεια poteſt dici, per ſimilitudinem ferè quandam ἐντελέχεια uocetur forma. Hæc ferè habui, quæ tractarem de hac quæſtione. idq́ue puto me feciſſe neque acerbè, neque immodeſtè, ſine conuicijs, & citra ullius iniuriam, aut contumeliam.

Cùm hæc perſcripſiſſem, & dictauiſſem auditoribus, ut eſt mos in hac ſchola, putabam ita me ueram & genuinam Ariſtotelis ſententiam pateſeciſſe, ac ita cùm noſtram expoſitionem confirmaſſe, tum infirmaſſe contrariam, ut nemo uel iniquus in poſterum eſſet mihi facturus negocium: præſertim cum pleriſque ingenioſis, & candidis, & legentibus atque conſiderantibus attentius Ariſtotelem (id quod eſt omnino faciendum, ſi quis uolet eum legere cum aliquo fructu: & longe aliud eſt philoſophia Ciceronis, aut ſimilium, quàm huius authoris) uiderem, & certò ſcirem, hanc meam operam & ſenten

ſententiam probari.ſed apud eos qui diuerſum iudicant, adeò nihil effeci, ut nihil de ſua ſententia conceſſuri eſſe uideantur, idq́ue non obſcurè præ ſe ferant. Quod mihi non tam diſplicet, quàm uidetur mirum: cum tantum abſit, ut meam ſententiam confutauerint, ut etiam alicubi ſecum pugnent ipſi, aut certè malè ſibi conſtent. Sed aurum, & opes, & rura, frequens donabit amicus: Qui uelit ingenio cedere, rarus erit, inquit Martialis. Nec *ſanè laudandi ſunt, qui à ſemel imbibita ſententia facilè, & ſine tanquam ui quadam rationum & argumentorum patiuntur ſe abduci, & in eo uelut de poſſeßione ſua mentem deturbari. Contra propoſitum animi tamen, & certam eius inductionem contendere de opinione aliqua, neminem debere iudico, præſertim Chriſtianum: quibus mentiri, & falſum dicere, ſeuerè prohibitum eſt.* Ex *horum numero & nos ſumus,* Deo *gratia. Quocirca, ſicut me ſcio, quantumuis bene perceptarum opinionum ſim tenax, nihil docere, niſi quod mihi uidetur aut uerißimum, aut ueritati ſimilimum: ita ſpero illos facere, quibus cum eſt mihi controuerſia, certè neutros decet aliter facere. Ac facilimum eſt labi, errare, ac decipi in rebus tam ſubtilibus, & ex intima philoſophia depromptis: maximè ſi quis uel non expendat omnia diligentißimè, uel ſit alijs ſtudijs & curis magis occupatus. Cum itaque nondum ſatis mea de uocabulo* ἐντελεχείας, *& Ciceronis interpretatione ſententia firmata uideatur, age repetamus rem paulò altius: & conemur omnes huc pertrahere, ut ſentiant, quod eſt haud dubiè conſentaneum rationi, & Ariſtotelis diſputationi.* Res *eſt leuicula propemodum, ſi utilitatem ſpectes:*

& nulla hic uel publica, uel priuata res, nulla religio periclitatur. Conſtantiæ tamen, & probitatis eſt, cum in hoc docendi curriculo uerſer, defendere, quod ſemel honeſtè, & cum laude, ut puto, ſentire & docere alios incœpi. Ac initiò quidem non admodum hoc iacto, etſi pulchrè poſſem, quod præter plurimos uetuſtiores, horum temporum in omni reconditiore doctrina exercitatiſsimi uiri, Guilielmus Budæus, & Ioannes Viues, alter ex profeſſo & edito hac de re ſcripto, alter obſcurius tantum (quod mihi adhuc notum ſit) ἐντελέχειαν ſcribendum eſſe iudicant: ut omittam hic Hermolaum, paulò antè lumen Italiæ: nec faciam ſtudiorum collationem, quod æquè poſſem, ac ita, ut uel hoc uno argumento non obſtinatus lector perſuaſus, ad nos tranſiret. Deinde iterum uelim, atque iterum conſiderari definitionem animæ, præſertim quod ibi dicitur, Actus primus anima: & ſequitur, Vitam habentis potentia. quæ uerba non, ut uoluit Themiſtius, ocioſè, aut per tantologiam (quid enim aliud eſſet in breui deſcriptione, qualis eſt definitio, maximè in re tanta, & tam ſeria?) ponuntur, ſed uim quandam peculiarem habent: ac plus omnino ſignificant, quàm præcedentia proximè, phyſici organici. Nam actus, id eſt, forma corporis phyſici organici alius eſt, quàm nunc animati: ſicut alia forma cadaueris eſt, quàm uiui corporis: & alia ſeminis, alia plantæ, uel animantis: item ligni eſt alia, quàm lecti, aut menſæ, alia uaporis, alia pluuiæ. Sed corpus nunc formatum à natura, ut recipiat animam nondum tamen habens eam, eſt animantis materia ſine forma. Vbi autem acceſſerit anima, perfectum eſt animans,

etiamſi

*etiamſi non habeat uitam:id eſt,actiones & operatio=
nes,quæ oriuntur ex anima,tanquam ex fonte & prin=
cipio,adeóque illa cõtinuata & perennis motio, de qua
Cicero meminit,hoc eſt,actus ſecũdus.Cur obſecro Ari
ſtoteles poſuiſſet in definitione,actus primus,& animã
dixiſſet immobilem eſſe:niſi uoluiſſet hanc agitationem
& ſeu uitam,ſeu ἐνέργειαν, & uelut uſum quendam aut
ſecundum actum ab illo priore ſecernere?Quòd autem
uoluerit animam eſſe immobilem,ſatis uel ex Macrobio
conſtat.Quanquam is hoc ſumpſit ex Ariſtotelis primo
libro de Anima,ubi prolixè diſputatur contrà Plato=
nem,ſicut Macrobius ex Platonicorum ſcriptis acriter
impugnat Ariſtotelem:ac ut ſibi quidem uidetur,euer=
tit eius ſententiam.Quanquã mihi contrà uidetur longè
errare:nec eſſet difficile mihi,ſi opus eſſet,hoc oſtẽdere.
Profectò ſolùm hoc argumentum,ſi nullum aliud eſſet,
cogeret me ſentire, quòd Ariſtotelis huic diſputationi
uox ἐντελέχεια magis conueniat, quàm ἐνδελέχεια:imò
illam conuenire,hanc non conuenire. atque Ciceronem
aut lapſum eſſe memoria, quod hominibus facilè acci=
dit(nõ enim Deus fuit)& Ariſtoteli tribuiſſe,quod fue=
rit tribuẽdum Platoni,& Platoni,quod Ariſtoteli:aut
aliud habuiſſe opus Ariſtotelis,quàm noſtrũ eſt, ex quo
illa ſumpſerit,ut quidam ſuſpicantur. Quanquam in re
tanta non puto hunc uirum fuiſſe tam uarium & incon=
ſtantem,ut ſibi eſſet planè contrarius. In ſecundo libro
quidem de Gen.ani.dicit,animæ potentias habere natu=
ram quandam diuinioris corporis,quàm ſint elementa,
hoc eſt ſtellarum,aut potius in corporibus elemẽto ſtel=
larum proportionalibus exiſtere.Ad quem locum pro=
pemodum opinor Ciceronem reſpexiſſe. Verùm nihil*

hoc ei patrocinatur in hoc errore, & non utitur ibi philoſophus Entelechiæ *uocabulo.* Nec *propterea flagellamus* Ciceronem:*aut ſi hoc eſt flagellare, quando aliquid uerè, aut iuſtis de cauſis reprehendimus, quare non etiã hanc notam impingunt ijs, qui multos locos ex Cicerone collegerunt, in quibus illum erraſſe declarant & probant?* Aut *quare ſibi tantopere indulgent, ut iam* Platonem, *iam* Ariſtotelem, *iam ipſum quoque* Ciceronem, *ut alios multos non recitem: & ſæpe quidem, aliquãdo manifeſtè, aliquando latenter inſectentur, obiurgẽt, reprehendant: & nihil minus tamen uideri uelint, quàm eos flagellare?* Multo *rectius ita facimus, quàm, ſi aut aliquid contra iudicium animi noſtri, aut quod non bene meditatum & expenſum à nobis eſſet, ideóque incertũ, aſſereremus: quæcũque nos cauſſa, ut ita faceremus, impelleret.* Ciceronẽ *tanti facio, quãti quiſquam alius, etiã eorum qui uideri uolũt eum facere maximi.* Verùm *hæc omitto: & his ita explicatis, uenio nunc ad illorum argumenta, quæ paucis, ut inſtitui, confutabo liberè, & ſine maleuolentia.* Et *ut hinc ordiar, conſideret candidus lector, quomodo intelligendum ſit, quod dicitur.* Quo *uiuens ſit tale, eſſe agitationem continuam, ſeu uitam.* Si *enim uerba (tale eſſe) formam hic, & potiſsimam eſſentiæ partem ſignificant, eáque potentia principium & cauſſa uitæ eſt, & agitationis, quomodo poſsit eſſe uita & agitatio, non uideo: cum ſit contra totam philoſophiã, idem eſſe cauſam & effectum, potentiam, & actũ, principium, & ortum ex principio reſpectu eiuſdem.* Sin *de uita & operationibus, & potentijs in actu conſtitutis, non poterit anima eſſe immobilis, quòd manifeſtè* Ariſtoteles *defendit.* Sicut *enim in mundo hic philoſophus*

docet primum,mouẽs eſſe quoddam immobile:ita in hominis eſſentia,qui eſt,ut ipſe quoque uocat,uelut μικρόκοσμος,hoc eſt paruus mundus, primus actus, ſeu ἐντελέχεια eſt immobilis,cum ſit motus principiũ, & principium in motu ſit immobile,quod alioqui eſſet principio prius,& fieret in immenſum progreßio, quæ nulla doctrina comprehenditur.Quapropter uita & anima ſunt res diuerſæ,altera eſt principium,altera quod oritur ex principio:altera primus actus, altera ſecundus. Quod autem ita ſit,ambæ definitiones apud Ariſtotelẽ oſtendunt.Eſt enim anima primus actus corporis phyſici organici.Et quo ſentimus,mouemur, & intelligimus primò.Hoc autem nihil aliud eſt, quàm dicere animam eſſe non uitam,nõ agitationem,aut motũ,ſed principium agitationis & motus,quod eſt immobile.Demõſtrat idem apertè inter alia his etiam uerbis Ariſtoteles in primo de Anima:τὸ γὰρ αἴτιον τοῦ εἶναι πᾶσιν ἡ οὐσία, τὸ δὲ ζῆν τοῖς ζῶσι τὸ εἶναι ἐστι, αἰτία δὲ καὶ ἀρχὴ τούτων ἡ ψυχή.Id eſt:Cauſſa enim omnibus,ut ſint, eſt eſſentia:uiuentibus autem,uiuere eſt eſſe:ſed horum cauſſa & principium eſt anima.Quid his uerbis eſt manifeſtius? quid ſimplicius?Sed ita,inquit aliquis,anima nõ eſt perfecta forma animantis,cum animãs eſſe corpus ſit phyſicum,organicum,uita præditum, & quod aßiduè moueatur & agitetur.Sed audis contra Ariſtotelem, qui dicit,animam eſſe actum primum corporis phyſici organici,uitam habentis potentia, non iam uiuens. Quid autem hoc doctrinæ? Dicam tibi, & intelliges,ſi non oſcitanter auſcultabis.Quanquam idem antea quoq; eſt tractatum,planius tamen id nunc aliquanto fortaſſe faciam. Vult Ariſtoteles,non tantùm eius quod eſt actu

ἐντε

ἐντελέχειαν eſſe, uerùm etiã eius quod eſt potentia. Propterea dixit etiam in definitione, Vitam habentis potẽtia. quod clarè, ut poteſt, ac requirebant illa tempora, uel potius materia, docet in principio ſecundi libri de Anima. Quid enim aliud ſibi uolunt hæc eius uerba? ὅτι μὲν οὖν ἐντελέχεια τίς ἐστι, καὶ λόγος τοῦ δύναμιν ἔχοντος τοιουδὶ εἶναι, φανερὸν ἐκ τούτων quæ ſunt eius loci concluſio. Quid aliud ſibi uult exemplum præcedẽs in ipſa diſputatione, ubi dicit: ἐπεὶ δὲ ᾧ ζῶμεν, καὶ αἰσθανόμεθα, διχῶς λέγεται, καθάπερ δὲ πιστάμεθα. τούτων δὲ λέγομεν τὸ μὲν ἐπιστήμην, τὸ δὲ ψυχήν. ἑκατέρῳ γὰρ τούτων φαμὲν ἐπίστασθαι. ὁμοίως δὲ καὶ ᾧ ὑγιαίνομεν, τὸ μὲν ὑγιείᾳ, τὸ δὲ μορίῳ τινὶ τοῦ σώματος, ἢ καὶ ὅλῳ. τούτων δ' ἡ μὲν ἐπιστήμη, καὶ ὑγίεια μορφή, καὶ εἶδός τι, καὶ λόγος, καὶ οἷον ἐνέργεια τῶν δεκτικῶν, ἡ μὲν ἐπιστημονικοῦ, ἡ δὲ τοῦ ὑγιαστικοῦ. δοκεῖ γὰρ ἐν τῷ πάσχοντι, καὶ διατιθεμένῳ ἡ τῶν ποιητικῶν εἶναι ἐνέργεια. ἡ ψυχὴ δὲ τοῦτο, ᾧ ζῶμεν,, καὶ αἰσθανόμεθα, καὶ διανοούμεθα πρώτως. Hæc uerba ſunt plana, & expreßè docent, quod dixi, modò attentè legantur. Quod certè faciendum eſt ferè in omnibus talibus diſputationibus apud hunc authorem. His ita conſtitutis, omnia corruunt ſua ſponte, quæ ab altera parte adferuntur. Quanquam aliquando tantum non concedunt in hanc ſententiam. Quid enim aliud eſt dicere, quòd Ariſtoteles cauſſam & fontem huius agitationis ipſam animantis formam eſſe ſenſerit, aut omnino principium & cauſſam huius motionis quærere: idq́; ſtatuere, rem eſſe talem: quàm ſeparare agitationẽ à ſuo principio, cauſſa, & forma? Iam autem cum anima ſit illa forma, etiam ipſorum teſtimonio, quis non uidet, aut ſecum illos pugnare, & confundere cauſſam cum effectu: aut re ipſa nobiſcum facere, uerbis tantùm à nobis diſcrepare? Sed

uerè

uerè confundunt agitationẽ cum origine ſua, quam Ariſtoteles dicit immobilem eſſe, & ἐντελέχειαν πρώτην. ſtatim enim relabuntur ad ſuam ſententiam. & acriter contendunt, animam eſſe illam agitationem, qua bos, & aliæ animantes ſint tales, non principium agitationis. Laudant interim Ariſtotelem, & eius ſapientiam, quòd ita res diſtinxerit in materias & formas, cùm potius totis uiribus eum oppugnent. Apud me certè nullum eſt dubium, quin procul abſint ab illius ſentẽtia. Nec eſt uerum, quod addunt, ab Ariſtotele generaliter in alijs rebus perfectionem, ſeu exædificationem formam eſſe appellatam, in uiuẽtibus uerò ſpecialiter ἐντελέχειαν: quaſi uerò anima ſit agitatio, & non principium agitationis, ac non ſit in alijs etiam eſſentijs motus quidam præter hoc quod ſunt: & quanquam hic ab illo naſcatur, non tamen idem ſint ambo, ſed longiſsimè inter ſe diſtent, ratione & natura. Proferant mihi unum locũ, in quo Ariſtoteles apertè faciat hoc diſcrimen, aut potius ubi non uocabulum ἐντελέχειας pro qualibet forma & actu uſurpet: & cedam. Sed nõ facient: facturi hoc prius haud dubiè, ſi potuiſſent. Ego uerò contrà & protuli ſuprà multos, & plures poſſem proferre, ſi res non eſſet clariſsima. Quid enim aliud ſibi uult ſtatim initio ſecundi libri de Anima, cum dicit: Dicimus itaque unumquódque genus eorum, quæ ſunt, ſubſtantiam: huius uerò aliud, ut materiam, quod quidem per ſe non eſt hoc aliquid: aliud formam, & ſpeciem, qua iam dicitur hoc aliquid: & tertiũ, quod ex iſtis conſtat. Eſt autem materia quidem potentia, forma uerò entelechia, id eſt, ut commodè Vatablus uertit, actus atque perfectio. Quis audet hæc uerba oppugnare, ac aliter exponere, quàm generaliter de omni

ente, &

ente, & quidē in huius ipſius tractationis de anima ueſtibulo? Ego profectò nō poſſem hoc facere cum aliqua fronte, aut temeritate. Neſcio quid alij ſint facturi. Fortaſſe quiduis ex quouis poterunt educere, ita ut Anaxagoras conatus eſt. Prætereà, ſi anima eſt agitatio, qua uiuens eſt tale: non iam potentia uitæ eſt anima, ſed ipſa uita. Quare igitur philoſophus, animæ partes uocat δυνάμεις? quare θρεπτικὸν, & non τροφήν? quare αἰσθητικὸν, & non αἴσθησιν: διανοητικὸν, & non διάνοιαν, aut νόησιν? Sic de reliquis. Et hoc, ſi uiuens, accipiatur pro animato, ſicut illi accipiunt: quod tamen fit impropriè, atque confunditur ita primus actus cum ſecundo. Nam alioqui facilè, ſi loquantur propriè, poſſum concedere, agitationem eßе, qua uiuens ſit tale, hoc eſt uiuens. Iam uiuens & animatum ſunt diuerſa: alterū cauſſa, alterum effectus: alterum potentia, alterum actus, eo modo ut eſt antea diſputatum. Huc etiam faciunt hæc uerba Ariſtotelis, quibus ipſi tamen utuntur ad confirmandū ſuum errorem: Sicut oculus conſtat ex corpore oculi, & uiſu, ita animal conſtat ex corpore & anima. Eſt enim uiſus potentia quædam uiſionis, non ipſa uiſio: nihilominus tamen actus quidā oculi, ſeu eſſentia, ſeu perfectio, ſeu forma eius. Facit enim ibi differentiam Ariſtoteles, inter uiſum & uiſionem, ſicut poſtea inter ſcientiam & ſcire ipſum, ut eſt prius annotatum. Sed aſcribamus etiā hunc locum integrum. ὡς μὲν οὖν ἡ τμῆσις, καὶ ἡ ὅρασις, οὕτω καὶ ἡ ἐγρήγορσις ἐντελέχεια. ὡς δ' ἡ ὄψις, καὶ ἡ δύναμις τοῦ ὀργάνου, ἡ ψυχή. τὸ δὲ σῶμα τὸ δυνάμει ὄν. ἀλλ' ὥσπερ ὁ ὀφθαλμὸς ἡ κόρη, καὶ ἡ ὄψις, κἀκεῖ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα τὸ ζῶον. Sic eſt locus citandus, non mutilatus, ac integer ſanè patrocinatur nobis, non illis: quod facilè intelligēt,

adſue

adſuefacti nonnihil ad has diſputationes, atq; ad lectionem Ariſtotelicam. Significat enim duplicem actũ eſſe: primum, qui etiam potentia dicitur: & ſecũdum, qui eſt effectus primi. Secundi ponit exempla, ſectionem, uiſionem, & uigilias. primi, uiſum, aut potentiam inſtrumẽti, hoc eſt oculi, & animan. Et quemadmodum ſe habet ſectio, aut uiſio ad uigilias: ita habet ſe anima ad uiſum, & oculi potentiam, quæ idem ſunt. Nunc uigiliæ ſunt uelut totius corporis actus ille poſterior, cum uiſio ſit partis actus. Ergo ſicut uiſus, ſeu oculi potentia partis eſt actus prior, & principiũ uitæ: ita anima totius corporis, quod ex uarijs inſtrumẽtis cõſtat, eſt prior actus. Quid poteſt dici expreßius, quid ſimplicius, quid etiam uerius? Nec propterea uiſus debet eſſe corpuſculum, ut fruſtra metuunt. Non etiam ideo fingimus, aut uolumus, animam ita mouere corpus, ut nauta mouet nauẽ. Quanquam ab hac ſententia non ualde abhorret Ariſtoteles, cum dicit, ἔτι δ' ἄδηλον, ἢ οὕτως ἐντελέχεια τοῦ σώματος ἡ ψυχὴ ὥσπερ πλωτὴρ πλοίου. Ego quidẽ non uerto ἐντελέχειαν actum intus perficientem, nec ſum iſtarum rerũ tam rudis ut hoc faciam. Quanquam ſi retineretur ſententia, condonari poſſet error uocabuli. Si uerò conceditur, ut ego ſanè cenſeo faciendum eſſe, hanc uocem ab ἐντελὲς & ἔχω deriuatam eſſe, non uideo, quomodo continuitas, & aßiduitas in motu poßit admodum hic quadrare, cum de actu primo hoc dicere non ſit uſitatũ: & non ſit hæc motio perennis & cõtinua, ſed non rarò interrũpatur quiete: & quidẽ, quod ad præcipuas animæ partes attinet. Statuamus itaque ſic in hoc loco dictam eſſe formam, quòd ſit perfectior quædam eſſentiarum pars, quàm materia. & hoc eſt ingenuũ, ſimplex & cõ-

ſent

ſentiens cum reliqua philoſophia Peripatetica. Nec ad *aliquam uocabuli agitationis expoſitionem confugient, cum addatur, perennis & continua: & non ſit obſcurũ, ad quid pertineat perennitas aut continuitas*. Porrò *quòd ſit uox noua*, Cicero clarè *dicit: nec puto fuiſſe hoc dicturum* Ciceronem, *ſi putaſſet nouam eſſe tantùm translatione, nõ reuera nouam, & in hac lingua prorſus inauditam antea, & inuſitatam: cum de re tanta ſcriberet, ac pertinente ad tantum philoſophum, quem ipſe quoque maximi ſemper fecit. ne dicam, non inueniri eã apud illos Græcos authores, qui fuerunt ante* Ariſtotelem: *quod mihi quidem conſtet*. Aut *proferat exemplum, qui contendit uocem eſſe ueterem, aut illo tempore in uſu fuiſſe*. Dicunt *etiam, quòd hanc uocem* Ariſtoteles *quæſiuerit, ac ſumpſerit, cum uellet motum ſignificare ad exprimendam agitationem, qua forma adquiritur*. Hoc *uerò eſt lõgius aberrare*. Cicero *dicit, inuentum eſſe uocabulum ab* Ariſtotele, *ut ſignificaret animam ex quinta natura, ſeu genere principiorũ eſſe: id eſt, ex cœleſtium corporum natura, cui deſit nomen. & hi dicunt, quòd ad ſignificandum motum, uel agitationem illam, de qua docetur in tertio* Phyſicorum, *ſit quæſitũ, & uſurpatum?* Aut *quomodo conſentiunt, quòd dicunt, primò ad ſignificandam præſtantiam formarum, quæ ſunt in uiuentium corporibus introductum eſſe uocabulum, nunc uerò generaliter ad ſignificandum motum?* Sed *nihil aliud, aiunt, ſignificat uox in tertio* Phyſicorum, *niſi continuam agitationem*. Audio. Verùm *non potuit* Ariſtoteles *aliter commodè motum definire, quanquam ſubabſurdum erat: ſicut ipſe in eo loco uidetur conqueri*. Commiſcentur *enim ibi entis uox, & quietis:*

quietis: hoc eſt, abſoluti operis naturæ, & agitationis, quæ eſt ipſa operis effectio: & tamen ἐντελέχεια non tam ibi ſignificat agitationem, ſeu operis inchoationem & effectionem, quàm opus ipſum, hoc eſt, ens non perfectum quidem, ſed quod nunc ſit. Vult hoc dicere proculdubio Ariſtoteles, cum definit motum, quòd ſit eſſentiæ quædam eius quod eſt potentia, non eius agitatio, ſeu mutatio. Nam alioqui motus eſſet agitationis agitatio, quod eſt abſurdum. Et hoc eſt, quod in altera definitione motus dicit, quòd ſit actus imperfectus: hoc eſt, eius quod non eſt actu, ſed potentia, actus, id eſt, eſſentia quædam. Eſt quidem motus agitatio quædam, ſed hæc agitatio non eſt propriè ἐντελέχεια, ſeu ἐνέργεια, id eſt, eſſe aliquod: ſed cum ſit eius, quod non eſt, niſi potentia, id eſt, mobilis, imperfectum eſt eius eſſe. Multo minus ἐντελέχεια eſt hic motus, aut agitatio: quod illi uolunt, ſed ineptiſſimè, ac afficiunt Ariſtotelem, tantum uirum, non leui iniuria, quòd hunc ſenſum eius diſputationi affingunt: ac interim flagellant eum grauius & iniuſtius, quàm nos Ciceronem: qui tamen haud dubiè non cupit hoc modo ſe defendi: ac ſi uiueret, nihil dubito, quin eſſet mutaturus potius ſententiam, quàm ita ſe defenderet. Etſi fuit in hac re alioqui plus quàm facilis, etiam ex profeſſione: Tantum abeſt, ut ſe flagellatum conquereretur. Auſim deierare, ſi res poſtularet, & uelut iudex iuratus hanc ſententiam dicere, de his Ariſtotelis diſputationibus. Totus locus de motu in principio tertij Phyſicorum, ex diametro pugnat cum his defenſoribus Ciceronis: & non poſſum ſatis mirari, quid cogitauerint, cùm hæc uellent affirmare, & tam conſtanter docere. Cadam hac tota cauſſa, & amittam hanc uelut litem,

niſi hac in re præſertim , craßè eſt ab eis erratum: nec debet mihi obeſſe , quod eſt in Homero σύν τε δὺ ἐρχομένω. *Res ipſa conſideretur,& ut ille dicit, ponderentur ſententiæ, non numerentur.* Non *reprehendo ualde expoſitionem* Themiſtij. *Pueris enim ita res per quandam periphraſin declarari ſolet: nec habet aliquod incommodum, niſi quis uelit dicere, non itionem eſſe ad formam ſimpliciter, ſed ad perfectionem formæ: propterea quòd ſubinde aliquid à principio motus accedit formæ. niſi qui fundamentum poſuit, nihil uideri debeat feciſſe, quod ad formam pertineat.* Et *tamen* Themiſtius *nihil contra nos facit.* Non *enim ſequitur,* Motus *eſt itio ad formam: ergo* ἐντελέχεια *eſt motus, uel agitatio. æquè ac non ſequitur,* Motus *eſt* ἐντελέχεια *quædam, ergo* ἐντελεχείας *eſt motus, uel agitatio.* Non *enim eſt conuerſio ſimplex inter hæc duo, ſicut* Dialectici *loquuntur, cum* ἐντελεχέιας *uox hic ponatur impropriè, ſicut eſt indicatum.* Contrà *ſequitur,* Motus *non eſt omnino nullum ens, ergo motus eſt quædam* ἐντελέχεια. Quòd *autem hæc uox in definitione motus impropriè ſumatur, clarè oſtendit* Ariſtoteles, *cum ait:* ἥ τε κίνησις ἐνέργεια μὲν τις εἶναι δοκεῖ, ἀτελὴς δὲ, αἴτιον δ᾽ ὅτι ἀτελὲς τὸ δυνατὸν, οὗ ἐστὶν ἐνέργεια κίνησις, καὶ διὰ τοῦτο δὴ χαλεπὸν αὐτὴν λαβεῖν τί ἐστι. Et *paucis interpoſitis uerbis:* χαλεπὴν μὲν ἰδεῖν, ἐνδεχομένην εἶναι, *ſcilicet* ἐνέργειαν. Quid *uolunt amplius, qui contrarium defendunt?* De *uoce* Actus *dictum eſt ſuprà.* Nec *ideo ſunt imperiti* Ariſtotelicæ *philoſophiæ* Boetius, & Gaza, *quòd metaphorico maluerunt uti uocabulo, quàm proprio: præſertim cum alter magis* Dialecticæ *fuerit intentus, alter illi planiori philoſophiæ, quæ tractat de animalibus, &*

quidem

*quidem ſpecialiter præcipuè. Leue eſt omnino & inane,
quod iterum atque iterum dicunt, Quid ſibi uult illa in-
terior perfectio? Quì magis anima plantæ, aut bonis in-
teriora, quàm exteriora perficit? Antea dixi, me nun-
quam hoc docuiſſe. Nihilominus tamen, ſi patiuntur, ui-
ciſſim ab eis interrogo, an exiſtimauerint illos ita ſtu-
pidos fuiſſe, ut putarent animam, cum ſit totius forma,
non etiam quamlibet partem perficere? Nónne ſic rectè
poſſet hoc defendi, ut diceretur factum eſſe hoc ad di-
ſcernendam eſſentialem formam ab externa ſpecie, ſeu
facie rerum? Sed non admodum pugno, quod hæc res ni-
hil ad noſtram ſententiam pertineat, niſi quis uelit nos
alienis erroribus grauare. Deinde mirum eſt, ſi non ri-
xantur, & contendunt de uocabulo: & hoc uolunt in me
reijcere, quaſi ego de re ſileam. Quanquam neutros de-
bet pudere liberalis cuiuſdam explicationis uocabuli,
cum hæc res non paruum habeat pondus, imò neceſſa-
rium ſit poni certam uocabulorum ſignificationem in
rerum tractationibus. Trahũt etiam in ſuam ſententiam
Plutarchum. is tam ſtat à noſtris partibus, quàm ab ip-
ſorum: niſi non dixi pro eodem uſurpari ἐντελέχειαν, &
ἐνεργέιαν, uoces. Hinc tamen haudquaquam poteſt hæc
fieri concluſio, quod in his locis hæc uox motum ſignifi-
cet, aut agitationem. & hoc ſatis eſt expoſitum, uel nihil
hic deſiderari queat. Significaui & hoc alicubi ſuprà,
quòd ἐνεργέιας uox non malè, ut etiam Quintilianus fa-
ciat, exponatur pro eo, quod motionem quandam ſigni-
ficat: ſed pro his diſputationibus, ubi de potentijs & actu
primo tractatur præcipuè, metaphoricè uſurpari: nec
refragari deriuationis rationem, ac inde potius latinum
actus factum quàm ab entelechia. Sumatur utrouis mo-*

do, non iurgor, modò ut hic pro actu primo ſumatur; qui ſi poteſt in motum transformari, facilè concedam ἐνεργείας uocabulum propriè ſignificare, ut eſt communis expoſitio. Sed meo quidem iudicio non poterit hoc fieri, niſi tota philoſophia Peripaterica, præſertim hac parte, ſubuertatur. Ariſtoteles motum quidem dicit eſſe ἐνέργειαν, ſed in expoſitione addit, quandam & imperfectam, & perceptu difficilem, ut eſt dictum antea. Scripturam non ualde urgeo. Sed quæro, unde ſit iam ἐντελέχεια, iam ἐνδελέχεια in ipſorum diſputationibus? Si non eſt hoc indicium, quòd ſuæ cauſſæ diffidant, miror cuius rei ſit. Quanquam & aliæ ſunt coniecturæ. Luciani authoritas in hac re, quanquam nihil ad rem facit, adeò me non mouet, ut iocatus magis mihi ſuo more uideatur. Præterea non patior iſto modo uocem eſſe nouam, ut ipſi fingunt. Ac eſt ad hoc reſponſum copioſè in præcedentibus. Quare nobis potius aſſentientur multi uerſati in Ariſtotele, ſi attentè conſiderent eius ſententiam de formis: atque utinam ipſi conſideraſſent eius ſententiam attentius. Quod ſi feciſſent, non dubito, quin eſſent erga nos mitiores, aut potius nobiſcum ſentirent. Poſtremò, quòd dicunt, Ariſtotelem facere duplicem ἐντελέχειαν, ſubſtantialem, & accidentalem: & in definitione Motus, intelligendam eſſe ἐντελέχειαν accidentalem: utrumque eſt falſum. Nuſquam enim, quod ego ſciam, & hoc modo facit Ariſtoteles duplicem Entelechiam. tradit quidem alicubi, motum etiam eſſe ſecundum ſubſtantiam, quanquam hoc in alio loco negat. Sed hoc uult, generationem quoque motum eſſe, hoc eſt, cum ſtubſtantia poteſtate habet actum, quatenus eſt poteſtate, aut id quod eſt potentia ſubſtantia, nunc eſt actu, non

ſubſtantia

ſubſtantia quidem,tunc enim finitus eſſet motus:ſed quod erat,potentia ſubſtantia, uel quando ipſa potentia ſuum quendam actum habet:& hoc,ut eſt ſuprà oſtenſum,impropriè. Satis hæc res eſt ab ipſo Ariſtotele *in tertio* Phyſicorum *declarata: & non uno exemplo à nobis etiam,quòd ſufficit ad hanc rem,paulo antè.* Recentiores *quidem quadruplicem faciunt actum, & motum duplicem his nominibus: uerùm non hac ratione,ſed ea,de qua iam eſt ſignificatum.* Et *quorſum eſt opus hic adeò metuere, ne reprehendantur, quòd* ἐντελέχειαν *motum faciant eo quòd motus ſit accidens; & entelechia ſubſtantia in hac animæ definitione? cum per ſe motus nec ſubſtantia ſit, nec accidens, ſed in mutatione ſubſtantiæ medium quiddam ferè inter ſubſtantiam & potentiam: in accidente ſimiliter medium inter accidens, & eius potentiam: id quod ſuprà ſemel atque iterum ex* Ariſtotele,*mobilis actum diximus.*Hoc *enim eſt effectio rei; non res ipſa: nec mobile tantum, aut rei potentia, ſed actus eius quod eſt potentia,quatenus eſt tale.*Hoc *ſi quis non intelligit,* Ariſtotelem *culpet, qui hoc ita docuit: non me,qui repeto,& interpretor eius doctrinam. Cum dicunt ſubſtantialem motum eſſe animati talis exiſtentiam, ſeu uitam, quæ cieat actiones: non conſtant ſibi.* Exiſtentia *enim & uita,non ſunt motus,ſed principium motus,aut actionum, & quidem ut ipſi uitæ uocabulum hic uſurpant: aut ſi ſunt motus,quomodo efficiunt actiones,id eſt, motiones? Atque ita cauſſæ bonitate,uel nolentes in noſtram ſententiam concedunt.* Quò *pertinet etiam,quòd dicunt* ἐντελέχειαν *uelut habitualem agitationem eſſe, uel potentiam cientem actiones. Alterum ideo dixi falſum eſſe,quia ut eſt* Ariſtotelis,*& omnium*

aliorum diuiſio, motus ibi tam ſubſtantialis definitur, quàm accidentalis: hoc eſt, non tantùm actus quidam τοῦ κινητοῦ in ordine accidentium, ſed etiam in ſubſtantiarum ordine, ut taceam, quod Ariſtoteles alicubi dicit, Secundum ſubſtantiam non eſſe motum. Hæc ſunt plana & ſimplicia, cúmq; Ariſtotelis diſputatione conueniunt: niſi me prorſus fallit animus, & peßimè ſunt à me collocatæ multæ optimæ horæ.

Nunc incidit mihi locus Ariſtotelis, qui extat in quarto libro μετεωρολογικῶν, & uidetur contra nos facere. Ibi pulchrè ac eruditè ſcribitur, omnia definita, ſeu circumſcripta eſſe opere: quód ea quæ poßint ſuum opus facere, ſint uerè, ut ſi oculus uideat. Sed adſcribamus illius uerba: ἅπαντα δ' ἐστὶν ὡρισμένα τῷ ἔργῳ. τὰ μὲν γὰρ δυνάμενα ποιεῖν τὸ αὐτῶν ἔργον, ἀληθῶς ἐστιν ἕκαστα, οἷον εἰ ὀφθαλμὸς ὁρᾷ. Iam ſi oculus tum eſt uerè oculus, cum id facit cuius gratia eſt: uidendi autem gratia eſt oculus, & ipſum eſſe eſt forma: ergo cùm uidere ſit, quod facit ut oculus ſit uerè oculus, forma eſt oculi ipſum uidere. Iam uidere eſt motio, ergo motio eſt oculi forma. Quod ſi eſt in oculo, eſt etiam in toto corpore, aut animante: hoc eſt, ut uidere eſt oculi forma, ita uiuere, aut uti potentijs eſt forma animantis. atque ita rectè intellexit Ariſtotelem Cicero, ut uolucrit animam eſſe motionem, ita poſſet ex hoc loco aliquis rationari. Ego reſpondeo ſimpliciter, & ut res habet. Primò non eſt idem prorſus, fieri cuius gratia eſt aliquid, & eius forma. Sic enim uera ſerra, hoc eſt ex ferro facta, non eſſet ſerra, niſi cum iam uſurparetur. Sed Ariſtoteles rectè, ſi ex ligno ſit, aut alia materia tantum, quæ non recipiat uim ſecandi, uult ſerram eſſe ὁμωνύμως. Diuide

ſolum

ſolum exemplum hic in Ariſtotele *de ſecundo actu, ſeu agitatione loquitur, præcedentia & ſequentia de potentia tantum loquuntur.* Et in libris de Anima *diſertè facit differentiam* Ariſtoteles, *inter uiſum & uiſionem.* Ergo *aut à ſe diſſentit, aut facit duplicem formam unius rei: aut non eſt idem forma & actus ſecũdus, ſeu* ἐντελέχεια. Verùm *hæc eſt ſententia* Ariſtotelis, *quod in operibus naturæ, præſertim perfectis illis, hoc eſt, quæ conſtant ex organicis partibus, ut ſunt uiuentia; ſit duplex ratio unius formæ, principium, ſeu potentia illa propinqua, ſeu habitus* (ἐντελέχειαν πρώτην *ipſe uocat*) *& actio; ſiue mauis effectum ſiue operationẽ uocare.* Nihilominus *tamen animam uult actum primum eſſe, & habitum, ſeu principium agitationis, non ipſam agitationem.* Et *ut maximè uox* ἐντελέχεια *per* δ *eſſet ſcribenda, & haberet à continuitate nomen, non tamen aut in hac diſputatione operationes ſignificaret, aut illa continuitas eſſet intelligenda, quæ eſt in motu, qui ſic propriè uocatur: ſed de quadam duratione, præſertim quod ad pleráſque potentias attinet, quarum actioni motus definitio non conuenit, ut uidere, audire, & ſimilia, non ſunt aliquid imperfectum, aut gradus habens, ſed perfectum quiddam per ſe ſemper. Huc pertinet, quod forma dicitur eſſentia: & res uerè eſſe, cum ſint actu.* Eſſe *enim, & eſſentia, uocabula durationis ſunt potius, quàm agitationis, quæ* Motus *appellatur.* Præterea *nõ* κίνησιν *temerè uocat formam* Ariſtoteles, *ſed* ἐνέργειαν, *&* ἐντελέχειαν, *& alia quædam.* Verùm *de uocabulo non admodum contendo, ut dixi: de re ipſa potius eſt mihi diſputatio.* Hunc locum Ariſtotelis *eo libentius addidi, quòd uidebatur mihi facere nonnihil ad probandam*

noſtram ingenuitatem, fidem, & inquirendi ueri ſtudium. Vt enim id antea ſum teſtatus, ita hic etiam teſtor, me nullius odio quicquam ſcribere, docere, aut defendere, & contrà, quàm iudico, aut uerum eſſe, aut uero ſimilimum. In rebus falli poßũ, ut homo: in hoc animi propoſitio, inductione, conſtãtia nõ fallor. facilè poſſem ferre Ciceronis definitionem, ſi de ſecundo actu intelligeretur, & illa poſteriore formæ ratione. Prior enim ratio, ut ita dicam, animæ conuenit, quæ eſt actus primus, principium, cauſſa, & potentia operationum & uitæ: non operationes, uita uel motus, ut ſæpe dictum eſt. Verumtamen & ſic uox motionis impropriè eſſet uſurpata, id eſt pro eo quod eſt perfectum quiddam, aut habet perfecti rationem: ut ſentire, intelligere, appetere, nutrire, moueri ſecundum locum. Aliter enim hæc ſecundum ſe conſiderantur, aliter ſecundum id quod ſunt propriè, operationes, formas, rationes, aut ſpecies naturæ operum. Quanquam nihil ad nos admodum pertinet, habitúsne, an operatio magis formæ rationem habeat: modò conſtet, animam eſſe primum actum, principium, cauſam & fontem agitationis & uitæ, aut operationum, non hæc ipſa. Quod ſatis iam ſupérque demonſtratum eſt, & prolixius etiam fortaſſe, quàm conueniebat. Sed ignoſcere mihi debet Lector, cum id non ſit mea culpa factum. Velim & hoc iterum obiter meminerit, non de uocabulo nobis tantùm, ſed etiam de re ipſa: & magis de re quidem, quàm de uocabulo: ſi tamen alicubi, de uocabulo tantum, ualde contendimus: quod Sophiſtæ faciunt, ac obſcurandæ rei potius, quàm illuſtrandæ cauſa.

LIBER

LIBER SECVNDVS DE ANIMA.

Quot ſint potentiæ Animæ.

QVinque præcipuæ apud Ariſtotelẽ numerantur animæ potentiæ: nutritiuum, ſenſitiuum, appetitiuum, ſecũdum locum motiuum, & intellectiuũ. Cùm enim per ſe hæc uocabula ſignificent potentiam, non ſatis aptè Potẽtiæ uox eis additur. Niſi uelimus dicere, potentia nutriendi, ſentiendi, & ſic de reliquis, mutata nonnihil orationis forma. Nutritiuum autem uocatur etiam rectè Vegetatiuum. Vegetum enim incolume eſt: & nutritiui proprium eſt officium, conſeruare corpus phyſicũ. Plato in Timæo, & in 4. lib. de Repub. tres facit animæ uires, aut partes, λογιστικὸν, ἐπιθυμητικὸν, & θυμὸν, quòd etiam θυμοειδὲς uocat ipſe, & Ariſtoteles nonnunquam, ſicut primum ἡγεμονικὸν etiam appellatur. Et eſt θυμὸς uelut medium reliquorum duorũ, ut ſuprà eſt ex Platone dictum, & ea concilians: ac præcipuè rationali ſeruit. Hanc Platonicam diuiſionem egregiè deſcripſit Claudianus, quem integrum locum libuit uſurpare.

Diſce orbis, quod quiſque ſibi, dum conderet artus
Noſtros, æthereis miſcens terrena Prometheus,
Synceram patri mentem furatus Olympo,
Continuit clauſtris, indignantémque reuinxit.
Et, cum non aliter poſſent mortalia fingi,
Adiunxit geminas, Illæ cum corpore lapſæ

Intereunt,hæc ſola manet,buſtóque ſuperſtes
Euolat.hanc alta capitis fundauit in arce,
Mandatricem operum,proſpecturámque labori:
Illas inferius collo,præceptáque ſummæ
Paſſuras dominæ digna ſtatione locauit.
Quippe opifex ueritus confundere ſacra profanis,
Diſtribuit partes animæ,ſedéſque remouit.
Iram ſanguinei regio ſub pectore cordis
Protegit,imbutam flammis,auidámque nocendi,
Præcipitémque ſui rabie.ſuccenſa tumeſcit,
Contrahitur ſtupefacta metu:cùmque omnia ſecum
Duceret,& requiem membris ueſana negaret,
Inuenit pulmonis opem,madidúmque furenti
Præbuit,ut tumidæ ruerent in mollia fibræ.
At ſibi cuncta petens,nil collatura cupido,
In iecur,& tractus imos compulſa receßit,
Quæ,uelut immanes reſerat dum bellua rictus,
Expleri,paſcíque nequit.Nunc uerbere curas
Torquet auariciæ,ſtimulis nunc flagrat amorum:
Nunc gaudet,nunc mœſta dolet,ſatiatáque rurſus
Exoritur,cæſáque redit pollentius hydra.
Hos igitur potuit ſi quis ſedare tumultus,
Inconcuſſa dabit puræ ſacraria menti.

Vides hic,à poeta ex Platone appetitiuo tribui generandi appetentiam,cùm de amoribus meminit.Quod obſeruandum eſt propter illa,quæ infrà de ſpeciebus appetitionis diſputabuntur,ubi de Voluntate explicabitur.

Quid ſit nutritiuum.

Erudité Ariſtoteles docet,actiones ratione priores eſſe,quàm potẽtias:nec intelligi poſſe actiones,niſi prius ſint co

ſint cognita obiecta: ἀντικείμενα ipſe uocat. Itaque hæc etiam cuiuſmodi ſint, oſtendendum eſt prius, quàm de nutritiuo quid ſit dicatur. Obiectum itaque nutritiui, eſt alimentum, quod eſt cibus uel pabulum, & potus eius quod alitur. Quia autem cibus & potus nõ, ut ſunt, cùm ſumuntur, manẽt in alendo, ſed tranſmutata in aliud ens alũt, & hæc mutatio uocatur Generatio: *ideo hic etiam debet ſciri, quid ſit generatio. Eſt autem generatio, mutatio ex non ente in ens, ſicut eſt ſuprà ſatis oſtenſum in tertia parte huius operis. Talem autem quandam mutationem fieri, cum ex cibo & potu fit ſanguis, & ex ſanguine caro, & alia membra, aut potius quædam ſimilia membris. Non enim fiunt membra in alendo, ſed conſeruantur, uel augentur, & tamen interim cibus & potus in aliam naturam & ſubſtantiam mutantur. Etiamſi enim Ariſtoteles hoc loco ſcribit, opera huius potentiæ generare eſſe, & uti cibo: non tamen alteratio tantùm quædam eſt nutritio, ſed generatio ſecũdum partes abſolutè: reſpectu uerò corporis, quod alitur, facilè poſſum concedere, quòd ſit alteratio. quod ad ipſas actiones per ſe attinet. Quanquam & ἐντελέχεια, ſeu actus eſt reſpectu potentiæ, quàm* Nutritiuum *appellamus, eadem eſt in utroque ratio. Sicut enim anima in alendis membris facit ex cibo & potu actu ſimilia membris, aut partibus totius corporis, quæ potentia erant ſimilia: ita animal totum, uel planta facit ex ſe totum ſimile ſibi animal, uel plantam actu, ex eo quòd potentia erat ſimile, ut eſt ſemen, uel ſurculus. Atque hoc eſt obiectum nutritiui. Actus autẽ eſt ipſum nutrire: quod nihil aliud eſt, quàm mutare cibum & potum in ſimilia eius quod alitur, non ut fiat ſeparatum quid ab eo quod alitur, ſiue ſecundũ*

*totum,ſiue ſecundum partes:ſed ut conſeruetur id quod iam eſt in ſua ſubſtantia.*Hoc autem *fit partim etiam à ſimili,ut eſt ſuo loco indicatum.* Potentia *quæ hoc efficit,eſt ipſius animæ uis commutandi ita cibum ac potũ, illa quidem communiſſima omniũ.*Nihil enim,*quod uita eſt præditum,hac carere poteſt, cum ipſa poſſit alijs omnibus carere,ut eſt in plantis cernere.* Atq; *ita ſunt tria ad hãc rem maximè neceſſaria ac principalia,corpus quod alitur,id quo alitur,& alens.* Et hoc Ariſtoteles *ſic dicit:*ἐπεὶ δ' ἐστὶ τρία, τὸ τρεφόμενον, καὶ ᾧ τρέφεται, καὶ τὸ τρέφον, τὸ μὲν τρέφον ἐστὶν ἡ πρώτη ψυχή, τὸ δὲ τρεφόμενον, τὸ ἔχον αὐτὴν σῶμα, ᾧ δὲ τρέφεται ἡ τροφή: Et *obſerua dictum,quod additur:*ἀπὸ τοῦ τέλους ἅπαντα προσαγορεύειν δίκαιον.Galenus *diſſentit nõnihil ab* Ariſtotele,*& docet,hanc potentiam non animæ,ſed naturæ functionem eſſe,atque propterea* φυτὰ *appellari ea quæ hac potentia prædita ſint.*Qua *in re proprietatem ſermonis quidem* Galenus *conſiderauit.* Nam *&* φυτὸν, *&* φύσις *dictiones ab eodem uerbo* φύειν, *quod ſignificat naſci,deriuantur:&* φυτὸν *ſignificat plantam, cuius ſolæ ſunt potentiæ nutritio, & ei cognata augmentatio, ſed tamen cum uocabulum* φύσις *latius pateat,quàm uel origo eius,aut alia deriuata, non uideo cauſam, cur ab* Ariſtotelis *ſententia receſſerit* Galenus,*præſertim cùm ne ratio quidem phyſicarum diſputationum patiatur adeò anguſtè hanc uocem uſurpari.*Nam *& aqua fit ex aere,& aer ex aqua ſecundum naturam, non tamen in illa mutatione eſt hæc potentia:nec appellatur per hũc motum res facta,uel* φυτὸν *græcè,uel latinè planta.* Sic *de motu naturali iudicari debet.*Aut *igitur hæc nõ ſunt naturalia,aut naturæ uocabulum plus ſignificat, quàm*

φύειν,

φύσιν,aut φυτὸν. Prætereà unde eſt uoluntas & ſenſus, quæ dicit Galenus animæ eſſe functiones, non naturæ? Nónne ſunt etiam à natura? Sunt enim corporis naturalis principales partes, id eſt animalium formæ, aut partes formarum in illis corporibus. De augmentatione, de qua in hoc loco etiã diſputari ſolet, antea diſſeruimus, quando explicauimus de Generatione & corruptione.

An ſint aliæ facultates huic cognatæ?

Sunt etiam huius generis aliæ potẽtiæ. Verùm Ariſtoteles non tractauit de eis. Galenus hoc diligenter fecit in tribus libris de Facultatibus naturalibus. Quare nos tantum nomina, & breues earum definitiones huc adſcribemus, ut uelut deguſtãdas etiam præbeamus medicorum diſputationes imperitioribus. Sunt autem facultates attrahendi, retinendi, coquendi, & expellendi: item apponendi, agglutinandi. & aſsimilandi. & ſunt illæ omnes potentiæ quaſi famulæ quædam nutritiui: hæ gradus, aut partes eius. Adduntur etiam aliæ, ac quidẽ magis principales, generandi facultas, formandi & alterandi: quæ omnes uocantur eodem nomine, Facultates naturales. Et Galenus quidem, qui eſt autor horum tam uariorum diſcriminum, generales & præcipuas naturæ uires ponit, generandi uim, nutriendi, & augmentandi. Reliquas omnes tum harum miniſtras, tum inter ſe alias aliarum. De alterandi facultate nos non habemus neceſſe dicere, quæ nihil differt à generandi facultate, quàm quòd pars à toto: & de hac eſt antea traditum, quantum, ut opinor, ad hanc rem ſatis eſt. Formatiuum & alteratiuum dicit Galenus partes generatiui eſſe: nec propriè tamen ſatis, ut exiſtimo, nec explicatè. Nam & uocabulo Alterationis ibi pro ſubſtãtiæ factione, ut ſic

dicam,

dicam,utitur:paulo antè in eodem loco,uſus eo pro mutatione,quæ ſit in qualitate,ut eſt ex albo nigrum, ex calido frigidum fieri. Et cum formare nihil ſit aliud quàm figurare,& hoc ſit moueri in qualitate: non eſt cauſa,cur magis formatrix facultas fiat pars generandi facultatis,quàm mutatrix aliarum qualitatũ & affectionum omnium.Par enim eſt in omnibus ratio. Atque ſic res in infinitũ excurreret.Multò ergo expeditius & planius Ariſtoteles docuit:cum generationem fecit mutationem ſecundum ſubſtantiam,alterationem uerò mutationem ſecundum accidens:ut ſint non altera pars alterius,ſed diſtinctæ ſpecies.

Quid ſit attrahendi potentia.

Attrahendi facultas eſt,quæ id quod aut nutrire,aut expelli debet ex corpore,ad ſe trahit,ſicut magnes ferrum, aut ſuccinum paleas, aut ſimiles res leues, ac aridas.

De retinendi potentia.

Retinendi potentia eſt,quæ retinet alimẽtum in aliquo loco,donec ita fuerit præparatum,ut aliò commodè amandetur:ut à ſtomacho retinetur cibus,donec fiat chymus in epate,donec melius coquatur in corde,donec ſanguis fiat,ſicut Ariſtoteles docet. Galenus in epate, aut potius in uenis eſſe αἱματοποίησιν docet,quem plerũque ſequuntur medici.Quanquam Auicenna ſententiam Ariſtotelis non improbat.

De coquendi potentia.

Coquendi potentia,eſt efficiens coctionem alimenti. Coquere autem,eſt uincere,aut alterare alimentũ pro uniuſcuiuſque membri natura & officio,in quo ſit talis cibi mutatio.Medici autem in quatuor locis concoqui

cibum

cibum docent:in ore primùm,deinde in ſtomacho, tertiò in epate,aut uenis:ultimò in extremitatibus minutiſſimarum uenarum. Ariſtoteles *& in his libris, & in* 4. *libro* Meteorolog.*tradit, à calido naturali concoctionem effici.*H*æc autem ſunt eius uerba in* Meteorolog: πέψις μὲν οὖν ἐστὶ τελείωσις ὑπὸ τοῦ φυσικοῦ καὶ οἰκείου θερμοῦ, ἐκ τῶν ἀντικειμένων παθητικῶν. ταῦτα δ' ἐστὶν ἡ οἰκεία ἑκάστῳ ὕλη. I*dem propemodum docet* G*alenus tum alibi,tum in tertio libro* N*atura.faculta.* C*æterùm hoc etiam ſciant adoleſcentes,pro uocibus,*C*oquere,& coctio,medicos recentiores,*D*igerere,& digeſtio barbarè dicere.*N*am* D*igerere latinis ſignificat diſtribuere, ut apud* O*uidium:*

T*empora cum cauſis* L*atium digeſta per orbem.*

S*ic etiam apud* P*linium,&* C*ornelium* C*elſum uſurpatur,*

De expellendi potentia.

H*æc eſt potentia,quæ tum cibum in alia membra digerit,tum excremēta eijcit ex corpore:ac utitur ad hoc uelut inſtrumento quodam,flaua bile in animalibus.*

Quid ſit apponendi potentia.

A*pponendi potentia,eſt uis,quæ alimentū, quod nutriturum eſt,ut quando adhuc cibus eſt,aut chymus,aut ſanguis etiam in uenis,applicat membris,quæ alere debet.* Q*uod quando non fit ritè, gignitur* ἀτροφία, *&* φθίσις *in corporibus.*

Quid ſit agglutinandi potentia.

H*æc affigit membris alimentum.*I*d quod fit,quando ſanguis lentorem quendam contraxit,& factus eſt ſiccior.*H*uius potentiæ corruptio creat genus aquæ inter cutem,quam* G*ræci* ὑποσάρκα *uocant.*

Quid ſit aſsimilandi potentia.

Aßimilandi potentia tranſmutat alimentum in ſubſtantiam membri, quòd alit, & prorſus ei ſimile facit tantum, quantum eſt in eo reſolutum, aut conſumptum à calore naturali, aut etiam externo. Nam ſi plus adnaſcatur ei, non fit nutritio, ſed augmentatio. Tametſi hæc non poßit fieri ſine illa. Hoc niſi fiat, contrahitur morbus, qui λεύκη græcè dicitur, latinè Vitiligo. Has quatuor ſpecies nutritiui, Galenus, ut puto, inuenit, ac uſurpauit.

De ſpeciebus concoquendi facultatis.

Ariſtoteles in quarto libro Meteorolog. ponit tres ſpecies coquendi facultatis: maturationem, elixationẽ, & aſſationem. Ipſe græcè, quibus uocabulis etiam uulgus hactenus eſt uſum, uocat πέπανσιν, ἕψησιν, & ὄπτησιν: harũ uitia, ſeu contraria, id eſt in concoctionis ſpecies, cruditatem, inquinationẽ, & excalfactionem græcè dicuntur ὠμότης, μόλυνσις, & στάτευσις. in alijs autoribus per ϐ ſcribitur στάϐευσις, & melius. ab εὕω, id eſt uro, inflammo. Omnis autem coctio, fit à calido. Maturatio, eſt propriè coctio, quæ fit in fructibus arborum, ſeu, ut Ariſtoteles loquitur, alimenti, quod eſt intra fructuum opercula, τῆς ἐν τοῖς περικαρπίοις τροφῆς πέψις. Transfertur etiam ad alias res: ut pituitæ & tuberculorum coctio in corporibus animantium, uocatur etiam Maturatio. In omnibus autem quæ matureſcunt, aerea mutantur primùm in aquea, hæc tandem in terrea condenſantur, adeóque ſemper ex tenuibus craßiora. Ita quidem Ariſtoteles etiam docet, ac loquitur ſua lingua. Huius contrarium eſt cruditas, quæ fit, cum non uinci poteſt aerium, aut humidum à calido, propter eius debilitatem;

litatem:eſtqúe,ut Ariſtoteles definit,ἀόριστος ὑγρότης,id eſt,humidum indefinitum,non uictum & ſubactum. Inchoatur quidem coctio, ſed non abſoluitur. Hinc Ariſtoteles illam uocat perfectionem quandam, illam imperfectionem. Elixatio eſt indefiniti,quod eſt in humore,coctio,quæ fit calore humido. Quid ſit hic indefinitum,nunc eſt dictum. Inquinatio, ſeu μόλυνσις contrà fit, cum aut nimia frigiditas eſt in humido agente, ſiue coquente, aut in eo quod coquitur, immodica humiditas.Eſtqúe inchoata elixatio,non perfecta.Ideóque duriora ſunt,quæ ſunt inquinata hoc modo,quàm elixata, Aſſatio eſt coctio,quæ fit ab humido ſicco. Id ſi non ſatis fortè aut magnum ſit, imperfecta fit aſſatio, quam Ariſtoteles στάθευσιν appellari poſſe dicit. Contraria quædam etiam fiunt in elixatione, & aſſatione. In illa enim, quæ ita concoquuntur, exteriora fiunt molliora & humidiora,interiora duriora & ſicciora:in hac uerò exteriora duriora & ſicciora, interiora molliora & humidiora. & hoc ideo, quia calidi eſt humectare, id eſt,humidum attrahere.Nunc in ijs quæ aſſantur,calor intus colligitur,& augetur propter partes exteriores induratas,aut exiccatas: inijs autem quæ elixantur, calor humidi coquentis foris potius manet,ac euocat ex eo quod coquitur humidum. Addit hoc Ariſtoteles, quòd hæ uoces coctionis, cum ſuis contrarijs, non propriè pertineant ad eas ſpecies coctionis, quæ fiunt in animantium corporibus illis ſimilibus.

Quid ſit ſenſitiuum.

Senſitiuum eſt, potentia percipiendi quantitates & qualitates quaſdam, & quædam relatiua:ut ſunt, magnum paruum,motus quies, numerus,figura,calor,ſo=

nus, ſapor, calidum frigidum, aſperum læue. Aut ſenſitiuum eſt potentia una talium rerum, quæ nunc ſunt enumeratæ. Et *hæc definitio conſentit cum ijs quæ ab* Ariſtotele *traduntur de hac potentia.* E*ſt enim potentia uelut patiens, ſenſibile uelut agens.* Et *ſicut peritus* Gram*maticæ non exercens eam artem, patitur aliquid ferè, quando incipit exercere* Grammaticam*: ita ſenſus, uel potentia ſentiendi patitur, tanquam aliquid, cum percipit ſenſibile, & ut fit in altero genere patiendi* (Ariſto*teles enim duo facit) aßimilatur ſenſibili, ſeu obiecto.* N*am uidere, nihil eſt aliquo modo aliud, quàm uiſum colorari: & audire, auditum ſonorum reddi.* Q*uod autem dixi,* A*riſt. facere duo genera patiendi, facilè poteſt intelligi ex ijs quæ ſuprà ſunt ex eodem authore annotata, de duplici potentia.* E*adem enim eſt utrorúmq; ratio.* E*t ut remota potentia eſt priuatio, propinqua autē habitus ocioſus: ita prior actio, mutatio in contrarium eſt, ſeu ut* Ariſtot.*loquitur,* ἐπὶ τὰς στερητικὰς διαθέσεις: *poſterior tranſitus ex habitu in actum, ſeu naturam. nam* Ariſt. *hoc addit.* A*tque hanc eſſe de ſenſu* Ariſt.*ſententiam, hæc eius uerba demonſtrant:* τὸ δ᾽ αἰσθητικὸν δυνάμει ἐστὶν. οἷον τὸ αἰσθητὸν ἤδη, ὡς ἐντελεχείᾳ, καθάπερ εἴρηται. πάσχει μὲν οὖν οὐχ ὅμοιον ὄν, πεπονθὸς δ᾽ ὡμοίωται, καὶ ἔστιν οἷον ἐκεῖνο. E*t cum hæc duo genera patiēdi non habeant propria uocabula, alterum alteratio, alterum paſſio uocatur, eodem* Ariſtotele *authore.* H*anc potentiam habent omnia animalia.* N*am animal, eſt propriè corpus naturale, ſenſu præditum.*

Quot ſint ſenſus.

Quinque ſunt ſenſus, uiſus, auditus, olfactus, guſtus, tactus. Q*uòd autem non ſint plures, docet experientia.*

Sic

Sic enim ait Ariſtoteles in 4.lib. περὶ ζώων ἱστορίας εἰσὶ δὲ πλεῖσται, καὶ παρ᾽ ἃς οὐδεμία φαίνεται ἴδιος ἑτέρα, πέντε τὸν ἀριθμὸν, ὄψις, ἀκοὴ, ὄσφρησις, γεῦσις, ἁφὺ.

Quid ſit ſenſibile.

Senſibile, eſt obiectum ſenſus, aut id quod facit, ſentiens potentia, ut habitum ſenſus, actu ſentiens. Et huius *eſt agere, ſicut ſenſitiui eſt pati.* Clauſi *enim oculi, aut aperti etiam, in tenebris non uident: ſed aperti, in luce illuminantur ipſi quoque, & colores recipiunt: ſeu colores fiunt actu, qui clauſi, aut in tenebris fuerant hoc potentia.* Hanc *enim eſſe Ariſtotelis ſententiam, iam eſt indicatum, & infrà iterum hoc & clarius fiet. Cæterùm ſenſibile eſt duplex: eſt ſenſibile per ſe, & per accidens. Senſibile per ſe, aut eſt proprium, aut commune.* Proprium *eſt, quod unius tantum ſenſus eſt obiectum: ut color ſolius uiſus eſt obiectum, ſonus auditus, ſapor guſtus, odor olfactus.* Et *obſerua, quod Ariſtoteles dicit, ſenſus non decipi circa hæc obiecta, quæ ſunt ipſis propria. Quod tamen debet intelligi ſic, ut nihil aliud hoc impediat. Communia ſenſibilia ſunt, quæ à pluribus ſenſibus, quàm ab uno poſſunt percipi: ut ſunt motus, quies, numerus, figura, magnitudo. Hæc enim omnia ſentiri poſſunt, & uidendo, & tangendo. Senſibile per accidens, eſt id quod accidit ei quod uerè & propriè ſentitur, ut ſi nigrum ſit durum, aut molle.* Videntur *etiam durum, aut molle, non ſimpliciter, ſed quia nigro accidunt, & ualde impropriè.* Item *ſi quis dicat, ſe audire patrem, qui loquatur, non propriè audit, nec dicit.* Audit *enim uocem, uel orationem, cuius accidens eſt pater, quod ad hanc rem attinet.* Accidens *enim, & ſubiectum hic conſiderantur, prout propria, aut impropria certorum*

ſunt ſenſuum obiecta, nòn ita ut uerè ſunt inter ſe accidens & ſubiectum. Plenus eſt communis ſermo talibus figuris, quæ ex improprijs obiectis ſenſuum ducuntur, & uocantur Metaphoræ: ut ſunt, Video quid dicas, Audio quid ſentias. In pleriſque tamen ſunt tantum metaphoræ ſine hac improprietate (niſi quòd cum intellectu, & cognatis potentijs, uelut interioribus quibuſdam ſenſibus, hi qui propriè ſenſus appellantur, magnam habent affinitatem) ut, Guſtaui doctrinam Ariſtotelis, Olfacio dolum, aut inſidias. In ſumma, huius ſenſibilis per accidens omnino uſus eſt neceſſarius, ad ſignificanda corpora omnia, quæ dicimus nos uidere. Non enim corpora ipſa, aut ſubſtantiæ, ſed affectiones tantum, & accidentia cernuntur: ut eſt, magnitudo, figura, color, & ſimilia, quibus etiam corpora diſcernuntur.

Quare habeant ſenſus animalia.

Senſus inditi ſunt animalibus propter neceſſitatem, & ſuæ ſalutis conſeruationem. Senſibus enim percipiuntur, quæ animalibus tum proſunt, tum obſunt: ad quos cùm accedit appetitio, eliguntur & accerſuntur ſalutaria, nocentia declinantur. In hominibus etiam ad prudentiam, & intellectum multum habent momenti, ſeu, ut Ariſtoteles ait, τοῖς καὶ φρονήσεως τυγχάνουσι τοῦ εὖ ἕνεκα ὑπάρχουσι. Nam uaria rerum diſcrimina oſtendunt menti: unde poſtea fit ratiocinatio, quæ eſt utilis & ad intelligendum, & ad agendum. Id Ariſtoteles dicit his uerbis: πολλὰς γὰρ εἰσαγγέλλουσι διαφοράς, ἐξ ὧν ἥ τε νοητῶν ἐγγίνεται φρόνησις, καὶ ἡ τῶν πρακτῶν. Sunt eiam propter ſuauitatem & delectationem quandam (non enim audeo dicere uoluptatem, propter huius uocabuli hoſtes: quanquam nomine potius quàm re) dati animan

animantibus ſenſus. Nam ſi, ut Ariſtoteles alicubi ſcribit, Scire per ſe eſt expetendū: non uideo quomodo ſentire per ſe non expeti debeat, cùm ad ſcientiam non parum habeant momēti ſenſus, præſertim uiſus & auditus.

Quid ſit viſus.

Viſus eſt potentia percipiendi coloris. Quanquam enim, ut ſuprà monui, uiſus etiam figuram, magnitudinem, motum, & nonnulla alia poteſt indicare: non tamen aliud eſt huius ſenſus proprium obiectum, quàm color, & neſcio quid aliud, quod Ariſtoteles dicit non habere nomen. Reliqua omnia ſunt aliorum etiam ſenſuum obiecta. Colores autem non poſſunt percipi, niſi per aliquod medium illuminatum ita, ut ipſi moueant medium, à quo poſtea mouetur uiſus. Democritus enim cenſuit à colore, non per medium aliquod, moueri hunc ſenſum. Qui tamen fallitur. Id quod Ariſtoteles euidenter demonſtrat, cum dicit, non cerni hoc quod oculo ſit impoſitum. Verum enim hoc eſt, & experientia notum. Fuerunt etiam qui putarent, lumen, ſeu radios quoſdam ex ſe ſpargere oculum ad uiſibile; atque ita colores appprehendere per tactum. Quod non poſſe fieri, argumento eſt, quòd in tenebris non uidemus. Si enim eſſet lux aliqua in oculis, illa tenebras etiam depelleret, egreſſa oculum, & illuſtraret aerem: nec dici probabiliter poteſt, extingui hoc lumen oculi in tenebris. Et rectè Plato ab Ariſtotele propterea reprehenſus eſt. Putauit Empedocles quoque, aliquando uiſum effici per defluxus tenuißimarum particularum de corporibus. Græci ἀποῤῥοίας appellant. Hunc ſecutus Lucretius, latinus poeta, eleganter hoc expreßit, cum ſic inquit in quarto libro:

Dico igitur rerum effigies, tenuéſque figuras
Mittier ab rebus, ſummo de cortice earum,
Quæ quaſi membranæ, uel cortex nominitanda eſt,
Quòd ſpeciem ac formam ſimilem gerit eius imago,
Cuiuſcunque cluet de corpore fuſa uagari.

Et in eodem libro alibi, ac ſignificantius, coniunctis cum uiſus obiectis aliorum ſenſuum obiectis. Empedocles *enim ſimiliter omnes ſenſus fieri exiſtimauit.*

Quare etiam atq; etiam minima hæc fateare neceſſe eſt
Corpora, quæ feriant oculos, uiſumq́ue laceſſant,
Perpetuóque fluant certis ab rebus odores,
Frigus ut à fluuijs, calor à ſole, æſtus ab undis
Aequoris, exeſor murorum littora circum.
Nec uariæ ceſſant uoces uolitare per auras.
Denique in os ſalſi uenit humor ſæpe ſaporis,
Cum mare uerſamur propter: dilutáque contra
Cum tuimur miſceri abſynthia, tangit amaror.
Vſque adeò omnibus ab rebus res quæque fluenter
Fertur, & in cunctas dimittitur undique partes.
Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi.

Hæc quidem eſt illorum opinio: ſed ideo non eſt firma, quia duo corpora non poſſunt eſſe in eodem loco ſimul. Eſſent autem, ſi lux eſſet corpus quamtumuis tenue, ut eſt uel fucus, uel cortex, uel membrana, ut Lucretius *ait. Aer enim, uel aliud ſimile, in quo lux eſt, corpus eſt.* Democritus *habuit aliam de uiſu opinionem. Putauit enim, illum aquam eſſe. in quo quidē nihil errauit, & in ea refringi radios, aut fieri ἔμφασιν, id eſt, effigiem repercuſſi corporis. quòd falſum eſt propterea, quia ſi ita eſſet, oporteret etiam aquam, & ſpeculum, & alia læuia corpora, in quibus fit talis ſimulachrorum expreſſio, uidere.*

dere. Atque hæc ſufficiant de ueterum opinionibus, quas eo libentius ex Ariſtotele recitaui, quòd dignus uiſus eſt mihi hic ſenſus, qui paulò diligentius exponeretur. Nunc ad inſtitutum redeo, indicaturus, quæ alia, & quomodo ad uiſum propriè pertineant, quídque illa ſint. Quòd autem potentia uidendi, & colore, ac medio corpore, opus ſit ad hanc rem, & quid ſit hæc potentia, ſatis explicatum eſſe arbitror. Sequitur ut de lumine & colore, & quid ſit hoc medium, dicamus.

Quid ſit lumen.

Nunc eſt dictum, lumen non eſſe corpus. Et eſt addita cauſa. Quia ſi eſſet corpus, eſſent duo corpora in eodem loco. Id autem eſt impoſſibile. Eſt enim lux in aliquo corpore perſpicuo, ut eſt aer, aut aqua, aut chryſtallus, & pleræque gemmæ. Quare, cum non ſit corpus, neceſſe eſt affectionem aliquam, aut differẽtiam eſſe, hoc eſt accidens corporis non cuiuſuis, ſed ſolis: & eorum quæ habent naturam ſimilem ſolis naturæ, ut ignis, fungus, cornu, capita piſcium, ſquamæ, oculi, ut Ariſtoteles recenſet in ſecundo libro de Anima. Tale corpus cum eſt in corpore perſpicuo, illuſtrat illud, & facit actu perſpicuum, quod fuerat tantum potentia perſpicuum. Aer enim, & ſimilia corpora, ſunt perſpicua potentia, non actu. Atque ſic lumen nihil eſt aliud, quàm actu perſpicuum, Græci uocant διαφανὲς. utrumque dictum eſt ab eo, quòd uiſui uelut tranſitum præbeat. Præterea perſpicua quoque corpora non ſunt propterea talia, quòd ſint uel hæc, uel illa corpora: ſed quòd habeant cognationem cum ſolis natura: aut potius, ut Ariſtoteles loquitur, quod ſit eadem in eis natura, quæ eſt in æterno illo & cœleſti corpore, puta ſole. Non enim talia corpora

illuſtrarentur, niſi haberent inclinationem ad hoc. In ſumma, quæ eſt affinitas inter potentiam & actum, ea eſt inter corpora, quæ perſpicua uocantur, & ſolem, aut ſimile. Magnam uerò eſſe affinitatem inter actum & potentiam, notum eſt. Eadem enim eſt natura ligni, quatenus eſt menſa potentia, quæ eſt naturæ menſæ: quantum ad materiam tamen attinet, non quantum attinet ad formam. Alia enim eſt ligni forma, alia menſæ, cum eadem ſit materia utriusque. Democritus errauit, quando putauit, lumen ferri gradatim inter terram, & hoc quod claudit mundum. In puncto enim temporis lumen ſpargitur ab oriente in occidentem, & occupat totum hemiſphærium. Et quidem ſenſui repugnat hæc opinio. Præterea lumen eſſe uelut colorem quendam perſpicui corporis, Ariſtot. docet in libro quem ſcripſit de Coloribus, ubi dicit, lumen ignis colorem eſſe. Tenebræ ſunt priuatio luminis, id eſt, potentia illa perſpicui. Perſpicuum autem, eſt qualitas quædā non unius corporis propria, ſed multorum cōmunis, ſiue de actu intelligas, ſiue de potentia. Tenebroſus enim aer eſt potentia luminoſus, præſente autem lumine fit actu luminoſus, & induit naturam illam, ſeu qualitatem ſolis, aut ignis, aut ſimilis corporis actu, quam prius habuerat potentia.

Quid ſit medium.

Ariſtoteles adeò non per tactum fieri ſenſum exiſtimat, ut quintum etiam ſenſum, qui propriè tactus dicitur, à tangendo excludat. Quod cur, & quomodo faciat, indicabimus ſuo loco. Medium autem uniuſcuiuſq; ſenſus eſt corpus inter ſenſorium, id eſt, inſtrumentum ſentiendi, & ſenſibile. In nullo enim ſenſu ad efficiendam ſenſionem tam propè coniunguntur ſenſorium & ſenſibile,

ſenſibile,ut inter ſe tangăt.Inter uiſum & uiſibile,quod eſt color,interponitur corpus perſpicuum actu:ut aer, aut aqua,aut ſimile.Nec tangit oculum color,ſed perſpicuum corpus mouet,& tangit oculum:color autem tangit,& mouet perſpicuum. Sentire enim, pati quiddam eſt.Eſt itaque medium uiſus corpus perſpicuum actu,indefinitum tamen,ſeu quod per totam ſui ſubſtătiam recipit colorem,quanquam incertum pro eo:ac ipſum non eſt finitum,ſeu terminatum,ſed uagum tanquam, & inconſtans,quod ad lumen ſeu colorem attinet.

Quid ſit color.

Color eſt extremitas perſpicui,in corpore definito. Sic definit colorem Ariſtoteles in libro, de Senſu & ſenſili.Sed ipſius uerba hæc ſunt: ὥστε χρῶμα ἂν εἴη τὸ τοῦ διαφανοῦς ἐν σώματι ὡρισμένῳ πέρας. *Hæc definitio ut intelligi poßit,ſciri debet differentia inter corpus definitum,& corpus indefinitum.Videtur autem Ariſtoteles paulò aliter hæc uocabula in hac diſputatione uſurpaſſe,quàm uſurpauit in libris de Generatione & corruptione.Iſthic enim finitum & infinitum pro ratione ſubſtantiæ,ſeu primarum qualitatum in ſimplicibus corporibus accepta ſunt:hoc eſt,pro eo quòd aut facilè conſiſtunt,aut non facilè conſiſtunt, & ipſa fulcire ſe & ſuſtentare ſuis magis uiribus poſſunt, aut non poſſunt. Hic finitum ſignificat, quod non totum tranſmittit lumen,ſeu colorem,ſed propter denſitatem,aut aliam cauſam non præbet lumini tranſitũ,ſed in extremitate modo illuminatur,ſeu coloratur. Atque ita finitũ & infinitum in hoc loco ad lumen referũtur,nõ ut in lib.de Generat. & corrup.ad duriciem & molliciem,humiditatem & ſiccitatem.Ac ſunt infinita corpora,quæ tota pellucent*

præſente ſole, aut igneo aliquo corpore, ut ſunt aer, aqua, & ſimilia. Definita, quæ tantùm in extremitate non tota pellucēt. eſt enim id color in definito corpore, quod eſt in infinito lumen. Infinitū autem intelligi debet, ut in hac diſputatiōe accipitur. Et lumē iam antea dictū eſt, eſſe uelut colorē quendā perſpicui, ſed incertū & inconſtātem: ſicut ipſum corpus eſt pro ratione luminis, quod recipit. Atq; id teſtatur Ariſtoteles his uerbis: φαίνεται δὲ καὶ ἀὴρ καὶ ὕδωρ χρωματιζόμενα. καὶ γὰρ ἡ αὐγὴ τοιοῦτόν ἐστι, ἀλλ' ἐκεῖ μὲν διὰ τὸ ἐν ἀορίστῳ οὐ τὴν αὐτὴν ἐγγύθεν, καὶ προσιοῦσι, καὶ πόρρωθεν, ἔχει χρείαν οὔθ' ὁ ἀὴρ, οὔθ' ἡ θάλαττα. Pythagorici putauerunt, colorē ſuperficiem eſſe. Ariſtoteles non extremitatem, ſed aliquid in extremitate eſſe colorem dicit: & quidem perſpicui extremitatem in corpore finito, ſeu perſpicuum ipſum in corpore finito: hoc eſt, lucidum extremum corporis, non niſi in termino, ſeu extremo perſpicui. Hæc eſt proculdubio Ariſtotelis ſententia, quam etiam hæc eius uerba, ſi rectè conſiderentur, ſatis confirmant: δῆλον ἄρα, ὅτι τὸ αὐτὸ κἀκεῖ, κἀνθάδε δεκτικὸν τοῦ χρόας ἐστὶ, τὸ ἄρα διαφανὲς, καθόσον ἐνυπάρχει τοῖς σώμασι, ὑπάρχει δὲ μᾶλλον, καὶ ἧττον, ἐν πᾶσι χρώματος ποιεῖ μετέχειν. Sicut autem in corporibus omnino pellucentibus iam lux, iam tenebræ ſunt, & hæ ſunt priuatio, illa habitus: ita in alijs corporibus album eſt, & nigrum. Albū enim uelut lux eſt in corporis finiti extremo, nigrum contrà tenebræ ſunt, ſeu priuatio in extremo eiuſdem corporis. Præterea hi colores ſunt initia reliquorum colorum omnium, utpote ex quibus omnes alij componuntur. Sicut ex dulci & amaro conſtituuntur alij ſapores, ita ut alij colores ſint tantum miſtio quædam horum duorum colorum

lorum partim per proportionem, partim ſine propor-tione: & ut Ariſtoteles inquit, καθ' ὑπεροχήν τινα, καὶ ἔλλειψιν ἀσύμμετρον. *Quod etiam in miſtione uocū fieri ſolet. Nam aliæ illarum ſunt concētus, ut* δίτονος, διαπέντε, διατεσσάρων, διαπασῶν: *& aliæ non ſunt concen-tus, ut ſecundæ, ſeptimæ, & his proportionales. Eſt etiā alius modus generationis colorum, qui fit, quando co-lores ponuntur alij ſuper alios, & alij per alios cer-nuntur. atque hoc fit tum à natura, tum ab arte, ut cùm pictores alijs alios illinunt, & ignis per ſe can-didus in fumo puniceus apparet. Album autem eſt lux quædam ſimplicium corporum, magis tamen frigido-rum & humidorum, quàm calidorum & ſiccorum. Ariſtoteles enim in libro de Coloribus, igni flauum colorem tribuit, quanquam in his diſputationibus al-bum ei tribuit. Sentiendum autem eſt, quòd colores naturam primarum qualitatum ſequantur. Nigrum ita Ariſtoteles in eodem libro deſcribit:* τὸ δὲ μέλαν χρῶμα συμβαίνει γίνεσθαι, ὅταν ὁ ἀὴρ καὶ τὸ ὕδωρ ὑπὸ τοῦ πυρὸς διακαυθῇ. διὸ καὶ πάντα τὰ καόμενα μελαίνεται, καθάπερ ξύλα, καὶ ἄνθρακες, σβεσθέντος τοῦ πυρός. *Porrò quemadmodum albū & nigrū ſunt elementa co-lorum, ita ſpecies eorum ſeptem ab Ariſtotele nume-rantur: album, nigrum, & horum media, puniceum, pur-pureum, uiride, cæruleum, atque ex his cōpoſiti, qui ſunt reliqui omnes colores. Quanquam enim medij quoque quatuor ex albo & nigro cōſtant, tamen quia ſunt cer-tiores reliquis, & medium quiddam inter album & ni-grum obtinent: ideo puto inter principales cum albo & nigro ab Ariſtotele poſitos eſſe, aut quia ſine medio, & proximè hi quatuor ex albo & nigro fiūt: reliqui ex his*

quatuor,

quatuor, non ex albo & nigro ſine alio motu & mutatione præcedente conſtant. Teſtantur hoc colores, quibus hodie quoque pictores paratis utuntur, & inter pingendum reliquos ex his, cùm opus eſt, faciunt. Quanquã aliud eſt principia colorum eſſe, aliud ſpecies. Hæ itaque, & tot ſunt colorum ſpecies.

Quid ſit auditus.

Auditus eſt potentia percipiens & dijudicans ſonos: nam ſonus eſt obiectum huius ſenſus. Mediũ eius eſt aer etiam, non tamen internus, ſed externus. Habent enim aures intus collocatum aerem inmobilem, ad hoc, ut impulſus ab externo aere, ſentiat omnia ſonorum diſcrimina. Huic eſt prætenſa pellicula, ſicut fit in oculis. Igitur moto externo aere, & unà eo qui eſt in aure, efficitur actu auditus. quod non poteſt fieri, niſi aer motus nõ ſit diſperſus, ſed unus & continuus pertingat in aurem. Quod accidit, quando colliduntur duo ſolida corpora, & ſonandi uim habentia: necnon ictus præcurrit aeris diſsipationem. Sunt autẽ ſonatiua corpora ſolida & leuia, ut æs, uitrum, lapis: maximè autem ſunt talia, cũ ſunt concaua. Ibi enim crebrò ictus repercutiũtur, propterea quòd aer impulſus nõ poteſt exire ex cõcauitate corporis: qualia ſunt tintinabula, & alia eiuſdem generis. Præterea corpus, unde fit repercuſsio aeris nõ diſsipati et cõtinui, debet eſſe læue. Quia læue eſt planũ aut equale, & unũ eſt planum eius quod eſt læue, unúmq; de uno fieri conſentaneũ eſt rationi. Sonum autẽ eſſe motũ aerem unum continuum, nõ diffuſum per duorũ corporum ſolidorum colliſionem, hæc Ariſtotelis uerba declarãt: δεῖ στερεῶν πληγὴν γενέσθαι πρὸς ἄλληλα, καὶ πρὸς τὸν ἀέρα. τοῦτο δὲ γίνεται, ὅταν ὑπομένῃ πληγεὶσ ἀὴρ, καὶ μὴ

διαχυ

διαχυθῇ, διὸ ἐὰν ταχέως καὶ σφοδρῶς πληγῇ, ψοφεῖ. δεῖ γὰρ φθάσαι τὴν κίνησιν τοῦ ῥαπίζοντος, τὴν θρύψιν τοῦ ἀέρος. ὥσπερ ἂν εἰ σωρὸν ἢ ὁρμαθὸν ψάμμου τύπτοι τις, φερόμενον ταχύ. *Idem paulò pòſt repetit & addit, reſilire totum aerem tum ex percuſſo, tum ex percutiente corpore.* Et *hæc quidẽ de hac re* Ariſtoteles *tradidit.* Non *autem tantum per talium corporum colliſionem, & aeris ab eis repercuſsionem fit ſonus, ſed impulſo uehementer aere ab uno etiam corpore: & quidem alio aere aliquando, idque tum per uerberationem, ut cùm uirga feritur aer celeriter: tum per expreſsionẽ, ut cùm ſpiritus ex ueſica, aut alio corpore per anguſtum meatum expellitur: denique per receptionem concitatam, ut cũ aer ab homine per ſtrictum os, & uelociter attrahitur, aut in pixide extracto profundius immiſſo operculo, ſi nõ poſsit multum aeris intrare interim dum educitur, certè ſonus excitatur.* Fit *etiam ſonus, quando ipſe aer inuectus in aliquod denſum corpus reſilit, & concuſſus totus concutit unà aerem internum.* Dixi, *aerem eſſe medium auditus.* Quod *tamen non eſt medium ea ratione, qua ratione medium eſt uiſus.* Viſus *enim medium eſt, quatenus eſt perſpicuus aer: auditus autem, propter aliã qualitatem, quæ non habet nomen apud* Ariſtotelem. Nonnulli *Græci autores finxerũt nomen, ut docet* Themiſtius, *& appellauerunt eam qualitatem* διηχὴν, *à perſonãdo, ſicut* διαφανὲς *habet nomen à perlucẽdo.* Echo *autem eſt repulſio ita moti aeris ab alio aere, qui etiam eſt unus, totus, non diffuſus, propter aliquod uas, aut denſum corpus, à quo continetur.* Et *fit maximè, quando corpus illud eſt concauum.* Hinc *eſt, quod plerunque in uallibus, ad fornices, aut arcuata ædificia, ſeu camerata,*

plerun

plerunque ſic reſilit & duplicatur ſonus. Id etiam *Virgil.pulchrè ſignificat:Aut ubi concaua pulſu ſaxa ſonant,uociſque offenſa reſultat imago.* Quanquam *enim à ſonando nomen habet* Echo(*ἠχῶ ſono eſt Græcis*)*tamen figuratè non proprium ſonum,aut primum:ſed repulſum,& ſecundum ſonum ſignificat.* Sicut *enim umbra eſt lux repercuſſa,ita echo eſt ſonus repercuſſus, & uelut umbra ſoni.* Quanquam *lucis plures ſunt repercuſsiones,ſeu gradus,quàm ſoni.* Et *quidem* Ariſtoteles *probabiliter dicit,in omni ſono fieri echo, etiamſi non ſemper audiatur.*Neceſſe *eſt enim,aerem unum aliquem concuſſum alicunde:uel ab alio aere, qui non unà impellitur,propter longinquitatem reſilire.* Quemadmodum *uidemus in agitatione aquæ fieri.*Refluit *enim, quod eſt motum uno impetu.* Sed *integrum locum de* Echo *ſubijciemus,qui extat in ſecundo libr.de* Anima: ἠχὼ δὲ γίνεται, ὅταν ἀπὸ τοῦ ἀέρος ἑνὸς γινομένου, διὰ τὸ ἀγγεῖον τὸ διορίσαν, καὶ κωλύσαν θρυφθῆναι, πάλιν ὁ ἀὴρ ἀπωσθῇ, ὥσπερ σφαῖρα. ἔοικε δὲ ἀεὶ γίνεσθαι ἠχὼ, ἀλλ' οὐ σαφὴς, ἐπεὶ συμβαίνει γε ἐπὶ τοῦ ψόφου, καθάπερ καὶ ἐπὶ τοῦ φωτός. καὶ γὰρ τὸ φῶς ἀεὶ ἀνακλᾶται. οὐ γὰρ ἂν ἐγίνετο πάντη φῶς, ἀλλὰ σκότος ἔξω τοῦ ἡλιουμένου. Porrò *non ſimiles ſunt omnes ſoni,ſed habent ſua diſcrimina,ſicut de obiectu uiſus eſt indicatum.* Sunt *autem ſpecies ſonorũ,graue,acutum,& quæ ſunt inter hæc media. conſtant enim ex acuto & graui omnes reliqui ſoni, ſicut ex albo & nigro alij colores.* Sic *autem acutũ definit* Ariſtoteles, *ut ſit,quod multum mouet auditum in paruo tempore.* Graue *autem contrà,quod parum mouet auditum in magno tempore.*Et *ſunt hæc uocabula per translationem ab ijs quæ tanguntur ſumpta.* Nam *iſta propriè*

dicun

dicuntur grauia & acuta non ſoni. Poſtremo uox eſt ſonus animalis, non autem quiuis, ſed qui fit cum aliqua imaginatione, & aliquid ſignificat. Vis enim quædam animæ exiſtens in pulmone attrahit aerem propterea quoque, ut expreſſus iterum edat ſonum, qui aliquã affectionem animantis declaret. Non tamen hic uſus reſpirationis eſt proprius. ſed ut lingua principaliter propter guſtum eſt facta in animantibus, tametſi ad ſermonem etiã eius eſt uſus, & quidem neceſſarius: ita pulmo, qui attrahit ſpiritum, ad temperandum cordis colorem eſt conditus à natura præcipuè, & tamen niſi haberent eum animalia, non poſſent quoque talem ſonum edere, qui uox dicitur. adeóque propter hanc etiã cauſam pulmo eſt, minus tamen, quàm propter illam. Sic deſcribit Vocem Ariſtoteles, cuius inter pleráque alia hæc ſunt uerba: ὥστε ἡ πληγὴ τοῦ ἀναπνεομένου ἀέρος ὑπὸ τῆς ἐν τούτοις τοῖς μορίοις ψυχῆς πρὸς τὴν καλουμένην ἀρτηρίαν φωνή ἐστι. *Idem autor in quarto lib. de Natura animalium clarius de hoc diſcrimine Soni & uocis docet: & dicit, quòd uox ſit tantum iſte ſonus, qui editur per pulmonem, & aſperam arteriam, quam etiam* φάρυγγα *uocat. In eodem loco hoc etiam ſcribitur, quòd reliquorũ animantium, quæ carent pulmone, ut inſectorum & piſcium, non ſit uox, ſed ſonus, quem dicit effici attritu interni ſpiritus ad pelliculam ſubiectam præcordijs. Sermo autem ab his omnibus differt. & ſic ibi etiam definitur:* διάλεκτος δ' ἡ τῆς φωνῆς ἐστι τῇ γλώττῃ διάρθρωσις. *Et additur clarior deſcriptio eius tum per partes ex quib. conſtat, tum per inſtrumenta illarum partium:* τὰ μὲν οὖν φωνήεντα ἡ φωνὴ, καὶ ὁ λάρυγξ ἀφίησι. ὅσα δ' ἄφωνα, ἡ γλῶττα, καὶ χείλη, ἐξ ὧν ἡ διάλεκτός ἐστι.

Quid

Quid ſit olfactus.

Initio huius loci hoc ſciri debet, Ariſtotelem hunc ſenſum in diſputatione de Anima attigiſſe tantùm, non explicauiſſe: ſed hoc feciſſe eum in libro de Senſu & ſenſibili. Quæ autem in ſecundo libro de Anima ſunt hac de re annotata, hæc ferè ſunt: Difficilem eſſe huius ſenſus cognitionem, quòd ſit incertus, & infirmus in homine. Incertum autem eſſe, inde cognoſci poſſe, quòd ſine dolore aut uoluptate homo non poßit odorari: ſicut animalia quibus ſunt duri oculi, ut cancri, non poßint uidere ſine talibus affectibus, ſimili de cauſa, quòd habeāt imbecillem uiſum. Præterea cognatum eſſe hunc ſenſum cum guſtu, & omnia in his duobus ſenſibus in quadam proportione inter ſe uerſari, adeò ut nomina odorum ex nominibus ſaporum ſumpta ſint, quod ex ſequentibus planum fiet. Item tactum eſſe certißimum ſenſum in homine, ac propterea hoc animal eſſe prudentißimū. Certißimum autem hunc ſenſum eſſe, ſic probat. Sed ipſius uerba ponam, quòd in ſcholis Peripateticorum prodogmate uſurpentur: οἱ μὲν γὰρ σκληρόσαρκοι ἀφυεῖς τὴν διάνοιαν. οἱ δὲ μαλακόσαρκοι εὐφυεῖς. Deinde hic & duplicia quodammodo obiecta eſſe oſtenditur, ſicut ſint in alijs ſenſibus. Non enim tantum odorabile percipit odoratus, ſed inodorabile quoque: alterum tamen per ſe, alterum per accidens, ut rectè etiam Themiſtius monuit. Sic ſenſus tum habitum, tum priuationem etiam aliquo modo ſentiunt. Oſtēditur ibi & hoc, quòd homo & alia animalia quæ habent pulmonem, ſeu ſpirant, nec expirando, nec continendo ſpiritu olfaciant, ſed reſpirando, hoc eſt, attrahēdo ſpiritum: eſt propterea hæc animantia non ſpirare poſſe in aqua. Piſces autem, & ſimilia

percip

percipere quidem odorum diſcrimina, quanquam non ſpirent, nec habeant ſimile hoc ſenſorium hominis & ſimilium animalium olfaciendi ſenſorio. Quemadmodum ſenſorium uidendi non ſit eiuſdem modi in omnibus animalibus, ſed in alijs aliud durius, aliud mollius. Et in hominibus ac ſimilibus animalibus inſtrumentum odoratus tectum eſſe operculo, quod intrante ſpiritu aperiatur, in alijs non eſſe tectum. Ideóque piſces, qui ſint tales, olfacere in aqua, cum ſpirantia animalia nō poßint hoc facere. hæc tantum in diſputatione de Anima traduntur. Reliqua continentur in altera diſputatione de Senſu & ſenſibili, quæ etiam breuiter pro mea conſuetudine percurram. Vt autem exordiar à definitione: Olfactus eſt potētia, qua ſentit anima odores, & diſcrimina eorum. Hæc etiam definitio, ſicut præcedētes, potentiam & obiectum cōplectitur, quæ ſunt in ſenſibus præcipua. Nam quod ad medium attinet, quod eſt aer uel aqua, ſimilis eſt ratio cum ijs quæ de uiſu & auditu ſunt tractata: niſi quòd alia qualitas eſt aeris aut aquæ, quatenus odores uehit, ut ſic dicam: ac eſt, quando coloratur in lumine, aut ſonat impulſus. Eam uocari à nonnullis interpretibus διοσμὸν, Themiſtius author eſt. Vox non eſt in Ariſtotele, ſiut ſuprà diximus περὶ ψυχῆς. Quāquam idem ſignificat ille philoſophus in hac diſputatione, cùm ait: κοινὸν γὰρ κατὰ τούτων νῦν μὲν λεγόμενον τὸ διαφανές. ἐστὶ δὲ ὀσφραντὸν οὐχ ᾗ διαφανὲς, ἀλλ᾽ ᾗ πλυντικὸν, καὶ ῥυπτικὸν ἐγχύμου ξηρότητος. Hanc autem potentiam in naribus exiſtere, nôrunt omnes. Reſtat itaq; dicēdum de Odore, quem ſic Ariſtoteles definit: εἴη ἂν ἡ ἐν ὑγρῷ τοῦ ἐγχύμου ξηροῦ φύσις ὀσμή. Vacat etiam πάθος, quod φύσιν appellat. Quod enim non ſit uel uapor, uel exhalatio, uel ali-

quid ex utroque conſiſtens, quod multi ucterum putauerunt, ſic probat Ariſto. Vapor, inquiens, eſt ex aqua, id eſt, humidum quiddam. Iam experientia quoque teſtatur, ſiccum quiddam eſſe odorem, non humidum: & eodem modo fit odor, quo fit ſapor: quem à ſicco eſſe, in diſputatione de Guſtu indicabitur. Et piſces in aqua olfaciunt, ubi exhalatio non poteſt locum habere. Deinde exhalatio eſt uelut defluxio quædam, cuius uocis etiam eſt ſuprà facta mẽtio, unà cum Græca, que eſt ἀπόῤῥοια. quod ſi non eſt exhalatio, & defluxio non poteſt rectè dici. Sequitur ergo, quòd odor ſit qualitas, ſeu affectio quædam humidi à ſicco ſapido facta per calidum, habens uim alterandi olfactum: ut quod erat potentia, actu nunc ſit. Idq́; non tantum definitio, quæ eſt in Ariſtotele, ſed tota diſputatio de utroq; ſenſu, olfactu & guſtatu oſtendit. ἔγχυμον autem ſiccum, id eſt, ſapidum, uocat Ariſtoteles, quod eſt coniunctum cum natura ſaporis. Sunt enim hi duo ſenſus proportionales, & utriuſque obiectum eſt ſiccum in humido mutato. Quod ſic debet intelligi, ne putemus qualitates iſtas exiſtere ſine materia aut corpore, quanquam non corpus aut materia uel ſola, uel cum qualitatibus mouet ſenſus, ſed tantùm qualitates. Formæ enim obiectorum à ſenſibus recipiuntur, ſine materia: ſicut ab annulo imago tãtum in ceram imprimitur, non aliquid unà uel de auro, uel argento, uel alia materia, unde conſtat annulus. Hinc etiam apparet, non ſatis cautè, aut Ariſtotelicè à quibuſdam fieri, qui ſeparant odorem à ſapore, ita, ut dicant odorem ſiccum eſſe in humido, ſaporem contrà humidum in ſicco. Sed afferamus hac de re manifeſtum teſtimonium Ariſtotelis. Sic ille inquit: δῆλον ἄρα ὅπερ ἐν τῷ ὕδατι χυμός,

τοῦτ'

τοῦ τ' ὄντῳ ἀέρι καὶ ὕδατι ἡ ὀσμή. Præterea ſapidum eſſe hoc ſiccum, de quo loquimur, argumento eſt, quòd ea corpora quæ non ſunt prædita ſapore, nõ olent etiam ut ſunt, aer & aqua, & reliqua ſimplicia: item lapis, aurum, ſcoriæ æris non habent odorem, quia carent ſapore. Cætera ſunt olida, quia ſunt ſapida. Præterea duplex eſt odor. Nã & nutritiuus eſt opor, ſeu cõmunis reliquis animantibus cũ honore, & eſt proprius homini. Prior, quatenus adiuuat ſaporem, & unà cum eo irritat gulam, & delectat comedentes & bibentes, in rebus eſt, ſecundum accidens tamen. Nam hæc propria ſunt ſapori. & habet hoc genus odorum ſpecies pro ſaporum ſpeciebus: nec eſt gratum, niſi cibum aut potum appetentibus. Poſterior per ſe uoluptatis eſt effector, & non habet hoc ex ſaporibus. Tales ſunt roſæ, amaracini, & ſimilium rerum odores, qui uoluptatem & delectationem afferunt ſaturatis quoq; nunc cibo & potu. Id quòd etiã probat, hoc genus odorum diuerſum eſſe ab illo altero. Additur ab Ariſt. cauſa quoq;, cur genus odoris ſit homini datũ à natura. Eſt autem frigus cerebri, quod tali odore opus habet ſæpe, ut calfiat. Habet enim odor calfaciendi uim. Sed obijciatur de alijs animalibus, quod illorum etiã cerebrum ſit frigidum. Reſpõderi poteſt, aut non tãtam curam habuiſſe naturam de alijs animalibus, quantã de hominibus habuit: aut quod eſt φυσικώτερον, & tum in hoc loco Ariſto. tum in libris de Animalibus dicitur, homini pro ſua magnitudine maximum eſſe & humidiſſimum cerebrum inter omnia alia animalia. Ex eo etiam eſt, quòd crebris diſtillatibus capitis homines laborant. Nam quando iſtuc aſcenderunt uapores de cibo, reſoluuntur facile in humiditatem, propter loci eius

frigiditatem. Sicut in aere fit,quando pluit. Atque ita non tam ad ſuauitatem,quàm ad utilitatem,ſeu,ut Ariſtoteles ait,πρὸς βοήθειαν ὑγιείας: tantùm facti ſunt hominibus tales odores.Quanquā interim magna quoq; ſuauitate perfundunt nares, & recreāt & corroborant cerebrum ac ſpiritus,ut medici uolunt. Sub finem hæc duo etiam monſtrantur.primū eſt, quòd olfactus ſit medium quiddam reliquorum ſenſuū: ſecūdum, malè neſcio quos Pythagoricos putaſſe,nōnulla animantia tantū ali odoribus.Idem de gente quadam Aſtomis Plinius ſcribit.& ſunt hi à Luciano irriſi in Veris narrationibus. Dictum eſt ſuprà ex Ariſtotele,quòd nomina odorum ex nominibus ſaporum ſumpta ſint. Hoc tamē ita intelligi debet, ut non excludatur conſuetudo linguarum. In alijs enim plura,in alijs pauciora nomina ab altero ſenſu ad alterum transferuntur. Quanquam in ratione & natura nullum eſt impedimentum:& huc fortaſſe reſpexit Ariſtoteles. Non temerè dicitur Latinè dulcis odor, ſuauis tamen dicitur: ut Virgil. Atque alijs intexens ſuauibus herbis. Et, Sic poſitæ quoniam ſuaues miſcetis odores. Alibi tamen dicit: Dulci aſpirans complectitur umbra. ubi Dulce nuſquam referri poteſt melius, quàm ad hunc ſenſum.Ita Plinius,cum ait,Flores triti omnes amariores quàm intacti:nō de ſapore,ſed odore loquitur.Quomodo enim intacti flores efficerent guſtationem? Quid autem is autor uocet ignauum ſaporem,clarè oſtendunt hæc eius uerba? Quorundam flos tantum iucundus,reliquæ partes ignauæ,ut uiolæ ac roſæ.De acuto ita nihil dubito,quin ſit,qui celeriter & fortiter mouet, ſine ſatietate aut faſtidio: quemadmodum grauis eſt Plinio, qui tardius mouet, ac minus eſt ſuauis, aut potius facile

ſatiat,

ſatiat, ac efficit faſtidium, propter aduſtionem quandam. Ille eſt in humidis etiam, hic in ſiccis tantum. ac eſt metaphora impropria, & paulo alia in his uocabulis hic apud Plinium, quàm in obiectis auditus, ut oſtendunt præcedentia. Verùm adſcribamus, quod Plinius de hoc odore dicit: Acutus odor non omnium ſine ſucco eſt, ut uiolæ, roſæ, croci. Quæ uerò ex acutis ſucco carent, eorum omnium odor grauis, ut in lilio utriuſque generis. Atque ita in eodem poſſunt eſſe acutus & grauis, ſecundum Plinium. His admoniti adoleſcentes, obſeruent ipſi odorum appellationes in ueteribus autoribus.

Quid ſit guſtus.

Guſtus eſt potentia ſentiendi, & diſcernendi ſapores. Inſtrumentum autem huius ſenſus eſt lingua, quæ nec humida eſſe, nec ſicca debet, ad hoc ut ſapores percipiat. In quo enim ſapores ſunt, id humidũ eſt actu. Nam odores non ſemper ſunt in eo quod eſt actu humidum: aut certè actu etiam eſt humidum hoc, non tamen fluidum, ut illud eſt. Iam autem, ſicut in alijs ſenſibus potentiæ organum neutrum eſt, & uelut medium horum quæ percipit, id eſt, obiectorum: ut oculus percipiens album & nigrum, eſt potentia utrunq;, id eſt, neutrum, ſeu medium: ita guſtus inſtrumentum potentia tantum eſt, id quod percipit. Et ſic quidem Ariſtoteles de hac re ſcribit. Mihi autem uidetur in hoc etiam ſenſu potentia, aut inſtrumentum ſenſus, melius ad obiecta accommodari, quàm ad id in quo eſt obiectum, aut quod eſt uelut pars obiecti: ut guſtus ſit dulce & amarum potentia ſicut uiſus eſt album & nigrum potentia. Non enim uidetur eſſe cauſa, cur in hoc ſenſu id ſit, in illo non ſit. Porrò Ariſtoteles ſic probat, linguam nec humidam eſſe per.

ſe, nec ſiccam, quòd ad ſentiendum attinet: quia, inquiens, nec arida, nec præhumida aliquid ſentit. Et inde *eſſe, quòd ægrotis omnia uideantur amara eſſe, cũ lingua eorum plena ſit humiditate amara. quod etiam medici docent.* Deinde, *prægustato forti ſapore, alterum aut non ſentiri, aut ſimilem priori. atque ſic eſt argumentatus ab experiẽtia.* Porrò *in eadem diſputatione medium etiam huius ſenſus facit linguam, ita ut idem ſit ſenſorium & medium, diuerſa tamen ratione.* Inſtrumentum *enim eſt, quod ad uim illam, ſeu potentiam latentem intus attinet: medium, quod ad carnem & corpus denſum, quod eſt caro linguæ, attinet.* Atque *his expreſſis uerbis in diſputatione de* Tactu *hanc ſuam ſententiam eſſe indicat:* ὅλως δ' ἔοικεν ἡ σὰρξ, καὶ ἡ γλώσσα, ὡς ὁ ἀὴρ, καὶ τὸ ὕδωρ πρὸς τὴν ὄψιν, καὶ τὴν ἀκοὴν, καὶ τὴν ὄσφρησιν ἔχουσι, οὕτως ἔχειν πρὸς τὸ αἰσθητήριον, ὥσπερ ἐκείνων ἕκαστον, αὐτοῦ δὲ τοῦ αἰσθητηρίου ἁπτομένου οὔτ' ἐκεῖ, οὔτ' ἐνταῦθα γένοιτ' ἂν αἴσθησις, οἷον εἴ τις σῶμα τὸ λευκὸν ἐπὶ τοῦ ὄμματος θείη τὸ ἔσχατον, ἢ καὶ δῆλον, ὅτι τὸ ἐντὸς ἁπτοῦ αἰσθητήριον. Obiectum *huius ſenſus proprium eſt ſapor.* Impropria *obiecta quodammodo ſunt, inſipidum, & prædidum ualde magno ſapore.* Nam *hic etiam uelut inſipidum eſt quiddam, alio tamen modo, quàm inſipidum: id eſt, priuatio ſaporis, propterea quòd ſenſibile magnum corrumpit ſenſum, nec poteſt ab eo iudicari, ut lumen ſolis, aut ſplendor fulminis uiſui facit, aut ſonus bombardarum magnarum aliquando in uniuerſum aufert auditum. Suprà tantum de priuatione hoc eſt dictum. ſed in huius ſenſus tractatione addit etiam* Ariſtoteles *ingens ſenſibile, & comparat hoc cum paruo ſenſibili. non quòd uel magnum ſenſibile (niſi extinguat ſenſum) uel paruum*

prorſus

prorſus non ſentiatur ,ſed quod ægrè ſentiatur, atque ideo aliquo modo eſſe inſenſibile utrumque. Et *hac ratione quidem differunt hæc à priuatione,quam appellat ibi philoſophus* πεφυκὸς μὴ ἔχον. *Saporem autem Ariſtoteles definit his uerbis:* καὶ ἐστὶ τοῦτο χυμὸς, τὸ γινόμενον ὑπὸ τοῦ εἰρημένου ξηροῦ πάθος, ἐν τῷ ὑγρῷ τῆς γεύσεως, τῆς κατὰ δύναμιν ἀλλοιωτικὸν εἰς ἐνέργειαν. *id eſt,* Et *eſt ſapor affectio facta in humido dicto alteratiua guſtus,qui eſt potentia in actum.* Dixerat *autem ſiccum id terrenum lotum in humido, aut per quod colatum ſit humidum.ſicut quando colores,aut ſapores in aqua lauentur, uel aqua per ſalſam aut amaram terram percoletur. Tunc enim contrahi ab aqua uel calorem, uel ſaporem,pro coloris & terræ illius natura.Idqúe ita eſſe declarant ſenſus ipſi, qui hoc percipiunt, & indicare poſſunt.Docet idem quoq; Theophraſtus, qui fuit Ariſtotelis auditor,in 6.lib.de Cauſis plantarũ,his quidem uerbis: Sapor enim partis ſiccæ, terrenæqúe in humore miſtio eſt, uel partis ſiccæ per humorem ex ui caloris colatio. Idem ferè dicit etiam de odore,cũ addit:Odor autem eſt partis ſiccæ ,ſapidæ in tranſlucido corpore miſtio. Id enim aeris atque aquæ commune eſt. Eadem prmè ſaporis & odoris affectio eſt, ſed non in eiſdem trumq; perficitur.Hunc locum eo libentius citaui,quòd eiam ad diſputationem de Olfactu pertinet, atq; clarè d utroque hoc ſenſu exprimit Ariſtotelis ſententiam. Cæterùm hanc mutationem efficit natura (de naturalibu enim rebus eſt hic diſputatio)per calorem,tanquam perinſtrumentum,ſicut & hæc Ariſtotelis uerba oſtendun,* οὕτω καὶ ἡ φύσις τὸ ξηρὸν, καὶ τὸ γεῶδες, *& illa Theophraſti. Quod autem neque omnis generis ſapores in*

aqua inſint, quanquam propter exiguitatem inſenſibiles, neq; aut omnium ſaporum, uelut materiam, ſeu quandam illorum ut aliarum omnium rerum, πανσπερμίαν eſſe aquam, aut tantùm à calido eos in aqua effici, ſic Ariſtoteles probat. Primò, quòd & in ſolem poſiti fructus, aut ad ignem cocti, & exhalato ex eis humido, mutent ſapores, aut uarios ſapores recipiant: quod non fieret, ſi ex aqua, aut tantùm in aqua ſapores eſſent. Secundò ex iiſdem rebus, & alijs quidem, quàm eſt aqua, diuerſos ſapores efficit. Tertiò ita probat, aquam eſſe omnium liquorum tenuiſsimum, quòd non ab igne, aut alio calore condenſari poſsit, ac ſapores craſſum quiddam habeant. Quod autem ſit aqua humor tenuiſſimus, indicat exemplum etiam medicorum, qui ſuis potionibus, quibus molliunt, aut coquunt noxios humores; & ad expellendum idoneos faciunt, aquas admiſcent ideo, ut facilè & citò peruehantur potiones ad membra quibus mederi uolunt. Reliquum eſt ergo, ſaporem eſſe, quod antea dictum eſt, ſiccum à natura inditum humido per calorem. Siccum autem non quodlibet intelligendum eſt, ſed illud tantùm, quod uim habet nutriendi. Quod cùm hoc oſtendit, quòd ſapores ſunt nutriendi cauſa excogitati à natura, tum quòd nec humidum eſt abſque ſicco, nec ſiccum abſqu[e] humido in alimento: & hoc ideo, quia non aluntur ani[-]malia ſimplicibus corporibus, ſed compoſitis, ſic[ut] monſtratur in diſputatione de Generatione & co[r]ruptione. Porrò cibi faciunt in corporibus animantium non tantùm augmentum, ſed decrementum: alterum per calidum, alterum per frigidum. Calidum enim attrahit leue, & extruit alimentum, relinquit graue.

Quare

Quare etiam dulce nutrit, non amarum & ſalſum. Illud enim leue eſt, hæc ſunt grauia. Et quidem dulce nutrit, quatenus eſt ſapidum, ſiue ſit purum, ſiue alijs ſaporibus admiſtum. Ideo autem dulcibus adduntur ſalſa & amara, ut ſapor iucundior fiat, & ne nimium alatur animal, aut coctio impediatur. Natat enim in ſtomacho dulce, propter leuitatem. Et hæc Ariſtoteles, qui dulci, & cognatis ſaporibus, habitum tribuit: amaro, ſalſo, & ſimilibus priuationem. Theophraſtus autē in utroq; habitum ponit, ſicut in alijs etiam cognatis ſpeciebus facit, & rectè quidem meo iudicio. Non enim eſſent propriè ſapores, quorum hoc eſt proprium munus, ſi non alerent. Aluntur autem pleræq; plantæ, amaro ſucco: ut fel terræ, abſinthium, & ſimiles. Atque egregiè Theophraſtus dicit: Semper enim natura ſuo ſubiecto ſimile alimentum reddere uult, tam in animantibus, quàm in plantis. Verùm Ariſtoteles uidetur mihi de animantibus locutus eſſe, quæ tametſi acerbis aut amaris ueſcantur aliquando, non tamen ideo ſtatim aluntur etiam.

Species ſaporis numerantur ſeptem apud Ariſtotelem, & Theophraſtum, qui dicit, etiam addi à nonnullis uinoſum. Item lactis eſſe propemodum peculiarem ſaporem. Sunt autem, dulce, amarum, pingue, ſalſum, acre, auſterum, acerbum, acidum. Octo quidem eſſent, uerùm ad amarum referri debet ſalſum. Quod cur ſit magis faciendum in his duobus, quàm dulci & pingui, non uideo. Quare aut octo rectè ponerentur, aut tantùm ſex. Ipſe enim quoq; Ariſtoteles hos coniunxit, & nihilominus tamen dicit ſeptem eſſe tantùm ſpecies ſaporum. Quæ res mouit me, ut ſuprà cum de uiſu explicarem (nam æquales numero ſunt ſpecies obiectorū in his

duobus ſenſibus, atque in olfactu etiam, ut paulo antè monitum eſt) facerem ſeptimam ſpeciem reliqua omnia obiecta, quæ ex medijs ſpeciebus componuntur. quanquam nunc ſuſpicor, nõ eſſe illam Ariſtotelis *ſententiam.* Iſtarum *ſpecierum duæ ſunt ſimplices & contrariæ, dulce & amarum: reliquæ ſunt compoſitæ, aut mediæ. ex quibus deinde fiunt infinitæ ſpecies compoſitæ.* Ideóque Theophraſtus, *putat ſpecies ſaporũ infinitas eſſe. quanquam probat etiam hunc numerum, tanquam naturæ magis conuenientem.* Et Ariſtot. *ſic probat, quòd ſint finitæ ſaporum ſpecies: in ijs quæ habẽt extrema, neceſſe eſt finita eſſe, quæ intra illa ſunt:* Senſibilia *autem omnia habent extrema, ut eſt in colore album & nigrum, in ſapore dulce & amarum (contraria enim ſunt extrema)* Ergo *ſaporum ſpecies ſunt finitæ.* Definitiones *ſingularum ſpecierũ non ſunt in* Ariſtotele. Theophraſtus Platonis *definitiones recitauit, &* Democriti. Retulit *autem* Democritus *ſaporum ſpecies ad figuras, quam opinionem reprehendunt* Ariſtoteles & Theophraſtus. Platonis *definitiones cũ ratione pulchrè cõueniunt, & approbantur à* Theophraſto, *& ſunt ductæ à qualitatibus, ſeu affectionibus ſenſuum.* Dignus *eſt totus ille* Platonis *locus, ut hîc etiam legatur, non tantùm propter magnam doctrinam, ſed etiam propter mirabilem quãdam ſuauitatem.* Sic *autem ſcriptũ eſt in* Timæo: πρῶτον μὲν οὖν ὅσα χυμῶν πέρι λέγοντες ἐν τοῖς πρόσθεν ἀπελίπομεν, ἴδι᾽ ὄντα παθήματα περὶ τὴν γλῶτταν, ἐμφανιστέον, ᾗ δυνατόν, φαίνεται δὴ καὶ ταῦτα, ὥσπερ οὖν καὶ πολλὰ διὰ συγκρίσεών τε τινῶν καὶ διακρίσεων γίγνεσθαι. πρὸς δὲ αὐταῖς κεχρῆσθαι μᾶλλόν τι τῶν ἄλλων τραχύτησί τε καὶ λειότησιν. ὅσα μὲν γὰρ εἰσιόντα περὶ τὰ φλέβια, οἷόνπερ

δοκί

δοκίμια τῆς γλώττης τεταμένα ἐπὶ τὴν καρδίαν, εἰς τὰ νοτερὰ τῆς σαρκὸς, καὶ ἁπαλὰ ἐμπίπτοντα γήϊνα μέσα κατατηκόμενα ξυνάγει τὰ φλέβια, καὶ ξηραίνει. τραχύτερα μὲν ὄντα, στρυφνὰ, ἧττον δὲ τραχύνοντα αὐστηρὰ φαίνεται. τὰ δὲ τούτων ῥυπτικὰ, καὶ πᾶν περὶ τὴν γλῶτταν ἀποπλύνοντα, πέρα μὲν τοῦ μετρίου τοῦτο δρῶντα, καὶ προσεπιλαμβανόμενα, ὥστε ἀποτήκειν αὐτῆς τι τῆς φύσεως, οἷον τῶν νίτρων δύναμις, πικρὰ πάνθ' οὕτως ὠνόμασται. τὰ δὲ ὑποδεέστερα τῆς νιτρώδους ἕξεως ἐπὶ τὸ μέτριόν τι τῇ ῥύψει χρώμενα, ἁλυκὰ ἄνευ πικρότητος τραχείας, καὶ φίλα μᾶλλον ἡμῖν φαντάζεται. τάδε τῇ τοῦ στόματος θερμότητι κοινωνήσαντα, καὶ λεαινόμενα ὑπ' αὐτοῦ συνεκπυρούμεναι, καὶ πάλιν αὐτὰ ἀντικάοντα τὸ διαθερμῆναν, φερόμενά τε ὑπὸ κουφότητος ἄνω πρὸς τὰς τῆς κεφαλῆς αἰσθήσεις, τέμνοντά τε πάνθ'. ὅσοις ἂν προσπίπτῃ, διὰ ταύτας τὰς δυνάμεις δριμέα πάντα τοιαῦτα ἐλέχθη. τῶν δὲ αὐτῶν προλελεπτυσμένων μὲν ὑπὸ σηπεδόνος, εἰς δὲ τὰς στενὰς φλέβας ἐνδυομένων, καὶ τοῖς ἐνοῦσιν αὐτόθι μέρεσι γεώδεσι, καὶ ὅσα ἀέρος ξυμμετρίαν ἔχοντα, ὥστε κινήσαντα περὶ ἄλληλα ποιεῖν κυκᾶσθαι, κυκώμενα δὲ περιπίπτειν τε, καὶ εἰς ἕτερα ἐνδυόμενα, ἕτερα κοῖλα ἀπεργάζεσθαι περιτεινόμενα τοῖς εἰσιοῦσιν, ἃ δὴ νοτίδος περὶ ἀέρα κοίλης περιταθείσης, τότε μὲν γεώδους, τότε δὲ καθαρᾶς νοτερὰ ἀγγεῖα ἀέρος ὕδατα κοῖλα, περιφερῆ τε γενέσθαι. καὶ τὰ μὲν τῆς καθαρῆς διαφανεῖς περιστῆναι, κληθείσας ὄνομα πομφόλυγας, τὰ δὲ τῆς γεώδους ὁμοῦ κινουμένης, καὶ αἰρομένης, ξέσιν τε, καὶ ξύμωσιν ἐπίκλην κληθῆναι. τὸ δὲ τούτων αἴτιον τῶν παθημάτων, ὀξὺ προσρηθῆναι. ξύμπασι δὲ τοῖς περὶ ταῦτα εἰρημένοις πάθος ἐναντίον ἀπ' ἐναντίας ἐστὶ προφάσεως, ὁπόταν ἡ τῶν εἰσιόντων σύστασις ἐν ὑγροῖς οἰκεία τῇ τῆς γλώττης ἕξει πεφυκυῖα, λειαίνει μὲν ἐπαλείφουσα τὰ τραχυνθέντα, τὰ δὲ παρὰ φύσιν ξυνεστῶτα, ἢ κεχυμένα τὰ μὲν ξυνάγει, τὰ δὲ χαλᾷ, καὶ πάνθ' ὅτι μάλιστα ἱδρύει

κατὰ

κατὰ φύσιν, ἡδὺ καὶ προσφιλὲς παντὶ, πᾶν τὸ τοιοῦτον ἴαμα τῶν βιαίων παθημάτων γιγνόμενον κέκληται) γλυκύ. Hactenus Plato, à cuius quidem in hac re ſententia non procul abeſt Ariſtotelis ſententia. Hoc tamen eſt inter illas diſcrimen. Plato magis eas ad linguæ affectiones & qualitates accommodauit: Ariſtoteles uerò non tam ad ſenſorij affectiones, quàm ad humanorum differentias & qualitates, quæ ſunt obiectum huius ſenſus, & potentia guſtum actu faciunt. Deinde Plato ad actum reſpicit, in quo ſenſitiuum & ſenſibile aliquo modo idem ſunt: Ariſtoteles de potentia obiecti, id eſt eius humoris in quo eſt ſapor. Nam ſic, aut aliter affici linguam, eſt coniunctio agentis & patientis, aut cauſæ & effectus, hoc eſt, eſt actus. Siccum autem eſſe in humido magis aut minus alteratiuum potentiæ guſtandi in actũ, non eſt actus, ſed potentia. Sicut uiſio eſt perceptio coloris, & perceptio coloris eſt coniunctio uiſibilis & uiſiui, ſic ut ſit utrunque nunc actu, & uelut unus quidam actus. Sicut eſt ſuprà dictum de agente, & patiente. Item Platonis definitiones uerſantur in ſecundis qualitatibus. Dicit enim fieri ſapores à leuitate & grauitate, acuto & retuſo, inflatione aerea, uel terreſtri, & horum omniũ temperamento, ſeu æquali miſtione. Ariſtotelis uerò definitiones in primis qualitatibus tantùm, ut ſicco & humido & calido uerſantur. Quanquam enim ſpecies non definit, tamen ex generis definitione facilè componi ſpecierum definitiones poſſunt, & iudicari. Exempli cauſa: Dulce eſt ſiccum, factum in humido exactiſſimè, à calido uim habens mutandi guſtatiuum in guſtans, uel guſtationem. Amarum contrà eſt ſiccum, factum in humido negligentiſſimè, ſeu imperfectiſſimè, à calido ſimilem ha

bens

bens uim in mutando. Et hoc quidem ita ſentit Ariſtoteles, ut uelit cum illo ſicco nutriendi potentiam eſſe coniunctam: quæ ut in dulci eſt efficaciſſima, ita infirmiſſima in amaro, aut potius nulla: in reliquis pro ſuo gradu, hoc eſt, prout uel propius accedunt ad illa extrema, uel longius diſcedunt. Poſtremò Galenus in quarto libro de Facultatibus ſimplicium medicamentorum, ponit exempla, quibus ſinguli ſapores diſcerni poßint. Idẽ ut alij medici ferè, aliter, hoc eſt craßius & copioſius de ſenſibus docet, tum alibi, tum in octauo libro de uſu partium humani corporis.

De tactu.

Suprà ſemel atque iterum, cùm ita ſe res dedit, fortè hoc etiam indicatũ eſt ſimul, adeò ſenſus non effici tactu ſecundũ Ariſtotelem, ut ne ille quidẽ poſtremus, de quo nunc incipimus explicationẽ, quíque inde & apud Græcos & apud Latinos nomen habet, ſic fiat, ut coniungatur cum tangibili tactiuũ, adeò propè, ut poſtrema eorum ſint eadem. Hoc enim propriè eſt tangere, & tangi. Fecit hoc etiam Ariſtoteles, quem libenter imitamur, aut potius interpretamur, pro ut noſtræ uires patiuntur. Atque utinam poſſem aliquam uel umbram doctrinæ tanti uiri aſſequi: aut non adhuc quidẽ incedere ueſtigijs eius, ſed utcunque inſtar infantis repere, ita tamen, ut aliquãdo ingreſſurus etiam eſſem. Ponerem hoc in magna parte felicitatis, ſiquidem eſt mihi uerſandum in hoc literarum genere. Nihil enim eſt uel ingenioſius, uel naturæ conuenientius unquam, ut arbitror, diſputatum à quoquam de rebus literarijs, quàm ab hoc eſt factum, quaſcunque tractauit. Sed notum & uſitatum encomium nolo canere. De re potius dicam ipſa, quam inſtitui,

ſtitui,quod poſſum.Tactus eſt facultas percipiēdi qualitates tum primas,tum ſecundas,itémque alias quæ non ſunt alijs ſenſibus propriæ.Sunt autem,calidum,frigidū, humidum,ſiccum,durum,molle, aſperum, læue, lentum, fragile,graue,læue & ſimiles.Ariſtoteles uocat differentias elementa diſtinguentes:quæ quanquam conſtituunt uarias contrarietates,non tamen ſunt plurium, quàm unius ſenſus obiecta:ſed ab uno tactu ſentiuntur, & diſcernūtur omnes.Tametſi uidentur propterea tam multæ contrarietates in huius ſenſus obiectis eſſe, quòd eſt ſparſius,quàm reliqui,per totum corpus animantis latius,aut per omnes corporis partes peragi poteſt:& ſanè magnam affinitatèm habet cum guſtu.Guſtus enim omnis fit per tactum:etſi non ubi tactus eſt, ibi etiam eſt guſtus neceſſariò.Quod ſic debet intelligi, tangi quidē carnem in utroque ſenſu,uerùm illam non eſſe illorum ſenſorium.Intus hoc latêre ſcribit Ariſtoteles. Nec tamen expreſſe dicit,quid ſit,aut in qua parte corporis collocatum.Ex alijs eius diſputationibus hoc tamen poteſt intelligi,quòd cor ſit tactus ſenſorium,aut certè uis illa in penetralibus carnis lateat,ex corde tamen in omnia membra diſperſa.Cenſet enim Ariſtoteles,omnium ſenſuum originem in corde eſſe.Verùm ita nec oculi,nec reliquorum ſenſuum organa ipſorum eſſent organa, cū pariter omnes ex corde ſint. Quare non malè ſic fortaſſe de omnibus ſenſibus iudicaremus,ſi putaremus omnium quidem inſtrumenta uel à ſpeciebus corporum, uel ab ipſis corporibus tangi:hac ratione tamen,ut ſpecies tātum mouerent ſenſoria:ſenſoria per ſuas quaſdam partes,ut ſunt nerui,cor mouerent.Certum enim eſt, nō eſſe has facultates principaliter in ipſis inſtrumentis.

Medici neruos ſparſos per totum corpus ponunt inſtrumentum tactus, & à cerebro tanquam à capite arceſſunt: in quorum poſteriore magis experientiam ſequuntur, quàm rationem: aut propinquius potius principiū conſiderant, quàm remotius, & primum. Quod autem Ariſtoteles cenſeat, carnem eſſe medium tactus, hæc eius uerba declarant: ὥστε τὸ μεταξὺ τοῦ ἁπτικοῦ ἡ σάρξ. *Et paulò antè effici tactum. non moto prius medio per obiectū, deinde ſenſorio per medium, ſicut fiat in alijs ſenſibus, ita ſcribit:* ἀλλὰ διαφέρει τὸ ἁπτὸν τῶν ὁρατῶν, ὅτι ἐκείνων μὲν αἰσθανόμεθα τῷ τὸ μεταξὺ ποιεῖν τι ἡμᾶς. τῶν δὲ ἁπτῶν οὐχ ὑπὸ τοῦ μεταξὺ, ἀλλ' ἅμα τῷ μεταξὺ, ὥσπερ ὁ δι' ἀσπίδα πληγείς. οὐ γὰρ ἡ ἀσπὶς πληγεῖσα ἐπάταξεν, ἀλλ' ἄμφω συνέβη πληγῆναι. *Teſtantur idem quoque uerba, quæ proximè ſequuntur, & ſuprà citata ſunt, ubi diſputatum eſt de Guſtu. Prætereà huius ſenſus obiectū ſunt, calidum, frigidum, & ſimiles qualitates, quæ non habent generale uocabulum, ut Ariſtoteles uult, ſicut aliorum ſenſuum obiecta. Quod intelligi debet de proprietate, & quantum ad ſenſum attinet, aut quatenus ſunt obiectum tactus hæ qualitates. Nam qualitas prima, aut ſecunda, aut differentia elementorum eſt genus calidi, frigidi, & reliquorum obiectorum huius ſenſus: nō tamen propterea propriè, aut ſolum, quod tactu percipitur, ſicut in aliorum ſenſuum obiectis fit. Calor enim tantùm ad uiſum refertur, ſonus tantùm ad auditum, ſapor tantùm ad guſtum, odor tantùm ad guſtatum. Et non eſt ea ratio inter calidum & durum, quæ eſt inter album & nigrum, dulce & amarum. Hoc uult Ariſtoteles, cum dicit, non eſſe manifeſtum quòd tactui ſit unum* ὑποκείμενον. *Hac enim uoce hic utitur, niſi menda eſt in ſcriptura.*

*ptura.*In *primo libro* ἀντικείμενον *appellat idem, nos dicere ſolemus obiectum.*Notandũ *eſt etiam,quòd* Ariſtoteles *dicit medium eſſe iudicatiuum.*Sed *recito ipſius uerba.Sic inquit ille:*τὸ γὰρ μέσον κριτικόν.Et *addit cauſam:*γίνεται γὰρ πρὸς ἑκάτερον αὐτῶν θάτερον τῶν ἄκρων. Id *eſt,*Medium *relatum ad extrema,fit utrumq; extremorum.*Quod *ſic intelligendum eſt, ut medium ſit hoc extremum,reſpectu illius extremi,& illud reſpectu huius.*Atque *ita potentia eſt utrunque extremorum, ac in contrarietatibus eorum quæ obiecta ſenſuum uocantur, neutrum contrariorum eſt actu,ſed utrunque potentia.* Ideóque *iudicat & diſcernit illa cõtraria.* Declaremus *hoc exemplis:*Potentia *uidendi eſt, nec album,nec nigrum,quæ ſunt contraria,ſed uelut medium quiddã inter hæc.*Propterea *quando applicatur albo,fit album, ſeu percipit album.*Quod *enim hæc ſunt eadem ferè,ſuprà quoque eſt oſtenſum:quando applicatur nigro,fit nigrum.*Similiter *tangendi uis eſt inter calidum & frigidum, & reliquas ſimiles contrarietates medium:hoc eſt,eſt ſecundum potẽtiam alterutra ipſarum,& fit actu ipſa,quando ei applicata eſt,& eam percipit nunc, aut ſentit.*Non *enim poſſet percipere uel uiſus album & nigrum,ſi ipſe etiam eſſet actu album uel nigrum:nec tactus calidum & frigidum,ſi ipſe eſſet actu calidum uel frigidum.*Propterea *quòd ſentire eſt pati quiddam:& pati non fit ab eo quod eſt ſimile actu,ſed quod eſt ſimile potentia.*Subtiliter *ſunt hæc, & planè philoſophicè cogitata ab* Ariſtotele.Non *poſſum me abſtinere, quin tranſcribã huc ex fine ſecundi libri* Ariſtotelis *de* Anima,*inſignem locum,& eum quidem totum:qui clarè de modo ſentiendi generaliter differit, addita ſimilitudine*

de ſen

de ſenſibili excellente, quod corrumpit, aut moleſtia afficit, aut turbat ſenſum, & argumento à contrario. Sic loquitur philoſophus: καθόλου δὲ περὶ πάσης αἰσθήσεως δεῖ λαβεῖν, ὅτι ἡ μὲν αἴσθησίς ἐστι τὸ δεκτικὸν τῶν αἰσθητῶν εἰδῶν, ἄνευ τῆς ὕλης, οἷον ὁ κηρὸς τοῦ δακτυλίου ἄνευ τοῦ σιδήρου, καὶ τοῦ χρυσοῦ δέχεται τὸ σημεῖον. λαμβάνει δὲ τὸ χρυσοῦν ἢ χαλκοῦν σημεῖον, ἀλλ' οὐχ ᾗ χαλκὸς, ἢ χρυσός. ὁμοίως δὲ καὶ ἡ αἴσθησις ὑπὸ τοῦ ἔχοντος χρῶμα, ἢ χυμὸν, ἢ ψόφον πάσχει, ἀλλ' οὐχ ᾗ ἕκαστον ἐκείνων τούτων λέγεται, ἀλλ' ᾗ τοιονδὶ, καὶ κατὰ τὸν λόγον, αἰσθητήριον δὲ πρῶτον, ἐν ᾧ ἡ τοιαύτη δύναμις. ἔστι μὲν οὖν ταυτὸν, τὸ δ' εἶναι ἕτερον. μέγεθος μὲν γὰρ ἄν τι εἴη τὸ αἰσθανόμενον, οὐ μὴν τῷ γε αἰσθητικῷ, οὐδ' ἡ αἴσθησις μέγεθός ἐστι, ἀλλὰ λόγος τις δύναμις ἐκείνου. φανερὸν δ' ἐκ τούτων, καὶ διὰ τί ποτε τῶν αἰσθητῶν αἱ ὑπερβολαὶ φθείρουσι τὰ αἰσθητήρια. ἂν γὰρ ᾖ ἰσχυροτέρα τοῦ αἰσθητηρίου ἡ κίνησις, λύεται ὁ λόγος. τοῦτο δ' ἦν ἡ αἴσθησις. ὥσπερ καὶ ἡ συμφωνία, καὶ ὁ τόνος κρουομένων σφόδρα τῶν χορδῶν. καὶ διὰ τί ποτε τὰ φυτὰ οὐκ αἰσθάνεται, ἔχοντα τι μόριον ψυχικὸν, καὶ πάσχοντά τι ὑπὸ τῶν ἁπτῶν, καὶ γὰρ ψύχεται, καὶ θερμαίνεται. αἴτιον γὰρ τὸ μὴ ἔχειν μεσότητα, μηδὲ τοιαύτην ἀρχὴν, οἵαν δέχεσθαι τὰ εἴδη τῶν αἰσθητῶν, ἀλλὰ πάσχειν μετὰ τῆς ὕλης. *Porrò, quæ animantia quibus ſenſibus excellant, his uerſibus comprehendunt uulgo:*

Nos aper auditu, ſed uincit aranea tactu,
Vultur odoratu, lynx uiſu, ſimia guſtu.

Quare ſint plures ſenſus, quàm vnus.

Ariſtoteles in ſecundo libro ſui operis de Anima, docuit de omnibus ſenſibus, qui proprij dicuntur. idem ego hactenus feci, quantum potuit fieri, ſecutus aut interpretatus Ariſtotelem. Is principium tertij libri eiuſ=

dem operis ita coniungit cum ſecundo libro, ut faciat ſibi aditum ad diſputationem de intellectu, difficillima parte animæ, & alijs cognatis potentijs. Oſtendit enim, nec ſenſibilia communia, de quibus ſub initium huius loci eſt dictum, percipi ab aliquo proprio ſenſu: & quare non ſit tantum unus ſenſus. Docet etiam de ſenſu, qui Communis appellatur, & eſt ferè medium quiddam inter ſenſus alios, & intellectum. Quapropter hoc etiam, uelut uinculo, eſt uſus ad connectendas diſputationes de Senſitiuo, & intellectiuo. Quòd autem non percipiantur aliqua propria potentia communia obiecta, ſic indicat: Si, inquit, eſſet aliqua propria potentia, aut ſenſorium communium obiectorum, non ſentirentur à reliquis ſenſibus hæc per ſe, ſed per accidens. Sentiuntur autem à reliquis ſenſibus illa per ſe, ergo non eſt aliquod proprium ſenſorium, aut potentia, qua percipiamus motum, figuram, numerum, & ſimilia. Præterea plures ſenſus uno habemus, ideo, quòd alioqui non poſſemus diſtinguere inter obiecta propria, & communia, propter cognationem, aut ut ipſe loquitur, διὰ τὸ ἀκολουθεῖν ἀλλήλοις. Nunc autē cum ſint plures ſenſus, à quibus illa æquè apprehendi poßint, facilius eſt diſcrimen inter communia & propria obiecta.

Quid ſit ſenſus communis.

Prius quàm hoc docetur in Ariſtotele, docetur eſſe aliquem ſenſum talem, qui iudicet de omnibus ſenſibilibus, quòd percipiantur, hoc ferè argumento: Senſibilia ſua cuiuſque ſenſus ita percipiuntur, ut hoc etiam ſentiatur quòd percipiantur: illud autem non fit per propria ſenſoria aut ſenſus, ſed alia quadam potentia: ut uiſus percipit quidem colorem, auditus ſonum. ſed neque uiſus,

uiſus, neque auditus percipit ſentire ſe, ille colorem, hic ſonum. Quia, ſi hoc etiam perciperent ſenſus, aut unius ſenſus eſſent duo obiecta, aut ſe ipſe ſentiret, aut etiam fieret progreßio in infinitum. Nam ſi uiſus, aut alius ſenſus percipere ſe obiectum ſuum ſentiret, eſſet aliud quod hoc ſentiret: eſſet item aliud, quod ſentiret hoc: & ſic non eſſet finis, aut certè non alicubi reſiſteretur, ſed res eodem rediret. Aliquid enim à ſe ipſo ſentiretur. Item ſentire eſt ſenſu percipere, & ſentire eſt obiectum percipere: hoc autem eſt propemodum mutari in obiectum. Ergo, ſi obiecta ſua ſentire ſe, percipit ſenſus, illa etiam potentia in obiectum mutatur. Hæc autem abſurda ſunt, & contra philoſophiam. Ergo non idem percipit obiecta, quod percipit hoc, quod percipiantur obiecta: hoc eſt, aliqua eſt uis & facultas, quæ ſentit obiecta apprehendi à ſenſibus, diuerſa ab ea quæ obiecta ſentit. Ac propterea non ſentientes obiectum, dijudicamus obiectum, & priuationem eius. &, ut inquit Philoſophus: καὶ ἀπελθέντων τῶν αἰσθητῶν ἔνεισιν αἱ καὶ αἰσθήσεις καὶ φαντασίαι ἐν τοῖς αἰσθητηρίοις. Sicut ergo ſunt ſenſibilia, quæ eadem à multis & diuerſis ſenſibus iudicari poſſunt: ita eſt ſenſus, qui multa & diuerſa obiecta & ſenſibilia poteſt dijudicare, & inter ſe diſcernere: & quidem per ſe, non per accidens. Senſibilia communia propterea appellantur, ſenſus uerò dicitur communis. Præterea quòd remota à ſenſibus obiecta ſentimus adhuc, indicat nòn eandem eſſe potentiam, quæ ſentiat obiecta: & eam quæ ſentiat hoc quòd obiecta percipiantur à ſenſibus. Hoc autem cognatum eſt cum eo quod dictum eſt, ſenſibilia remota quoque apprehendi. Nam ſentiendi potentia, & ſenſibile, idem ſunt aliquo

modo, hoc eſt ſecundum materiam: quanquam ratio, ſeu τὸ εἶναι, ut ſolet Ariſtoteles loqui, eſt diuerſum. Secus autem eſt de ſenſu percipiente remotum ſenſibile, & ſenſibili ipſo, quod propriè tale, ac præſens eſt. Nõ ergo una potentia, & eadem percipit obiecta & ſenſus ipſos. Quòd autem hoc modo idem ſit actu ſenſus & ſenſibile actu, Ariſtoteles cum alibi ſæpe dicit, tum in hoc loco multis & manifeſtis uerbis explicat: ac præter cætera utitur hac ſimilitudine. Sicut factio & paßio in patiente ſunt, & non in faciente, ita ſenſibilis actus in ſenſitiuo exiſtit. Actus autem, ſeu operationes ſenſibilium non omnes habent nomina, ut coloris & ſaporis. Non enim actum hæc uocabula ſignificant, ſed potentiam. nec alia habentur, quæ actum ſignificent: quemadmodum aliorum ſenſibilium habentur, ut ſonatio & auditio. quod quidem etiam eſt ab Ariſtotele annotatum. Carent & tactus obiecta uocabulis actum ſignificantibus. Atque ita color, ſapor, ſonus, odor, calidum, & ſimilia ſignificant potentiam: actum uerò ſignificant ſonatio, auditio, perceptio coloris, ſaporis, calidi, & reliquarum qualitatum, quæ tactui ſunt obiectæ. Hoc tamen totum ad ſenſus eſt referendum. Nam eatenus ſenſibilia ſunt ſenſibilia, quatenus à ſenſibus percipi poſſunt: eatenus actu ſenſibilia ſunt, quatenus percipiuntur. Hoc dico propterea, quòd etſi color & ſonus actu eſſent, & à nemine perciperentur, non tamen actu eſſent reſpectu ſenſuum, aut quatenus eſſent ſenſibilia. Poteſt enim & hoc modo conſtitui duplex actus. Et hoc eſt, quod Ariſtoteles dicit, διττὸν γὰρ ἡ ἀκοὴ, καὶ διττὸν ὁ ψόφος. Quanquam prior actus eſt poſterioris potentia, & idem cum ſenſibili ita, ut paulò antè eſt dictum.

Ad

Ad quod notanda ſunt, quæ Ariſtoteles dicit ibi, tanquam decreta quædam, ut ſic dicam: ἔστιν ἡ κίνησις, καὶ ἡ ποίησις, καὶ τὸ πάθος ἐν τῷ κινουμένῳ. Item: ἡ γὰρ τοῦ ποιητικοῦ, καὶ κινητικοῦ ἐνέργεια, ἐν τῷ πάσχοντι ἐγγίνεται. Quibus uerbis oſtenditur, idem eſſe aliquo modo ſenſum & ſenſibile. quod ſæpe etiam eſt monitum. Ita tamen hoc intelligi debet, ne putetur ſimpliciter dictum eſſe. Nam ſenſus, qui eſt potentia, omnino ſeparatus eſt à ſenſibili, & ſenſibile tale à tali ſenſu: tantum abeſt, ut unum eſſe oporteat hæc duo, & alterum ſine altero non poſſe exiſtere. Hoc quidem uerum eſt de ſenſu & ſenſibili, quæ ſunt actu: & unum eſſe ambo, & ſimul ambo uel eſſe uel non eſſe, non alterum ſine altero. Et hoc in eodem loco Ariſtoteles docet. Docet etiam, ſenſum eſſe rationem quandam, hoc eſt formam, ut eſt συμφωνία in uoce, aut σιμὸν in naſo: & propterea corrumpi ſenſum à ſenſibili excellente, quod miſtum & temperatum conueniat magis rationi, quàm ſimplex & ſyncerum. Verba eius ſunt: διὸ καὶ ἡδέα μὲν ὅταν ἄγηται εἰλικρινῆ καὶ ἄμικτα ὄντα εἰς τὸν λόγον, οἷον τὸ ὀξὺ, ἢ γλυκὺ, ἢ ἁλμυρὸν, ἡδέα γὰρ τότε. ὅλως δὲ μᾶλλον τὸ μικτὸν συμφωνία, ἢ τὸ ὀξὺ, καὶ τὸ βαρύ. Et paulò póſt: ὑπερβάλλοντα δὲ ἢ λυπεῖ, ἢ φθείρει. Ex his, quæ hactenus dicta ſunt de hoc loco, apparet, ſenſum communem iudicare & ſtatuere, quòd percipiantur tum à ſuis ſenſibus propria ſenſibilia, tum à pluribus communia. Atque hoc eſt unum de proprijs officijs huius facultatis animæ. Alterum eſt, diſcernere inter ſenſibilia diuerſorum ſenſuum, propria & communia: ut inter album & dulce non aliquis ſenſuum ſuprà explicatorum dijudicat, ſed aliud quiddam, & quidem commune omnibus obiectis ſenſuum inter ſe diſcer-

nendis. Colores deprehendunt oculi: ſed non etiam hoc poſſunt uidere, quòd differant inter ſe, & diuerſa ſint, colores, & aliorum ſenſuum obiecta. ſenſus hoc eſt munus, qui inde Communis appellatur, quòd ita iudicat communiter inter omnis generis ſenſibilia, non quòd communis generis ſenſibilia percipiat. Nam illa uerè, & per ſe ab alijs ſenſibus percipiuntur: quanquam non certa à certis, ſed omnia uel ab omnibus, uel à pluribus, quàm ab uno. Dè qua re iam antea ſatis eſt dictum. Sic autem ſenſus hic iudicat de ſenſibilibus diuerſis, ut ſimul iudicet, & in indiuiſibili tempore. Quomodo autem hoc fiat, cum ſit impoßibile idem, quatenus eſt indiuiſibile, moueri ſecundum contrarios motus in indiuiſibili tempore, in Ariſtotele diſci debet. Et ſanè ſicut uiſus iudicare ſimul poteſt de albo & nigro, quæ ſunt contraria: ita nihil abſurdum eſt, ſenſum communem ſimul iudicare de nigro & amaro, quæ etiam non ſunt contraria.

Quid ſit phantaſia.

Hæc facultas animæ poteſt à Latinis imaginatio dici, aut uiſio: non tamen, ut ſuprà hæc uox eſt uſurpata, prouidendi actu. quanquam alioqui tum Græca, tum Latina uoces actum magis ſignificant, quàm potentiam: ac fortaſſe rectius diceretur phantaſticè, Latinè imaginatiua, aut uiſiua, eadem ratione, qua uiſionem uocari nunc dixi. Quanquam in ſenſibus etiam & in alijs rebus turbantur aliquando uocabula potentiæ & actus. Sentit nobiſcum Fab. Quintilianus in duobus, aut tribus locis. Deinde à lumine, quod Græci φάος dicunt, appellata eſt, ut Ariſtoteles putat, phantaſia, propterea quòd uiſus exerceri, ut ſic dicam, non poteſt ſine lumine, & uiſus eſt præcipuus & nobilißimus ſenſus. Quanquam

quam fortaſſe melius utpote ſecundum ἀναλογίαν, à uerbo φαίνεσθαι ſumitur. Sic tamen eodem itur. Eſt autem φαντασία nec ſenſus, nec intellectus, etſi non eſt abſque ſenſu, ſed ſequitur ſenſum, ut ipſa præcedit aſſenſionem: ſic tamen, ut non ſequatur ſenſum neceſſariò, ſed ut neceſſariò præcedat aſſenſionem, Græcè ὑπόληψις dicitur. Interpretes tum exiſtimationem, tum æſtimationem Latinè uocant, ſed impropriè, ne dicam malè. Exiſtimatio enim uerbum, Latinis paßiuè, & lõgè aliud ſignificat. ὑπόληψις uerò Græcè actiuè, & æſtimatio ſpecialius quiddam, quàm ut Græcam uocem exprimat, ſignificat: quanquam propius ad eam accedit, quàm illud alterum. Suſpicio quoque uox pro hac Græca ſolet uſurpari, uerùm non ſatis Græcam interpretatur, ut arbitror. Aßenſio uocabulum proximè uidetur mihi ad Græcum accedere. Cæterùm quòd ſequatur ſenſum neceſſariò phantaſia, hoc oſtendit, quod pleraque animantia, quæ, quia ſunt animantia, neceßitate quadam ſenſus habent, non habent phantaſiam: ut apes, formicæ, uermes. Quod autem ſint diuerſæ potentiæ, aſſenſio & imaginatio, duobus argumentis doceri poteſt. Nam phantaſia in nobis eſt, hoc eſt, poſſumus fingere & formare apud animam ueras & falſas imagines pro noſtro arbitrio: ut faciunt ij qui memoriam exercent arte, quod Cicero facere docet in tertio libro ad Herennium. Aſſenſio autem non eſt in noſtra poteſtate ſic, ut uerum ſit, aut falſum, cui aſſentimur, prout nos uolumus. Deinde in aſſenſione afficimur pro rei, quam probamus, aut improbamus, natura, gaudio uel moleſtia, ſpe aut timore. In phantaſia non ſic afficimur ex animo & uerè, ſed ita, ut ſolent affici, qui picturam inſpiciunt: in qua ſunt etiam

ſimulachra uariarum rerum, quæ affectus pariunt, ſed illa non ſeriò nos mouent: quia non aſſentimur eis. Obſeruandum quoque eſt, Ariſtotelem hic facere quinque ſpecies potentiarum, quibus dijudicamus & apprehendimus aliquid aut uerum aut falſum: ſenſum, aſſenſionem ſcientiam, opinionem, & intellectum. ſed non explicat: fecit hoc in ſexto libro Ethicorum. Nihil autem horum eſſe phantaſiã, certis argumentis probatur. Primò, quòd non ſit ſenſus, hoc demonſtrat, quòd ſenſus aut actus eſt, aut potentia: phantaſia non eſt ſemper alterutrum horum, ut in ſomno. deinde ſenſus adeſt ſemper, phantaſia ſecus. Semper, hic referri debet ad naturam animalis, non ad perpetuitatem temporis. Iam enim eſt alioqui contrarium dictum de ſomno, in quo non eſt ſenſus, aut actu aut potentia: propinqua tamen, non remota. niſi uelimus putare, quòd ipſe pugnet ſecum Ariſtoteles, cum non ſit hoc neceſſe. Quòd autem non ſemper adſit phantaſia, indicio eſt, quòd non eſt in omnibus animalibus, ut dixi paulo antè. Eſſet autem in omnibus, ſi eſſet actu ſenſus (intelligatur hoc de imperfecto actu, id eſt, de potentia propinqua) cum ſenſus inſit omnibus animantibus. Tertium argumentum eſt: Senſus ſemper ſunt ueri, phantaſia ſæpe fallitur. Poſtremò huc pertinet, quod ſuprà dictum eſt, quòd clauſis oculis appareant uiſa: ergo phantaſia non eſt ſenſus. Præterea non eſt ſcientia, aut alius habituum, qui certi ſunt, phantaſia: cum poßit eſſe falſa, quod ſæpe quidem eſt. Non eſt opinio phantaſia, quanquam eſt non tantùm uera, ſed falſa quoque. Nam fides eſt, ubi eſt opinio. Non autem ulli animanti, præter hominem, opinio ineſt. cum tamen phantaſiam, præter nos, multa habeant. Deinde fides

ſequitur

ſequitur omnem opinionem,fidem perſuaſio,perſuaſionem ratio. Cum itaque phantaſia pleriſque beſtijs inſit, nullis ratio,nõ poteſt phantaſia opinio eſſe. Porrò phantaſia non eſt nec opinio cum ſenſu, nec per ſenſum, nec compoſitio ex opinione & ſenſu. Si enim hoc eſſet,aut periret in nobis uera opinio aliquando,cum haberetur: aut eadem ſimul eſſet & uera,& falſa. quod apud Ariſtotelem explicatur ſatis argutè. Eſt itaque phantaſia, motus quidam cum ſenſu,& in ſentientibus,& ex ijs quæ ſentiuntur:ſempérque ſimilis ſenſui,qui eſt ſecundum actum. Atq; ita phantaſia uidetur haberi ab Ariſtotele non pro potentia aliqua animæ,ſed pro accidente quodam,ſeu affectione potentiæ:ac propterea uox Actus ab eo phantaſia uſurpata eſſe, non potentiæ phantaſticæ. Quia uerò ſenſus uarij ſunt,& propterea certi alij, alij incerti:neceſſe eſt,ut & phãtaſmata,quæ ὁράματα etiã uocat Ariſtoteles,uarient:aliáq; certa,alia incerta eſſe. Sequuntur enim uiſa naturam ſenſus. Tripliciter autem aliquid ſentitur,aut ut proprium ſenſibile,& ſic certum eſt uiſum:aut ut ſenſibile per accidens,quod etiã incertum phantaſma parit:aut ut commune,& hinc etiã incertum efficitur uiſum. Notandum eſt,quod ibi philoſophus dicit, ἡ αἴσθησις τῶν μὲν ἰδίων ἀληθής ἐστιν, ἢ ὅτι ὀλιγοστὸν ἔχουσα τὸ ψεῦδος. Contra quam poſtea doctrinam acriter diſputatũ eſt ab Academicis,non ſatis cautè & liberaliter,ut arbitror. De qua re legat, qui uult, ea quæ adhuc extant de opere Ciceronis, quod Academicis quæſtionibus eſt inſcriptum. Sed ut ad propoſitũ redeamus,phantaſia eſt ille ſiue motus,ſiue actus apparentium imaginum, & ſpecierum impreſſarum animo comprehenſis obiectis ſenſuum,uel proprijs,uel commu=

nibus, uel ijs quæ dicuntur ſecundum accidens ſenſibilia. Aut etiam non inſpectis prius illis, & formatis tantùm apud animum ſpeciebus, non tamen intelligibilibus, ſed tantùm ſenſibilibus, ut fit in uigilantibus etiam, non tantùm ſomniantibus. Sæpe autem uariæ ac monſtroſæ concipiuntur imagines à beſtijs & hominibus: ab illis, quia carent mente: ab his, quia aut dormiũt, aut mens eis turbata eſt, uel animi, ut uocantur, uel corporis morbis. Quæ res etiam indicat, magnam eſſe mentis cum phantaſia cognationem. Id quod alicubi Ariſtoteles ſignificat, cum uelut ſpecies aut partes intellectus facit aſſenſionem & phantaſiam, his uerbis, τοῦ δὲ τὸ μὲν φαντασία δοκεῖ εἶναι, τὸ δὲ ὑπόληψις. *Et alij græci ſcriptores cum intelligendi facilitatem uocant aliquando* καταληπτικὴν φαντασίαν. *Subijcere etiã uiſum eſt Ariſtotelis uerba, in quibus clariſsimè ſuam ſententiam de hac potentia declarauit. Sic ille ait, ut ſuprà etiam eſt annotatum, tripliciter ſenſum fieri:* ἡ δὲ κίνησις ἡ ὑπὸ τῆς ἐνεργείας γινομένη, διόισει τῆς αἰσθήσεως, ἡ ἀπὸ τούτων τῶν τριῶν αἰσθήσεων. καὶ ἡ μὲν πρώτη παρούσης τῆς αἰσθήσεως ἀληθής, αἱ δ' ἕτεραι καὶ παρούσης καὶ ἀπούσης· εἶεν ἂν ψευδεῖς, καὶ μάλιστα ὅταν πόρρω τὸ αἰσθητὸν ᾖ. *Ex his omnibus quæ hactenus dicta ſunt de phantaſia, patet phantaſiam eſſe uelut internum & intellectiuum quendã ſenſum, aut intellectum ſenſitiuum. Qua parte expoſita, reliquum eſt, ut quædam etiam de intellectu ex Ariſtotele pro noſtro ingenio & intellectu explicentur.*

VITI AMERBACHII LIBER TERTIVS, DE ANIMA.

Præfatio.

QVæ hactenus de nutriendi & ſentiendi facultatibus, quæq; deinceps de intellectu diſſeremus, multum habent obſcuritatis: & uelut in altiſsimo puteo, ut Democritus de ueritate ſolitus eſt dicere, in rerum natura latent adhuc ſubmerſa, quod ad perfectam eorum cognitionem attinet. Non enim uel unde ſint, uel quomodo ingenerata ſint animantibus, expreſsè atque abſolutè ſcire poſſumus: tantùm adeſſe illa in nobis, & eſſe uaria, quiſque ſit eorum uſus, utcunque uidemus. Atque utinam hoc ſæpe conſideraremus: & hoc nō ſolùm ideo, ne temerè cernentes noſtram imbecillitatē ſuperbiremus, & arrogaremus nobis omnium rerum ſcientiam, cum uix umbram earum teneamus: & quanquam in medio illorum Dei & naturæ operum uerſamur, eáq; aſpicimus & tractamus quotidie, utimur eis, & non poſſumus ſine eis uiuere: tamen uelut Tantalus quidam in medijs aquis ſitiamus, ac in ſumma rerum copia inopes ſimus: uerumetiam ob hanc cauſſam, ut diſceremus, quouſque pertingerent noſtræ uires intelligendi & ſapiendi: ne tamen omitteremus ea quæ poſſemus aſſequi, & illis inhiaremus, in illis laboraremus, & multū poneremus operæ, quorum cognitio ſuperat noſtrū captum. In utroque enim eſt peccatum, & neſcio an grauius in

uius in relinquendo eo, quod noſtro ingenio ſubiacet: an uerò in altero illo, quando captamus ea, quæ noſter intellectus non poteſt capere, imitantes illum Tantalū, de quo nunc dixi: qui, ut eſt in fabulis, dum captat mala capiti ſuo ſuſpenſa, nō tamen ea prehendere poteſt. Refugiunt enim captantem, ita ut miſer fruſtra nō modò ſperet, ſed operam etiam inanem ſumat. Atq; hoc eſt, quod ueteres periti rerum dixerunt: γνῶθι σεαυτόν. Verè enim is ſe cognòuit, qui didicit, quid poſſit uel in diſcendis, uel agendis, uel faciendis rebus, & quid non poſſit efficere. Nec putemus tantum agricolas fortunatos eſſe, bona ſi ſua norint, quod dicit poeta. Fortunati ſunt etiam reliqui homines, qui norunt ea. niſi non putamus eſſe miſeriam, aliena ſequi, & noſtra negligere, ac tandem nihil nobis remanere. Id quod neceſſe eſt accidere, quando nō examinatis nobis, quælibet ſine iudicio & ratione aggredimur. Sed quorſum hæc? Vt intelligamus, ſobriè philoſophandum eſſe: conſiſtamúſq; intra eos terminos, qui ſunt nobis à natura præſtituti. Putemus autem in talibus diſputationibus, quæ ad naturam rerum pertinent, nos uerè modum tenuiſſe, quando illa didicerimus, quæ ueteres homines doctiſſimi, qui hæc ſummo ſtudio perſcrutati ſunt, de talibus rebus inuēta & conſcripta reliquerunt: nec in argutijs non neceſſarijs conſeneſcamus, aut his ſolis operam demus: nec iſta quoque diſcamus, quæ magis ad communem hominum utilitatem ſpectant. Si enim, quod uolunt ſummi philoſophi, & ipſa uitæ ratio teſtatur, ciuile animal eſt homo, non ſolùm ad contemplandū & inueſtiganda ea quæ tantum ut ſciātur, quæruntur & diſcuntur, quod omnes homines natura ſcire cupiant, ut inquit Ariſtoteles: ſed etiam ad agendum & facien

faciendum, quòd habeat uſum aliquem ad uitam tranſigendam, factus eſt. Non enim debemus exiſtimare, propter utilitatem hominũ uel mathematicã, quæ ſic apud ueteres appellata eſt: uel metiendi ſcientiam, quæ Geometria dicitur: uel ex magna etiam parte aſtrorum doctrinam, quæ nunc Aſtronomia dicitur, olim dicebatur etiam Aſtrologia (quæ uox, neſcio ad quod ſpecioſum genus uaticiniorum deinde tota eſt accommodata) inuentam, & celebratam eſſe. Quid enim prodeſt admodum hominibus ſiue ad publicam, ſiue ad priuatam uitæ rationem, ſubtilis illa diſputatio de Puncto, de linea, de plano, de recto, de curuo, de cauo, de conuexo, de circulo, aut etiam de circuli quadam mutatione, quæ græcè τετραγωνισμὸς dicitur? Quam adeò magnam utilitatem continet, exactiſsimam illam rationem de motibus ſtellarum, & aliorum corporum cœleſtium ſcire? Quis tam redit magnus fructus ad homines ex eo, quòd norunt diſtinguere ſpacia locorũ, & metiri corpora uel ad punctum uſque: cum ſæpe nulli magis errent à uia, quàm illi ipſi qui tantum non omnes lineas corporum & ſpaciorum in numerato habent? niſi quis illam infinitam uoluptatem uelit conſiderare, quam afferunt ſuis cultoribus illa ſtudia: ſic tamen, ut aut ipſi habeant unde uiuãt, aut ab alijs ſuſtententur: quod ſolitum eſt fieri apud ueteres, & hoc etiam tempore fit aliquando. Miſera enim eſſet alioqui futura hæc uoluptas, & planè famelica. Sed non de illa utilitate loquimur: & ſunt ſanè illæ res diſtinctæ, uoluptas & utilitas. In hoc illa omnia diſcuntur & tractantur præcipuè, quia liberale quiddam eſt, & maximè conuenit hominis naturæ ſcientia. Ac rectè Ariſtoteles dicit, non omnia referenda eſſe ad utilitatẽ, cum ne quidem ſit

dem ſit homo res præſtantiſsima, ad quem utilitas illa pertinet. Quanquam utrunque fieri debet: nec tantùm contemplationi uacandum eſt, ſed utilitati etiam hominum opera eſt danda. Nec uideri uelim ipſe mihi aduerſari, dum cenſeo, non eſſe nimium philoſophandum, & in huius rei laudes excurro. Iſta enim eſt natura hominis, ut his ambobus apta ſit. Vtri autem aptior, philoſophi concertant ſæpe, & adhuc fortaſſe ſub iudice lis eſt. Sic exordiri hanc partem diſputationis de Anima non omnino propoſitum fuit, ſed huc me inuitauit iucūdior hic locus: & ab inſtituto, aſperitas rerum & cogitationum aliquantiſper abduxit. Bene autem cecidit, quòd moniti ſint interim (dum in hoc tanquam nemore ambulamus, recreantes ipſi nos à præcedentium laborum fatigatione, & præparantes ad ſequentem diſputationem) lectores de re non, ut opinor, aliena à ſuis ſtudijs: tum nihil à nobis factum eſt contra ueterem morem ac inſtitutum. Nunc ad propoſitum ueniam, & ſic de intellectu diſputabo, ut in epitomen collegiſſe Ariſtotelem, ut ſuprà eſt plerunque factum, aut certè uoluiſſe colligere uidear potius, quàm hæc uel aliunde ſumpſiſſe, uel ipſe excogitaſſe.

Quid ſit intelligendi potentia.

Intellectiuum eſt uis, qua percipit anima rerum formas, ita, ut uerè aut ueriſimiliter ſunt. Nō habemus enim perfectam eorum quæ exiſtunt in natura, cognitionem, aut certè non omnium, ne dicam paucorum, aut prorſus nullorum. Et hoc eſt quod Ariſtoteles dicit, non omnem intellectum uerum eſſe. Verba eius de hac re ſunt: ὁ δὲ νοῦς οὐ πᾶς, ἀλλ᾽ ὁ τοῦ τί ἐστι κατὰ τὸ τί, καὶ οὐ τί, κατά τινος, ἀλλ᾽ ὥσπερ τὸ ὁρᾶν τοῦ ἰδίου ἀληθές. Quanquam natura

hoc eſt

hoc eſt intellectus, ut comprehendat, & uelut ſentiat res ſecundum ſuas formas, & ita ut ſint, quemadmodũ Ariſtoteles tum in alijs locis, tum in ſexto libro Ethicorum docet. Nam ibi principia tribuit intellectui: quæ quantum habeant momenti ad notitiam rerum, ſatis eſt manifeſtum. Verùm in hac mortalitate, & infirma natura, haud dubiè talis non eſt intellectus. Quod etiam Ariſtoteles ſentire, & hæc eius uerba in eodem libro declarãt: ὅταν γὰρ πῶς πιστεύῃ, καὶ γνώριμοι αὐτῷ ὦσιν αἱ ἀρχαὶ, ἐπίσταται) *(Si enim perfectè putaſſet res intelligi, aut ſciri, quæ cognata ſunt, non addidiſſet* πῶς) *tum ea quæ ſunt in diſputatione* τῆς μετὰ τὰ φυσικά. ὥσπερ γὰρ καὶ τῶν νικτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων. *Teſtatur idẽ Socrates apud Platonem, ubi dicit, humanam ſapientiam habere parui momẽti inſtar. Iam autem ſapientia, eſt uel intellectus, uel pars intellectus. Sed hoc etiam meminerimus quod Ariſtoteles addit, Magnam tamen gratiam agendã eſſe ijs qui uel opiniones ſuas communicauerint nobis, uel aliquid etiam leuius opinionibus: & multorum inuenta in unum collata magni quidpiam efficere. Et hoc quidem uerum eſt. Nam reſpectu rerum ipſarum plus quàm exiguum eſt, quod ſcimus, aut intelligimus: reſpectu autem eorũ quæ nihil ſciũt, ut beſtiæ, magnum eſt quod ſcimus. Hæc ideò iterum dixi, ut ſæpe recordemur noſtræ imbecillitatis. Prodeſt enim hoc multum ad omnem uitam: ſic tamen, ut exemplo præſtantiſsimorum uirorum non intermittamus, aut abijciamus curam diſcendi & inquirendi res tantas, ad quas perfectè intelligendas initio conditi ſumus: & olim iterum, ut religio noſtra docet, intelligemus æquè*

nus æquè perfectè, & quidem perpetuò. Quomodo autem fiat intellectio, non poteſt facilius intelligi, quàm ſi comparetur hæc res cum ſenſu. Nam ſicut ſenſus percipit ſpecies ſenſibiles, ita intellectus percipit ſpecies intelligibiles. Sunt autem ſpecies ſenſibiles, accidentia & affectiones entium: intelligibiles, eorum formæ & naturæ. Eſt etiam ſæpe ſuprà dictum, ſentire pati quiddam eſſe. idem de intelligendo poteſt hic dici. Vtrunque enim eſt potentia, quæ eſt uelut materia, cuius proprium eſt pati. Quanquam neutrum propriè eſt paßio, cũ utrumq; recipiat ſpecies tantum, non etiam materiam. Ac proterea non ineruditè à recẽtioribus ferè intellectus cum reliquis potentijs inter quinque ſenſus appellatur ſenſus interior, ſicut exteriores uocantur illi quinque, propriè ſic dicti: non tamẽ ideo ſenſus idem eſt quod intellectus, cum ille ſit corporeum quiddam, aut coniunctum cum corpore, hic ſimplex, & non mixtum: ſitq; ſenſus in multis animantibus, in quibus non eſt intellectus: ac ſenſus non decipiantur circa proprium obiectum, intellectus fallatur aliquando, nec inſit in ullo animali, cui non inſit ratio, quod ſuprà citatus locus etiam indicat. Quanquam impropriè tum intellectus dicitur: ſi modo uera ſunt, quæ in ſexto libro Ethicorum & in proceſſu diſputationis hic dicta ſunt. Huc tẽdit, quod Anaxagoræ ſententiam approbat, qui dixit, intellectum non miſtũ eſſe propterea, ut ſuperet, id eſt cognoſcat omnia, & falſa à ueris ſeparet. Miſtum autem eſſe, eſt uel corporeum, uel connexum eſſe cum corpore. Illud Empedocles & Homerus putauerunt. Sed neutrũ eſt rationi conſentaneũ, cum nec calidus, nec frigidus, nec humidus, nec ſiccus commodè poßit dici, & nullum inſtrumentum habeat: quod

quod haberet, ſi eſſet uel corporeus, uel comixtus cum corpore. Præterea *quòd ſit differentia inter ſenſum & intellectum, hoc etiam probat.* Nam *ſenſus non poteſt ſentire pòſt, quàm ſenſit uehemens, & magnum ſenſibile: intellectus poteſt, & quidem efficacius ac melius, percipere ſpecies intelligibiles debiliores, perceptis antea fortioribus.* Et *hoc propterea, quia ſenſus eſt in corpore tantùm, intellectus extra corpus quoque poteſt eſſe.* Ex *his quæ iam dicta ſunt, facilè eſt intelligere, nec diſſimile quippiam ſenſui intellectum eſſe, nec omnino aut ſimile ei, aut idem quod ipſe eſt: ſed potentiam apprehendentem, & recipientem in ſe uelut domicilium, aut ſedes aliqua, rerum eſſentiales formas.* Quod *etiam teſtatur* Philoſophus, *cum approbat eorum ſententiam, qui dixerunt, animam eſſe locum ſpecierum: non quidem ſecundum ſe totam, aut alias ſui partes, ſed ſecundum intellectum.* Et *eſſe animam ſecundum illam partem, ſpecies ſeu formas non actu, ſed potentia.* Scitur *etiam, intellectum nec ex materia, nec in materia eſſe. hoc enim eſt non mixtum eſſe, & non aut corporeum, aut cohærentem corpore.* Qua *de re profectò uaria poſſunt cogitari & diſputari: ſed nos* Ariſtotelis *ſententiam nunc tantum explicamus, quæ tamen eſt in hoc loco ſingulariter uaria, ſibique non ſatis ubique, ut uidetur, conſtans: quod in alijs quoque diſputationibus ille in more habuit aliquando.* Et *hoc ſanè eſt neceſſe, ut uideo, fieri, in tam ſubtilium & obſcurarum rerum tractatione.* Quæ *res etiam confirmat, quod paulo antè dixi, nullas res perfectè & penitus intelligi ab hominibus.* Porrò *quod ſuprà eſt aliquoties indicatum de duplici actu & potentia, id hic etiam habet locum.* Nam *& perfectus eſt actus, &*

imperfectus: & propinqua potentia, & remota. Eſt quę *idem potentia propinqua & actus imperfectus, non tamen ut motus, & tantum aliquo modo. Motus enim nunquam perfecti rationem habet.* Potentia uerò *propinqua, ſeu actus imperfectus, ut hic intelligitur, in reliquis eſt quiddam perfectum, non quo ad operationem, ſed quo ad habitum.* Vt *qui aliquid didicit, habet ille perfectionem quandam, ſed quando non utitur illius rei intellectu, id eſt, ſpeculatur ſecundum eam, & cogitat de ea, quatenus eam didicit, actu imperfecto propemodum intelligit, aut ſcit.* Quanquam *fortaſſe melius alter actus primus diceretur, alter ſecundus: ut ſic in uniuerſum actus, ſeu entelechia motus à reliquarum rerum actibus ſepararetur.* Et *hoc eſt etiam, quod Ariſtoteles animam uocat primum actum. Animæ enim non ſunt ipſæ operationes, quæ ſunt in corpore animantis uariæ, ut creſcere, ſentire, mouere ſe, & ſimiles aliæ: ſed potentia, aut uis, aut facultas, aut uirtus, ut nonnulli appellare ſolent, & cauſſa & principium harum operationum.* Hæ *autem appellationes propinquum quiddam ſignificant, non remotum.* Nam *corpus phyſicum non habet animam, niſi quando poteſt ſecundum eam operari, cum eſt opus.* Quando *uerò ita eſt formatum, ut propediem ſit habiturum hanc uim, neutro actu uiuit, ſed mera potentia.* Prior *autem actus eſt imperfectus, & tantum habitus ocioſus: poſterior eſt perfectus, & habitus negocioſus, ut ſic dicam. Sic actus primus, eſt ſecundi actus potentia.* Non *tamen debet huc includi motus ratio, aut functio aliqua animæ conſiderari, quatenus eſt motus.* Eſt *enim motus imperfecta entelechia, ut ſuprà in prima parte eſt traditum.* Quanquam, *quod ego ſciam, apud*

Ariſtotelem nuſquam in his diſputationibus actus primus imperfectus, ſecundus perfectus dicitur. Hæc eſt uera & certa ſententia definitionis animæ in Ariſtotele, Cuius iterum hic facere mentionem uolui, cùm ideo, quòd hic etiam duplicis potentiæ meminit Ariſtoteles: tum, ut res nonnihil redderetur clarior. Et ſunt definitiones rerum ſanè diligenter & ſæpe conſiderandæ, ut quæ caput ſint & ſummæ illorum omnium, quæ de rebus dici poſſunt. Quod deinceps dicit Ariſtoteles, aliud eſſe magnitudinem, aliud magnitudinis eſſentiam, ſeu ut ipſe loquitur, τὸ εἶναι:: pertinet ad hoc, quod ſuprà dixi, eſſentiales formas rerum ab intellectu percipi: à ſenſu tantum accidentales, ut uulgò loqui ſolent. Ariſtoteles affectiones, & differentias rerum uocat. Ipſe autem uult oſtendere, aut diuerſas potentias intellectum & ſenſum eſſe, aut eandem aliter & aliter ſe habentem. Cum enim de carne iudicat anima, aliter iudicat ſecundum quod ſentit calidum & humidum, aliter cum de forma ſeu ſpecie ipſa, id eſt, eo quo ſeparatur eſſentialiter caro à rebus alijs omnibus, & quod eſt ratio carnis: cum calidum & ſimilia ſint uelut carnis materia, non forma. Quod Ariſtoteles his uerbis dicit: Omninò ergo ut ſeparari poſſunt à materia, ſic ſe habent ea quæ circa intellectum ſunt: id eſt, ut materia & ratio, ſeu forma ſunt diuerſa: ita quoque in intellectu ſunt duæ facultates, aut ſeparatæ, aut aliter ſe habentes in eodem: quarum altera diſcernit ac iudicat materiam, altera formam, ſi modò ullius rei forma ſciri aut intelligi poteſt. Quæri ſolet hic, quomodo intellectus ſit quiddam ſimplex, non mixtum, & nulli rei habens aliquid commune: cum intelligere pati quiddam ſit, & nihil nec agere queat, nec

paṫi, niſi quiddam commune in utroque ſit,potentia, ut opinor. Eatenus *enim alterum facit, quatenus eſt actu: alterum patitur, quatenus potentia eſt, id quod facit.* Ad *quod reſpondet* Philoſophus*, aliquo modo intelligere pati quiddam eſſe, non prorſus: & intellectum actum propriè quendam eſſe, non ut alterum ſit intelligibile, alterum intellectiuum, quod ad hanc quæſtionem attinet.* Idqúe *ſimilitudine quadam oſtendit his uerbis:* δεῖ δ' οὕτως ὥσπερ ἐν γραμματείῳ, ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον. Q*uæ uerba ſignificant, eſſe quidem intellectum prius, quàm intelligit, potentia, id quod ſunt intelligibilia: & fieri actu intelligibilia, quando nunc intelligit: non tamen pati aliquid, cum recipiuntur ſpecies, & actu ſit intellectus: ſicut tabula, in qua nihil ſcriptum eſt, non patitur aliquid, cùm recipit literas aut ſcripturam.* Sic *ego ſimpliciſsimè locum illum* Ariſtotelis *intelligendum puto.* Alij*, neſcio ad quam obliuionem rerum, quæ fiat initiò poſt deſcenſum animarum è cœlo in corpora, accommodant.* Eſt *& alia quæſtio:* An *ipſe quoque intellectus ſit intelligibilis.* Videtur *autem non eſſe intelligibilis propterea, quòd ſi eſt intelligibilis à ſe, & intelligibile unum eſt ſpecie, aut aliæ quoque res intelligibiles habebunt intellectum, aut miſtus ipſe quoque eſt, unde fiat intelligibilis, ut aliæ res.* Hic *nodus ita ſoluitur.* Aliter *intelliguntur, quæ ſunt in materia: aliter, quæ ſunt extra materiam.* Quæ *ſunt in materia, per ſe tantùm ſunt potentia intellectus, aut intellectus eſt illa ipſa intelligibilia potentia, quod eſt idem: quæ ſunt extra materiam, intelliguntur actu ſemper, & idem ſunt cum intellectu.* Et *ſicut ſcientia contemplatiua idem eſt, quod id quod ſciri poteſt: ita intellectus*

idem

idem eſt cum eo quod intelligibile, ſine materia exiſtens. Hæc ſunt argutiſſima, & implicatiſſima: & neſcio an ipſi etiam Ariſtoteli ſatis fuerint nota, & explicata. Idem S. Auguſtinus ſenſit. Sic enim in quodam loco inquit: Ex quo enim eſſe cœpit, nunquam ſui meminiſſe, nunquam ſe intelligere, nũquam ſe amare deſtitit. Quare ſtatuendum hoc eſt, intelligendi facultatem ſe ipſam intelligere, id eſt, certam eſſe: & quidem ex ſe, & non aliunde, quod intelligat & percipiat res intellectui ſubiacentes. Hæc generatim dicta utcunque de intellectu ſufficiant. Sequitur de intellectus quadam diuiſione. Eſt enim & faciens intellectus, & patiens.

Quid ſit intellectus faciens.

Ariſtoteles dicit, in omni natura duo eſſe: alterum, ut materiam, & hoc potentia eſſe omnia illius naturæ, ac pati: alterum ut faciens, & uelut informans materiam, ac faciens ex ea actum, quæ per ſe potentia tantum eſt ita, ut in natura fiat, quemadmodum in artibus fit, & earum materijs. Ars enim facit, materia patitur. Sic in natura & quod faciat eſt, & eſt quod patiatur. Quare in anima quoq; eſſe iſtas differentias, & in intellectu eſſe tum faciendi uim, tum patiendi. Faciens itaque intellectus eſt uis in omni anima intellectus participe efficiendi intelligentiam, in ea potentia quæ intellectus dicitur, ut ſtatuaria ſtatuam efficit. Nec ſequor ſententiam eorum, qui hunc locum exponunt rhetoricè magis, quàm philoſophicè: cum faciunt ex intellectu faciente, ſeu agente, ingenium inueniens, & excogitans aliquid per ſeſe: patientem contrà, quod illa percipit, qua ab alijs ſunt excogitata, & animaduerſa in natura, & artibus. Sic enim non eſſet in omni anima intellectu prædita

utraque hæc uis faciendi & patiendi, ſed una tantum: & mutilaretur natura rerum, prout eſt in hoc loco explicata à Philoſopho. *Si per ſimilitudinem applicaretur hæc expoſitio, & retineretur in eadem anima, ſeu intellectu, ſeu ingenio, & quidem in quolibet, quatenus habet intellectum, commoda eſſet, ac lumen adderet* Ariſtoteli: *aliter, ut opinor, non conuenit huic loco, in quo manifeſtè uni animæ utraq; hæc uis tribuitur citra dubitationem, quod ſciam.* Et *quantum hæc noua, & planè* παράδοξος *opinio trahat ſecum incommoditatum & abſurditatum, non eſt opus indicare.* Nec *eſt, cur ad potentiam & actum confugiatur, cum potētia patiatur & una ſit in intellectu: & minimè, qui docet, faciat, ſed tantummodo moneat: ac principia, quæ ſunt per ſe nota, maximè intelligantur, aut ſola, ut alicubi uult* Ariſtoteles. In *ſumma, tam puto hanc opinionem diſplicituram eſſe nonnihil exercitatis in philoſophia, quàm placet imperitis & ignauis lectoribus,* Ariſtoteles, *adeóque cupientibus eius philoſophi tam graues diſputationes transformari poſſe in aliquam plebeiam doctrinam, ut ſolent pigri.* Eſt *autem hic intellectus uelut habitus, & efficit intellectum & comprehenſionem rerum actu in anima: ſicut efficit ex aliqua parte potentia colores, actu colores lumen.* Atque *adeò quoddam lumen eſt eius potentiæ, quàm intellectum ſeu mentem uocamus, intellectus faciens: hoc eſt, efficit in illa parte animæ, ut ſpecies intelligibiles comprehendantur, & actu ſint, quæ tantum potentia prius erant.* Ex *his utcunque ſciri poteſt, quid ſit hoc genus intellectus, quem facientem uocauit* Ariſtoteles. Nam *quod ſit illud lumen, & quomodo accendatur in animo, ſcire nemo omnium hominum poteſt,*

teſt, quantumcunque ingenioſus: nedum nos, tardi & rudes propemodum talium rerum. Hunc intellectum Ariſtoteles dicit ſeparari poſſe, non miſtum eſſe, nihil eum pati, & actu eſſe ſubſtantiã, item perpetuum & immortalem eſſe. Sed ut eo rectius & melius intelligi poſsit hæc deſcriptio intellectus facientis, ipſius autoris uerba ſubijciam. Sic ait in hoc loco: καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς, καὶ ἀμιγὴς, καὶ ἀπαθὴς, τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια. Et paucis uerbis interpoſitis: χωρισθεὶς δ' ἐστὶ μόνον τοῦθ', ὅπερ ἐστὶ, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον, καὶ ἀΐδιον. Hæc uerba etiam uidentur mihi profectò non debere aliter accipi, quàm ſonant, & ita ut in hoc ſcriptore alioqui ſignificant: nec debemus putare uerbis hic uoluiſſe hanc potentiam extollere Ariſtotelem, & Rhetorum more tantum laudare, ac non ſenſiſſe ita exiſtere ſemper, etiam extinctis reliquis animæ facultatibus, ut Chriſtiani credunt, & Plato ſenſit animam poſt mortem uiuere ſegregatam à corpore. Non eſt enim hoc uſitatum Ariſtoteli, præſertim in hac diſputatione, ubi tantum abeſt ut copioſè & populariter ſententiam ſuam explicauerit, ut etiam in multis locis uehementer ſit breuis & abruptus. Quanquam hoc non tam accidit propterea, quòd breuitatis fuerit amans hic philoſophus, aut quòd uoluerit has res obſcurè tradere, aut aliam quamcunque cauſam, quàm quòd obſcuræ & tenues, ac procul à noſtro uelut conſpectu ſunt poſitæ: ſitqúe hoc noſtro quodam uitio & culpa, cùm non intelligimus eas diſputationes, quòd non ita diligenter in iſtarum rerum cõſideratione & tractatione uerſamur, ut illorum temporum homines facere ſoliti ſunt. Pleraq; etiam in hoc ſcriptore deprauata ſunt iniuria temporum, & negligentia hominum haud dubiè: ut ni-

hil dicam de operibus, quæ interierunt. Verùm ut eò redeat, unde eſt digreſſa oratio, non debent hæc uerba Ariſtotelis aliter exponi, quàm ſimpliciter, & pro ſuis proprijs ſignificationibus, ita ut uerè immortalem eſſe animam ſecundum hanc partem ſentiat. Nam ſicut initio diſputationis huius totius reliquas potentias interire dixit ideo, quòd non poßint abſque corpore eſſe: ita hic rectè putatur docere, æternum eſſe intellectum propterea, quòd extra corpus queat eſſe, & ſeparabilis, aut etiam ſeparatus ſit. Quanquam enim eſt additus corpori humano, ſic tamen in eo non eſt, ut ſit ei miſtus & adnexus, ut materiæ. Atque id in hoc loco affirmat Ariſtoteles in primo libro ſemel, atque iterum uelut incertum poſuit, & tamen huc magis quàm illuc propendens. Sic ait in principio primi libri: μάλιςα δ' ἔοικεν ἴδιον τὸ νοεῖν. Sed addit, niſi hoc ipſum intelligere, ſit quædam phantaſia. Alioqui enim proprium non eſſet animæ intelligere, cum & phantaſia, & reliquæ potentiæ non queant exiſtere, niſi in corpore. Ac ſtatuit hoc, ſi proprium ſit aliquid animæ, non commune toti animanti, quod habet animam, ſeparabilem eſſe animam. Quod obſeruari debet, ne quid imaginemur de ſolo intellectu, ut ſit: & non coniungamus cum intellectus immortalitate, immortalitatem animæ. Et hoc ferè eſt, quod Democritus putauit, ſimpliciter idem eſſe intellectum & animam. Atque ſic non tantùm ſecundum partem, uerum ſecundum totum etiam, ſenſit animam Ariſtoteles immortalem eſſe. Non enim hoc minuit eius perpetuitatem, quod ex corpore diſcedens illas uires amittit, quæ nō ſine corpore poſſunt eſſe. Ideo autem non poſſunt ſine corpore eſſe, quòd cum operantur, certis parti-

bus

bus corporis ad hoc utuntur:nec poſſunt,niſi cum uel motione,uel alia partium illarũ affectione fieri. Quanquam fortaſſe uires non ita perdit,ut non poſſet reuerſa in corpus,ſecundũ eas operari,ſed eatenus tantum,quatenus non poteſt hoc facere abſque corpore organico:id eſt,potentias propinquas amittit,remotas non amittit. Hoc omnino uidetur mihi ex illis uerbis:Philoſophi concludi poſſe,& debere.Poſtea ualde ſplendidè,& nõ paulo expreßius de æternitate intellectus loquitur,qui totus locus ita ad hanc diſputationem pertinet,ut nõ tantùm dignus ſit qui legatur,ſed etiã ediſcatur.Sic ille inquit: ὁ δὲ νοῦς ἔοικεν ἐγγίνεσθαι οὐσία τις οὖσα, καὶ οὐ φθείρεσθαι. μάλιστα γὰρ ἐφθείρετ' ἂν ὑπὸ τῆς ἐν τῷ γήρᾳ ἀμαυρώσεως. νυνὶ δ' ὥσπερ ἐπὶ τῶν αἰσθητηρίων συμβαίνει. εἰ γὰρ λάβοι ὁ πρεσβύτης ὄμμα τοιονδί, βλέποι ἂν ὥσπερ καὶ ὁ νέος. ὥστε τὸ γῆρας οὐ τὸ τὴν ψυχὴν πεπονθέναι τι, ἀλλ' ἐν ᾧ. καθάπερ ἐν μέθαις, καὶ νόσοις, καὶ τὸ νοεῖν δὴ, καὶ τὸ θεωρεῖν μαραίνεται, ἄλλου τινὸς ἔσω φθειρομένου, αὐτὸ δὲ ἀπαθές ἐστι. τὸ δὲ διανοεῖσθαι, καὶ φιλεῖν, ἢ μισεῖν, οὐκ ἔστιν ἐκείνου πάθη, ἀλλὰ τουδὶ τοῦ ἔχοντος ἐκεῖνο, ᾗ ἐκεῖνο ἔχει. διὸ καὶ τούτου φθειρομένου, οὔτε μνημονεύει, οὔτε φιλεῖ. οὐ γὰρ ἐκείνου ἦν, ἀλλὰ τοῦ κοινοῦ, ὃ ἀπόλωλεν. ὁ δὲ νοῦς ἴσως θειότερόν τι, καὶ ἀπαθές ἐστι. *Hic locus omnino conuenit cum ſuprà citatis ex tertio libro,niſi quòd non ita manifeſtè aſſeuerat, ut illa.Conſiderandum autem,& notandum eſt ſingulariter,quòd hic dicitur,non corrumpi intellectum:idque hoc ſigno probat,quod non obſcuretur, aut debilitetur in ſenectute.Quod enim tale dicitur eſſe in hoc autore, id ſemper eſt,nec occidit,aut intermoritur.Ad quod faciunt,quæ ſequuntur,cum diuinius quiddam eſſe dicitur, & impaßibile intellectus.Obſeruãdum & hoc eſt, quod*

dicit, animam nihil pati, ſed id, in quo ſit anima: & affe-ctiones alias non eſſe animæ affectiones, ſed totius, & habentis animam, quatenus habeat. Hæc enim ad id faciunt, quod nunc eſt dictum, non modò intellectum, ſed ipſam animam eſſe immortalē, ſenſiſſe Ariſtotelem ita, ut & reliquæ animæ qualitates maneant aliqua ex parte ſemper, non prorſus pereāt. Si enim nihil patitur anima, & eatenus amare & odiſſe, & eiuſdem generis alia ſunt in ſuis organis, quatenus in eis ſunt: id eſt, quatenus non poſſunt efficaces eſſe, & operari ſine corporeis inſtrumentis: neceſſe eſt, animam eſſe æternam, & eius uires pleraſque alias, præter intellectum, relinqui poſt mortem etiam quomodocunque. Prætereà quod non patitur, non eſt obnoxium corruptioni: quod autem nō eſt obnoxium corruptioni, ſemper eſt: quod ſemper eſt, immortale eſt: Ergo anima eſt immortalis, ſiquidem nihil patitur anima. Sed obijciat aliquis, Ariſtoteles hic dicit, parem eſſe rationem uiſus & intellectus: Cur igitur non aut uiſus eſſet immortalis, aut intellectus æquè interiret ac uiſus, & aliæ uires animæ? Item quare, cum dicat intellectum marceſcere, debilitato aliquo interiore, non putatur ſentire non minus eum eſſe in materia, quàm ſunt aliæ potentiæ? Ad prius ita reſpondeo: Antè eſſe dictum, aliter non pati ſenſum, quàm intellectum: & hic intellectum non facientem, ſed patientem, id eſt, communem toti ſubſtantiæ hominis, & coniunctum cū alijs facultatibus animæ intelligēdum eſſe. Is enim, ut reliquæ uires, nō tantùm debilitatur ſeneſcente homine, ſed prorſus extinguitur cum homine. Aut certè, ſi non debet hoc accipi de iſto genere intellectus, ſic intelligendum eſt, ut tamen non ponatur mortalitas animæ rationalis, aut intellectus

tellectus

tellectus facientis,cum alias uires dicat interire & mori,intellectum uerò languidum tantum aut marcidū fieri.Quanquam obſtat quod addit,ad corruptionem alterius alicuius interioris,ita marceſcere intellectū:quo uidetur ſignificare,intellectum talem in materia eſſe. Quare magis priorem reſponſionem probo.Ac intellectus,qui facit:nihil ad hominis rationem aut naturam pertinet,cum ſit animæ proprius,non communis toti:ac ideo nō eſt mirum,debilitato aliquo interiore,hominis, id eſt,totius intellectum debilitari,aut,ut clarius dicam, hominem infirmè intelligere,cum patiēs intellectus unà debilitetur,& faciens animæ ſit,non hominis.Eſtq; ſanè peringenioſè hoc à Themiſtio cogitatum & inuentum,magnámque lucem huic obſcuriſsimo loco Ariſtotelis affert, quòd facit duplicem intellectum,generalē, & ſpecialem.Generalem,ſeu communē tribuit toti ſubſtantiæ hominis:ſpecialem uerò,animæ tātum rationali,& ſeparatæ à corpore.hunc extra materiam collocat,& immortalem facit:illum ſtatuit in materia,& facit morti obnoxium.Idem autor ponit etiam differentiam inter intellectum potentiæ, & patientem intellectum,ſic:ut prior ſit immortalis,poſterior uerò mortalis.Quod neſcio an debeam probare,præſertim cū quod patitur ſit materia, & materia ſit ens potentia:id eſt, cum eatenus,quod patitur,patiatur,quatenus eſt potentia faciens:& contrà,quod eſt potentia,ſit eatenus potentia,quatenus uel patitur,uel pati poteſt.Adeò ſynonyma ſunt,ut arbitror,materia,paſsibile, & quod exiſtit potentia.Deinde locus,quem ad hoc citat Themiſtius,non uidetur tantum de intellectu potentiæ loqui, ſed generatim de illa facultate,aut ea quæ facit,quæq;

non eſt

non eſt facultas,ſed actus,ut paulò antè eſt indicatū. Ibi enim eſt additum,in ijs quæ ſunt ſine materia,idem eſſe, quod intelligit,& quod intelligitur. Quæ uerba certè coniungūt faciens & patiēs, & unum ex eis faciunt:nec intelligit intellectus faciens eum qui eſt potentia,ſed ſe ipſe. Ideóque intelligibile debet ibi intelligi pro eo quod eſt actu tale,& idem cum faciente. Præterea in hoc loco,ubi de duplici intellectu agente & patiente Philoſophus docet,claris uerbis dicitur, intellectum patientem eſſe,ut materiam,& omnia fieri. Hoc ſi non de potentia intelligendum eſt,neſcio de qua re debeat intelligi. Iſta enim ſit hoc,cuius eſt potentia.ut æs eſt potētia ſtatua, quatenus debet ex eo fieri ſtatua,idémque eſt materia ſtatuæ.& potentia non eſt hoc,quod recipit illud, quod eſt potentia, ut hic Themiſtius de intellectu putat:ſed quod ſit hoc,quod exiſtit potentia,accepta forma. Nam ut maneamus in exēplo iam poſito,æs quatenus eſt potentia ſtatua,non recipit ſtatuam,quando ſit ſtatua:ſed fit ſtatua, & recipit formam. Sic etiam hic intellectus, quem Themiſtius ſeparat ab intellectu patiente, non recipit intellectum,quando fit actu intellectus:ſed formas rerum intelligibilium,quæ cum actu ſunt, aut intelligūtur,idem ſunt quod intellectus eſt:aut formam dant intellectui,ſeu eſſentiam,non continentur in intellectu ſicut in theca aliqua. Idem pati,ut Ariſtoteles in alijs locis dicit,proprium eſt materiæ. Idem ergo eſt materia,& potentia. Verùm hæc inuolucra alijs relinquo peritioribus expedienda copioſius:& nobis hoc ſufficiat oſtendiſſe, Ariſtotelem ſentire,quòd uel intellectus agens,uel anima ſecundum eam partem ſit immortalis. Quàm bene aut uerè,ad nos in hoc loco nihil admodum pertinet.

Atque hanc eſſe huius autoris ſententiam, non Themiſtius *modò, uerùm etiam alij multi iudicant.* Atque *ſic aut nullo prorſus, aut exigua eſt differentia inter* Ariſtotelis *ſententiam, &* Platonis, *quod ad hãc partem diſputationis de Anima pertinet.* Vterque *enim nõ totam animam, ut ſic dicam, aut ſecundum omnes potentias æternam eſſe docet, mentem tantum, hoc eſt intellectum.* Græci *à* νοεῖν *appellant* νοῦν, *latini ueteres animum, uolunt non mori.* Quod *autem hoc uelit* Ariſtoteles, *ſatis nunc eſt, ut arbitror, monſtratum.* De Platone, *quanquam non eſt dubium, aut obſcurum, quin hoc ſenſerit: tamen aliquot locos ex eo philoſopho huc inſeremus, ut imperitiores non tantùm famam ſequantur, ſed certò ſciant, quid* Plato, *& cur, quod iudicauit de anima, indicauerit.* Ac *primo ſic ait in* Timæo: οἱ δὲ μιμούμενοι παραλαβόντες ἀρχὴν ψυχῆς ἀθάνατον, τὸ μετὰ τοῦτο θνητὸν σῶμα αὐτοὶ περιετόρνευσαν, ὄχημά τε ἅπαν τὸ σῶμα ἔδωσαν, ἄλλο τε εἶδος ἐν αὐτῷ ψυχῆς προσῳκοδόμουν τὸ θνητὸν, δεινὰ καὶ ἀναγκαῖα ἐν αὐτῷ παθήματα ἔχον· πρῶτον μὲν ἡδονὴν, μέγιστον κακῶν δέλεαρ: ἔπειτα λύπας, ἀγαθῶν φυγάς. ἔτι δ' αὖ θάρρος, καὶ φόβον, ἄφρονε ξυμβούλω, θυμόν τε δυσπαραμύθητον, ἐλπίδα τ' εὐπαράγωγον αἰσθήσει τε ἀλόγῳ, καὶ ἐπιχειρητῇ παντὸς ἔρωτι. ξυγκερασάμενοι τ' αὐτά. ἀναγκαίως τὸ θνητὸν γένος ξυνέθεσαν, καὶ διὰ ταῦτα δὴ σεβόμενοι μιαίνειν τὸ θεῖον, ὅτι μὴ πᾶσα ἦν ἀνάγκη, χωρὶς ἐκείνου κατοικίζουσιν εἰς τὴν τοῦ σώματος οἴκησιν τὸ θνητὸν, ἰσθμὸν, καὶ ὅρον διοικοδομήσαντες τῆς κεφαλῆς, καὶ τοῦ στήθους, καὶ αὐχένα μεταξὺ τιθέντες. Quòd *autem cenſuerit animam uiuere poſt mortem, in alijs multis locis claré teſtatur.* In Phædone *hoc addit, animam redire in corpora, & ex mortuis uiuos fieri, ſicut ex uiuis mortui fiant.* Verba *eius ſunt:* ἀλλ'

ἐστι

ἔστι τῷ ὄντι καὶ τὸ ἀναβιώσκεσθαι, καὶ ἐκ τῶν τεθνεώτων τοὺς ζῶντας γίγνεσθαι, καὶ τὰς τῶν τεθνεώτων ψυχὰς εἶναι, καὶ ταῖς μὲν ἀγαθαῖς ἄμεινον εἶναι, ταῖς δὲ κακαῖς κάκιον. Idq́; hoc *probat argumento, quòd omnis motus ſit ex contrario in contrarium.* Nunc *ſi ex uita eſt mutatio in mortem, nec poteſt aliũde mors eſſe niſi ex uita, eſt etiam uita ex morte: nec poteſt eſſe uita aliunde, quàm ex morte. Sed ut tota res aliqua ex parte clarior fiat, & melius intelligi poßit, ſubijciam aliquot cauſas, propter quas* Plato, *uel* Socrates *nomine* Platonis, *arbitratus eſt animã nunquam interire, cum id facere non ab hoc loco alienum ſit: & ne ſit noua de hac re nobis inſtituenda quæſtio, qui, quantum poteſt fieri, non declinare ab* Ariſtotelis *ordine ſtudemus.* Prima *cauſa eſt, quam nunc poſuimus, quia motus omnis in contrariũ eſt.* Quod *ſi ita eſt, neceſſe eſt, animam ſolutam à corpore eſſe alicubi, quæ alij corpori, in quod includitur poſt præſtitutum tempus, uitam præbet æquè, ac priori. Alioqui enim finiretur tandem motus, qui eſt à uita ad mortem, & relinquerẽtur omnia mortua, Sicut omnis motus eſt in contrariũ, ne aliquando fiant unum quiddam uniuerſa, quod* Anaxagoras *putauit.* Secunda *eſt: Diſciplina eſt reminiſcentia, fuit itaq; anima prius quàm nos eſſemus.* Quod *cum ſit, nihil uetat remanere animam poſt mortem.* Quare *immortalis eſt anima.* Quod *autem diſcere nihil ſit aliud quàm reminiſci, prolixè & ſatis ueriſimiliter oſtẽdit in* Phædone, *ubi hæc diſputantur.* Sequitur *tertia cauſa, quæ ducitur à rerum ſpeciebus.* Duæ *ſunt, inquit, rerum ſpecies: altera uiſibilis, altera inuiſibilis.* Viſibilis *non eodem modo ſemper ſe habet, nec manet.* Contrà *inuiſibilis manet eadem, & ſibi ſemper ſimilis eſt, ac*

diuinum

diuinum quiddam. Talis *autem eſt anima:eſt igitur immortalis:atque ita,ut quò propius eſt coniuncta cũ corpore,pérque illud agit, eo minus ſuum officium facere poteſt,aut,ut* Plato *loquitur* πλανᾶται, καὶ ταράττεται, καὶ ἰλιγγιᾷ, ὥσπερ μεθύουσα. Quarta *ſumitur à dignitate animæ,& præſtantia,collata cum altera hominis parte,quæ corpus eſt.*Anima *præeſt,inquit,& dominatur, corpus ſeruit & paret.* Neceſſe *ergo eſt, differentiã inter hæc duo eſſe,nec animam occidere ut corpus.* Ex *his argumentis uult* Socrates *hoc ſequi,utar ipſius uerbis,* τῷ θείῳ, καὶ ἀθανάτῳ, καὶ νοητῷ, καὶ μονοειδεῖ, καὶ ἀδιαλύτῳ, καὶ ἀεὶ ὡσαύτως καὶ ταῦτα ἔχοντι ἑαυτῷ ὁμοιότατον εἶναι ψυχὴν, *non quod eſt his contrarium.* Additur *& quinta cauſa infirmior ſuperioribus,& ex minore collecta.* In Aegypto *conſeruantur diu corpora mortuorum,& defendũtur à putrefactione:& ut maximè pereant quædam eius partes,tamẽ oſſa & ſimilia membra quædam perpetuò durant:quanto magis anima iudicãda eſt perpetuò exiſtere.* Sextò *ad hunc modum probat immortalitatẽ animæ ſubtiliter ſanè,& ſatis philoſophicè.* Non *modò con trariorum ſpecies nõ recipiunt ſe mutuò,ſed aliæ quoq; res quædam(intelligit autem ſubſtantias, & ea quibus nihil eſſe contrarium,*Ariſtoteles *in* κατηγορίαις *docet) non recipiunt contraria per uices.* Vt *igni quidem,& ternario nihil eſt contrarium,ſed tamen ſunt in ijs rebus formæ ſeu ideæ,ut ipſe loquitur,quæ habent contraria, nec poſſunt ea recipere,quatenus illæ ſunt.* In *igne eſt calor,in ternario imparitas, quæ formæ uelut abſoluunt ignis & ternarij formam ſeu ideam, nec poſſunt auelli ab illis rebus,quatenus exiſtunt:id eſt,nunquã ignis poteſt frigidus,nec par eſſe ternarium.* Sic *etiam anima,*

quæ

qua nihil habet contrarium, non poteſt recipere mortẽ, quæ contraria uitæ eſt: quæ eſt forma perficiens animæ idæam, quódque nõ poteſt ab anima, quatenus eſt, ſegregari. Deinde *alia forma, & propemodum per inuerſionem docet idem, Quod efficiat aliquam rem eſſe talem, illud hoc quoque ſecum afferre: ut, quod effectum eſt, non patiatur ſibi cõtrarium in ea re. ut ignis efficit corpus calidum, unitas uel ternarium efficit imparem numerum, febris efficit corpus ægrotum: & quatenus illa ſunt ita effecta, non poſſunt eſſe contraria. ut calidum in corpore non poteſt eſſe frigidum, impar non eſſe par, ægrotum nõ poteſt ſanum eſſe.* Ita *quoque animam, cum efficiat corpus uiuum, aut potius cuicunque corpori coniungatur id uiuum fieri, uitæ autem mors contraria ſit, immortalem eſſe. Septima cauſa poteſt ex his uerbis, quæ ſunt in eodem lib. ſumi:* εἰ μὲν γὰρ ἦν ὁ θάνατος τοῦ παντὸς ἀπαλλαγή, ἕρμαιον ἂν ἦν τοῖς κακοῖς ἀποθανοῦσι τοῦ τε σώματος ἅμα ἀπηλλάχθαι, καὶ τῆς αὐτῶν κακίας, μετὰ τῆς ψυχῆς. Non *enim eſt ueriſimile, præſertim cum ex magna parte malis in hac uita bene ſit, non punitum eos iri aliquando,* Quod *omnino fieret, ſi non eſſet immortalis anima.* Sic *etiam, quàm eſſet futurum abſurdũ, quàm iniquum, ſi bonis, qui plerunque malè hic habent, non eſſet aliquando bene futurum.* Hoc *autem nõ poſſet accidere, ſi omnia in morte extinguerentur.* Eodem *argumento utuntur* Chryſoſtomus *&* alij Theologi, *ad oſtendendam reſurrectionem mortuorum, & habet certè magnum pondus.* Colligi *& hoc argumentum ex* Platonis *diſputationibus poteſt:* Quod *ſeipſum mouet, eſt immortale: anima ſeipſa mouet, immortalis igitur eſt anima.* Statuit *enim* Plato, *quòd anima ſeipſa moueat.*

De *motu*

De motu autem qui eſt à ſe, eleganter dicit in Timæo: τῶν δ' αὖ κινήσεων ἡ ἐν αὑτῷ ὑφ' ἑ αὐτοῦ ἀρίστη κίνησις. μάλιστα γὰρ τῇ διανοητικῇ τῇ παντὸς κινήσει ξυγγενής. *Ariſtoteles de motu longè docet aliter: id quod bis nunc in præcedentibus, aut ſæpius eſt oſtenſum. Poſtremò in quadam epiſtola demonſtrat, his uerbis perpetuitatem animæ cum magna grauitate, & maximè ſeriò:* ἐπειδὴ καὶ τυγχάνουσι κατά τινα φύσιν οἱ μὲν ἀνδραποδωδέστατοι οὐδὲν φροντίζοντες αὐτοῦ, οἱ δ' ἐπιεικέστατοι πᾶν ποιοῦντες, ὅπως ἂν εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον εὖ ἀκούωσιν. ὅθεν καὶ ἐγὼ τεκμήριον ποιοῦμαι, ὅτι ἐστί τις αἴσθησις τοῖς τεθνεῶσι τῶν ἐνθάδε. αἱ γὰρ βέλτισται ψυχαὶ μαντεύονται ταῦτα οὕτως ἔχειν. αἱ δὲ μοχθηρόταται οὔ φασι. κυριώτερα δὲ τὰ τῶν θείων ἀνδρῶν μαντεύματα, ἢ τὰ τῶν μή. *Decernit idem in epiſtola non minus grauiter, cum ait:* πείθεσθαι δὲ οὕτως ἀεὶ χρὴ τοῖς παλαιοῖς τε, καὶ ἱεροῖς λόγοις, οἳ δὴ μηνύουσιν ἡμῖν ἀθάνατον ψυχὴν εἶναι. *Hoc argumentum Platonis, & illud quod ſeptimum paulo antè poſuimus, iudico eſſe omnium illius philoſophi argumentorum firmiſſima & conuenientiſſima rationi, ſicut etiam nihil argutiarum & obſcuritatis habent. Quanquam non ſunt* ἀποδείξεις, *hoc eſt eiuſmodi, contra quæ nihil dici poſſit, aut quæ neceſſitatem ſecum afferant. Cæterùm Plato uſque adeò non concedit animam interire, ut uelit etiam brutorum animas immortales exiſtere: & quidem hominum malorum animas in bruta migrare, alia poſt alia tantiſper, donec puræ & bonæ fiant: ac tum demum non redire, & collocari inter beatos. Sed iamdudum ſatis erat clarè Platonis iudicium & ſententia de hac re monſtrata. Quare omiſſo Platone, ad reliqua huius diſputationis pergo. Theologi quoque non uno*

modo hac de re ſcripſerunt. Alij cenſent, eas quotidie creari, quando naſcantur homines. Alij primam tantum creatam eſſe uolunt, reliquas omnes ſequentes ex prima illa ſatas & progenitas, aut factas ex traduce, ut ipſi loquuntur. Nonnulli ex diuina ſubſtantia factas eſſe animas contendunt. Inuenias, qui ſimul omnes factas eſſe opinati ſunt. Origines putauit, omnes animas angelos fuiſſe, & propter peccata eſſe detruſas in hæc terrena corpora, alias in alia pro peccati modo. Illas in dæmones mutari, ſi nõ purgentur: ſi purgentur, in ſuam naturam redire. Ex dæmonibus etiam fieri iterum angelos, ſi abluant ſordes. Sed Platonicum, aut potius Socraticum eſt hoc figmentum, & indignum Theologo. Aliorum ferè opiniones omnes reprobatæ ſunt: una illa manſit, & recepta eſt, quæ ponit omnes creari, & cum præparato nunc corpore ad recipiendam uitam coniungi: & tum creari, quando corpus ſit in utero formatum ad hoc, ut eam recipere poßit. Hieronymus etiam anathemate flagellat eos, qui ex traduce putant eſſe propagatas animas: & tamen infirmum eſt admodum, quod ſumit ad contrariam ſententiam probandam ex Pſalmo, Qui finxit ſigillatim corda eorũ. Vtuntur ad hoc etiam alijs locis recentiores, & addunt rationes, quibus tamen & ipſi demonſtrandi uim non tribuunt: ut eſt uidere in diſputationibus eorum, Diſtin. 17. libro 2. Sent. Ego nihil reprehendo in opinione uſitata. Verùm hoc diſceptare & dijudicare, non eſt huius inſtituti. Quanquam ne in Theologicis quidem diſputationibus hæc argutius diſputare prodeſt admodum, imò ſæpe obeſt multum: non tantùm ideo, quòd interim res magis neceſſarias ad pietatem omittunt homines, ſed etiam quia turbantur

animi

animi hominum ſæpe iſtis argutijs, & abducuntur ab ijs quæ propriè pertinent ad religionem. Satis enim eſt hoc credere, eſſe uitam poſt hanc uitam, & reuictura etiam corpora omniũ hominum olim in extremo iudicio: nec poteſt, quomodo hoc fiat, ullis rationibus, aut argumentis doceri. Ex his, *quæ hactenus tum de intellectu agente, tum de animæ perpetuitate dicta, non obſcure iudicari poteſt, aliter* Ariſtotelem *de animæ æternitate, aliter ſacras literas, &* Theologos *docere.* Ariſtoteles *enim nullam potentiam remanere in anima dicit præter intellectum: quanquam ille intellectus eſt actus, non potentia propriè, poſt mortem.* Theologi *non tantùm intellectum, ſeu, ut ipſi loqui ſolent, uiſionem tribuunt animæ poſt hanc uitam, ſed etiam alias quaſdam functiones, ut ſunt meminiſſe, amare, & delectari: niſi magis fortaſſe hoc intelligendum eſt de homine reſuſcitato, aut anima iterum coniuncta cum corpore.* Eſt & *hoc diſcrimen inter philoſophorum & theologorum ſententiam de anima, quòd hi dicunt, creatum quiddam eſſe animam: illi plerumque partem diuinæ aut cœleſtis, ac perpetuæ naturæ ponunt animam.* Vnde *haud dubiè manauit error* Manichæi, *qui ſenſit* Dei *partem eſſe animam: & abſurdiſſimè, ut* Theologus, *duplicem naturam in homine ſtatuit, bonam & malam.* His *pertractatis, ut conſtitutum erat, breuiter, ad* Ariſtotelem *reuertamur.* Eius *inter alia quæ nunc ſunt dicta, & hoc decretum obſeruari diligenter debet:* ἀεὶ γὰρ τιμιώτερον τὸ ποιοῦν τοῦ πάσχοντος, καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς ὕλης. Et *hoc ipſe accommodat ad ea quæ ſuprà ſunt dicta de intellectu agente & patiente. quorum hic eſt inferior, quia eſt materia: ille ſuperior & præſtantior, quia facit, & eſt tan-*

quam ſol in anima,ut Plato *uoluit.* Idem *in artificiali=bus quoque rebus locum habet.* Nobilius *enim quiddam eſt tunica, aut domus, quàm aut pannus, aut lapides & ligna .* Quanquam *ſæpe homines materiam formæ præferunt, ut argentei poculi pluris eſt inter homines materia,hoc eſt argentum,unde confectum eſt poculum, quàm forma,hoc eſt,quod artifex addidit, & effecit ut argentum eſſet poculum,non tamen re ipſa,& ueré,aut propriè,precioſius eſt argentum,quàm poculi ratio,ſeu forma, aut ut ſic dicam* ἀριστοτελικωτέρως, *per accidens precioſius eſt argentum forma, non per ſe, quod ad ar=tem attinet.* Non *enim propriè ad materiam pertinet, aurum uel argentum eſſe: aliunde hoc eſt,atque accidit. nec minus eſt materia,quando eſt lignũ aut lutum,quàm quando eſt argentum uel aurum.* Notandum *& hoc eſt in eo loco:* τὸ αὐτὸ δ' ἐστὶν ἡ κατ' ἐνέργειαν ἐπιστήμη τῷ πράγματι, ἡ δὲ κατὰ δύναμιν χρόνῳ προτέρα ἐν τῷ ἑνί, ὅλως τε δ' οὐδὲ χρόνῳ. Non *multo poſt addit cauſam :* ἐστὶ γὰρ ἐξ ἐντελεχείᾳ ὄντος πάντα τὰ γιγνόμενα. Puto *autem eum per unum intelligere indiuiduum,aut particulare, quod ipſe alioqui* καθ' ἕκαστον *uocat : & cogitari ſanè tales res facilius poſſunt,quàm efferri, præſertim à non ſatis earum perito,ut ego ſum.* Porrò *hæc uerba,quæ ſunt in eadem diſputatione* Ariſtotelis, Non *recordamur au=tem,quod hoc ſit impaßibile:multum habent obſcurita=tis propter breuitatem,& pepererunt duas quæſtiones, quas exanimauit &* Themiſtius *in ſua paraphraſi.Sunt autem quæſtiones ,* Vtrum *illa uerba hoc ſignificent, quod intellectus communis,ſeu patiens dicatur, non re=miniſci ea quæ pertinent ad intellectum agentem : ſeu, quæ intellectus agens intellexit antè, quàm coniungere=*

tur

tur cum patiente, id eſt, ante hominis perfectionem: an uerò intellectus agens poſt corruptionem hominis non recordetur eorum, quæ intellecta ſint interea dum uiueret homo. Ad hoc reſpondet Themiſtius multis uerbis, quorum ſummam paucis nos percurrere conſtituimus. Primò dicit, abſurdum eſſe prius illud quærere, cum non ſit rationi conſentaneum, incorruptibile percipi aut intelligi à corruptibili. Secundò ex collatione, & apta quidem illa ſimilium dictorum de utroque intellectu, quæ ſunt in primo libro, & non ita multo antè à nobis citata, cum ijs quæ in hoc loco dicuntur de eadem re, oſtendit & hoc eſſe motum ab Ariſtotele in hac parte huius diſputationis, cur non recordemur poſt mortem, ea quæ in hac uita geſſerimus, aut intellexerimus: & eam rationem adiectam, quod agens intellectus ſit impaßibilis, patiens uerò & corruptibilis, & eiuſmodi, ut ſine illo prorſus intelligat nihil. Atque hoc per quæſtionem tractat, quæ erat de illis duabus poſterior, quare hoc Ariſtoteles docuerit. Sed ipſum Themiſtium de hac re ſummatim Hermolai Barbari *uerbis loquentem audiamus. Sic autem ait: Quare ſatis per ſe reuicti & confutati uidentur ij, qui Ariſtotelem quaſi accuſare audent, ceu hoc loco dubitauerit, non hoc quod modò nos diximus, expoſuimúsque: ſed illud, Quamobrem non recordemur earum rerum, quas intellectus agens ſecum uerſauit, intellexitque antè, quàm conſtitutionem hominis accedat. Nónne audiunt, Ariſtotelem clara, atque adeò exerta uoce clamantem, extincto communi intellectu, agentem nec intelligere poſſe, nec meminiſſe? Quia hæ affectiones illius non erant, ſed eius communis quod interijt. Quapropter & cum denuò hic dicat,* Non recordamur

idcirco, quia hic impatibilis eſt, ac patibilis abolitioni obnoxius eſt, innuere uidetur, hominem eſſe intellectum illum agentem & impatibilem. Corrumpitur, inquit, & intercidit communio. Vnde quanquam immortales ſumus, tamen meminiſſe non poſſumus, eorum quæ ſimul cum intellectu mortali didicimus. Quàm uerò ſit apta hæc expoſitio, declarant uerba iſta primi libri: Quapropter continente corrupto, neque meminit, neque amat. Quia non erant illius hæc, ſed communis, quod perijt. Pulchrè enim uidentur conuenire cum ijs quæ hic dicuntur, non meminiſſe nos, quòd intellectus agens ſit impaßibilis: patiens autem ſit paßibilis & corruptibilis, & cum quibus illa comparat, ac idem ſignificat ac docet Themiſtius. In illis etiam uerbis Themiſtij ſunt obſeruanda, quæ obiter addidit, hominem eſſe intellectum agentem: quod planè παράδοξον eſt, cum ex anima & corpore conſtet hominis natura, non ſolùm ex anima aut intellectu: quanquam præcipua noſtri pars eſt intellectus. deinde quòd ſimus immortales. Fortaſſe ad totam ſpeciem reſpexit, ut nos in definitione ſuprà fecimus, ex 2. libro de Gener. anim. Præterea, quòd ad Themiſtij interpretationem attinet, hoc me nonnihil mouet, quòd Ariſtoteles in alijs omnibus locis ubi hæc tractantur, non tamen in eo, cuius ſæpe eſt facta mentio, τὸ μνημονεύειν tribuit toti hominis ſubſtantiæ, non intellectui ſeparato, & ei quem uocat agentem: adeò ut Ariſtoteles alibi dicat, βέλτιον γὰρ ἴσως μὴ λέγειν ψυχὴν ἐλεεῖν, ἢ μανθάνειν, ἢ διανοεῖσθαι, ἀλλὰ τὸν ἄνθρωπον τῇ ψυχῇ. Hic uerò dicit, οὐ μνημονεύομεν δέ. Quòd certè uerbum & ad primam perſonam pertinet, & non tantùm de intellectu, ſed de totis nobis dicit. Quare ſuſpicor aut

primam

primam partem prioris quæſtionis de illis duabus quæ iam agitatæ ſunt, approbandam eſſe contra Themiſtium: aut totam rem de intellectu, prout eſt in homine, dum uiuit, intelligendam eſſe. ut Ariſtot. uelit aut hoc dicere, tametſi agens intellectus ſit immortalis & perpetuus, tamen hoc non poſſe hominem ſcire, & certò apud ſe ſtatuere, cum agens intellectus non ſit communis toti homini, ſed proprius animæ: nec eatenus homo intelligat, quatenus hunc habeat intellectum, ſed quatenus habeat communem illum, ſeu patientem (ſed ita uerbi eſſet abuſio, & acciperetur pro Intelligo aut ſcio, quod ſignificat reuocare in memoriam) aut illud, Non recordari nos homines integros exiſtentes, quod aliquando, cum nõdum eſſemus homines, intellexerimus aliquid: uel quod intellectus ſit impaßibilis & perpetuus, ut ipſe loquitur, propterea quòd agens intellectus ſit immortalis, patiens autem mortalis: hoc eſt, quod ſecundum hunc intelligamus, quatenus ſimus homines propriè: ſecundum illum non propriè, quatenus homines ſimus, intelligamus, cum agens ſit animæ proprius, & à toto ſeparatus, prout totum intelligat, recordetur, amet: patiens autem ſit communis toti homini, quatenus ſit homo. Hanc ſententiam nunc etiam probo & ſequor, licet ſic quoque ſit non ſolùm uerbi μνυμονεύειν, ſed totius orationis Cathachreſis. Græcum enim uerbum ſignificat redigere in memoriam, quod ſciuiſti, & excidit, nec ſciuimus prius, quàm eſſemus homines, cuius poſtea reminiſci queamus: cum reminiſci totius ſit, & commune, ſcire ſecundum intellectum, qui fuit ante nos, proprium quiddam animæ, non toti commune. Porrò Themiſtius etiam diſputat, utrum ſit unus intellectus

omnium hominum. & huc magis propendet, ut ſentiat unum eſſe. Quod ſic puto concedi poſſe, ac ſanè Ariſtotelem etiam hoc ſenſiße, ut ſit unum quiddam intellectus in omnibus hominibus ſpecie, non numero. Si enim intellectus eſt idem, cum eo quod intelligitur & exiſtit, & omnes homines idem, ac eodem modo intelligunt, quæcunque uerè intelligunt, neceſſe eſt eundem eſſe in omnibus hominibus intellectum. Hinc eſt, quod Auerrois non incommodè, ſi ita accipiatur, aut accipi queat, ut dictum eſt, etſi non Theologicè, tamen philoſophicè, aut Ariſtotelicè, expoſuit hunc locum Ariſtotelis, unum eſſe intellectum, qui aßiſtat omnibus hominibus, regat intelligentiam eorum, ac informet, ut ſic dicam, patientem intellectum. Quæ ſententia planè cum Themiſtiana concordat. Hæc habui, quæ explicarem hoc tempore de intellectu agente, quæ ſi cui uidebuntur prolixiora iuſto, cogitent & rem eſſe magnam & intricatam, & ab alijs multo quàm à nobis tractatam prolixius. Atque utinam aliquid omnino certi & explanati poſſet de hac re inueniri & ſcribi: non tantùm eſſem ipſe conaturus diligentius, ſed alios etiam ingenioſiores hortaturus, ut humanæ doctrinæ, aut potius imbecillitati hac parte ſuccurrerent. Poſtremò non opus eſt noua quæſtione de patiente intellectu, cum in hac quæſtione ſatis de eo ſit dictum.

Quid ſit intellectus ſimplex.

Themiſtius, & qui ſunt eum ſecuti, ſic Ariſtotelem exponunt in hoc loco, ubi docet de intellectu ſimplici & cōpoſito, ut ſimplex intellectus ſit unius rei, uel entis nudi ſine additione cōprehēſio aut perceptio, prout in decem prædicamentis poſitum eſt: ut cum intelligitur quid ſit homo,

homo,planta,linea,grammatica,ſeruus,calfacere, calfieri,& alia ſimilia.Compoſitus,quando coniunguntur duæ res,aut entia:uelut cum intelligimus,quod homo ſit animal,aut linea quantitas:hoc eſt,intellectum ſimplicē eſſe,cum unius uocabuli res,aut uera ſignificatio intelligatur:compoſitum uerò, cum intelligatur ſignificatio totius orationis,quæ conſtat ex duobus aut pluribus uocabulis.Sed ut res eo melius iudicari & diſputari queat, audiamus ipſum Ariſtotelem,qui ſic ait in tertio libro de Anima:Indiuiſibilium igitur intellectio in ijs eſt,circa quæ non eſt falſitas.In quibus autem falſitas & uerum,compoſitio quædam eſt iam intellectorum, tãquam unum ſint,ſicut Empedocles dicit:Quatenus multorum capita ſine ceruicibus pullulauerunt,amicitia componi poſtea:ſic & hæc ſeparata componũtur,ut aſymmetron & diameter.Primùm hæc uerba Ariſtotelis uidentur,ſi quis diligenter inſpiciat ſtructuram eorum,hoc ſignificare,quod aut contrà,quàm nunc demonſtratum à Mathematicis creditur,putauerit,diametrum non eſſe incommenſurabilem coſtæ,aut σύμμετρον eſſe ab Ariſtotele ſcriptum,non ἀσύμμετρον.Sed cum propemodũ nephas ſit exiſtimare,quod Ariſtoteles ignorauerit, quod docent nunc mathematici de proportione diametri & coſtæ,in quadrata figura:quanquam ferè colligi poteſt ex libris Mathematicorum,demonſtrationem de iſta re nõ ualde uetuſtam eſſe:magis huc adducor, ut credam, in ſcriptura mendam eſſe,atque ut dixi, legendum eſſe σύμμετρον pro ἀσύμμετρον. Ponit enim hoc exemplum compoſitorum intellectorum,in quibus paulò pòſt ſemper dicit falſum eſſe.Niſi & iſta eius uerba uelimus conditionaliter accipere.ut cum dicit,Falſum enim in com=

poſitione ſemper eſt:hoc uelit,falſum quoties,aut ſi eſt, in cōpoſitione eſt.Verùm,quia ſimplicitatis in oratione amator ſum,puto hoc uelle Philoſophum,quod in omni compoſitione ſit falſum,non aliquãdo falſum,aliquando uerum eſſe:nec intellectum compoſitum ſimpliciter orationis eſſe,hoc eſt,duarum aut plurium uocum connexarum congruè,& aliquid certi uel affirmantium uel negantium(nam hoc eſt oratio grammaticis)ſed eius uel orationis,uel rei,quæ connectit id quòd non eſt,cum eo quod uel eſt,uel non eſt:ut cum dico,ſentiens,uel ſentio apud animum,homo eſt albũ,aut chimæra eſt mons, ponendo quòd chimæra nihil ſit.Illic enim uero falſum addo,hic falſum cum falſo connecto,ita ut non ſit hic intellectus metiendus ex numero uerborum,ſed ex rei natura & ſimplicitate,ac ueritate:nec minus cũ dico, homo eſt animal,& hoc intelligo,ſimplicem intellectũ eſſe, quàm ſi hominis naturam aut formam per ſe nudam ac ſolam intelligo,præſertim cum hominis natura aut forma non poßit conſiderari,aut intelligi ſine animalis ratione.Sed mouent me iterum atque iterum expendentẽ hunc totum locum,non tam præcedentia quædam,quàm iſta quæ ſequuntur. Porrò enunciatio eſt quiddam de quodam,ut eſt affirmatio,& uera .aut falſa omnis eſt. Intellectus autẽ non omnis,ſed is qui eſt quæſtionis quid eſt,pro eo quod eſt eſſe(aliquid inquã.) Verùm(ſic enim puto hæc Ariſtotelica uerba Platonicè intelligẽda eſſe) & non de quodam,ſed quemadmodum uidere proprium eſt uerum.Vtrum enim homo album ſit,an ſecus,nõ ſemper uerum eſt.Ita habent omnia quæ ſine materia ſunt. Hæc enim uerba philoſophi uidentur ſignificare,rei nudæ & ſimplicis comprehenſionem ſimplicem eſſe intellectum,

lectum, enunciationem cuiuſdam de quodam compoſitũ. Ad quæ præcedentia facile poſſent applicari, ſi initio huius loci, ubi ſcriptum eſt, ἐν οἷς δὲ τὸ ψεῦδος, καὶ τὸ ἀληθές, *pro* καὶ *legeretur* ἢ, *ut eſſet diſiunctiua oratio: ut factũ eſt ab interpretibus in uerbis iam citatis, ubi pro* καὶ ἀληθὴς, καὶ ψευδὴς πᾶσα, *legiſſe uidentur,* καὶ ἀληθὴς ἢ ψευδής: *aut certè utraque ſententia non copulatiuè, ſed diſiunctiuè intelligeretur. Sic nihil eſſet in tota hac parte incommodi, & conueniret tota noſtra expoſitio cum tota expoſitiõe Themiſtij. Sed ego ſequor ſuperiorem ſententiam, & faciunt pro me quæ habentur in fine noni lib.* τῶν μετὰ τὰ φυσ. *ubi ſunt hæc uerba:* τούτων δ' ἐπὶ τῶν πραγμάτων ἐστὶ τὸ συγκεῖσθαι, ἢ διῃρῆσθαι, ὥστε ἀληθεύει μὲν ὁ τὸ διῃρημένον οἰόμενος διῃρῆσθαι, καὶ τὸ συγκείμενον συγκεῖσθαι. *Et hæc aliquanto clariora:* τὸ μὲν εἶναι ἐστὶ τὸ συγκεῖσθαι, καὶ ἓν εἶναι: τὸ δὲ μὴ εἶναι, τὸ μὴ συγκεῖσθαι, ἀλλὰ πλείω εἶναι. *Quæſtionem, quam hic obiter iterũ Ariſtot. de inuiſibili & diuiſibili percurrit, puta quod aliquid ſit alterutrum aut actu, aut potentia, aut per accidens, quia ſuprà etiam, ut opinor, eſt pertractata: nõ tamen quod ad intellectum attinet, quorſum Ariſtoteles hic eam adhibuit, ex Ariſtotele ſumat qui cupit, aut potius ex Themiſtio, qui diligenter eſt perſecutus illas Ariſtotelis argutias, nec facilè textus philoſophi ſine illius adminiculo poterit intelligi. Vnum tamen de eo loco uolumus monitum Lectorem, uideri mihi legendum eſſe pro eo,* καὶ ἐναντίον εἶναι ἐν αὐτῷ, *quod eſt ſcriptum in noſtris libris,* καὶ ἓν εἶναι ἐν αὐτῷ. *Atque hoc ut ſuſpicarer, cum hoc me impulit, quod alioqui etiam ibi eſt uarietas in ſcriptura, tum quòd ibi conferuntur ea quæ contrarietatem habent, & ſic intelliguntur, ut ſunt*

in ma

in materia, cum ijs quæ non habent contrarietatem, & ſine materia intelliguntur.

Quales motus ſint intelligere & ſentire.

Non *dicuntur propriè motus hæc, ſed actus. Motus enim, ut in prima parte eſt dictum, actus eſt imperfectus: intelligere autem, & ſentire, ſunt perfectum quiddam. ut uidens albedinem totam horam, non magis uideo, niſi aliquid obſtet, eam initio horæ, quàm in fine aut medio.* Sic *de intellectione fit.* Ariſtoteles *tamen hic motus appellauit illa, ſed diuerſæ ab illo ſpeciei.* Quare *ſunt etiam abſolutum quiddam, nec res intelliguntur aut ſentiuntur, quatenus expetuntur aut fugiuntur: ſed expetuntur aut fugiuntur, quatenus ſentiuntur aut intelliguntur: hoc eſt, eadem quidem ſunt illa, niſi quòd ratio eorum eſt diuerſa, ut* Ariſtoteles *ſolet loqui de rebus, quæ ſic cohærent, ut non poßint ſeparari, quanquam nõ prorſus eædem ſunt forma, non materia.* Appetuntur *autem res, aut fugiuntur, pro eo ac ſunt aut bonæ aut malæ, aut pro talibus habentur, quod eſt intellectus aut phantaſiæ opus.* Et *hoc eſt, quod* Ariſtoteles *etiam in ſexto* Ethic. *perſpicuè dicit,* ἐστὶ δ' ὅπερ ἐν διανοίᾳ κατάφασις καὶ ἀπόφασις, τοῦτ' ἐν ὀρέξει δίωξις καὶ φυγή.

Intelligatúrne aliquid ſine phantaſia & ſenſu.

Nihil *ſine his intelligitur.* Et *prioris cauſa hæc eſt: quia phantaſmata ſunt intellectui, aut intellectiuæ animæ, ut* Philoſophus *loquitur, ut ſenſibilia poſterioris, quod in ſpeciebus ſenſibilibus ſunt intelligibilia, tam ea quæ abſtracta uocantur, quàm ea quæ ſenſibilium habitus ſunt & affectiones.* Quod *ſine phantaſmatibus non*

intelligat

intelligat anima, his etiam uerbis Ariſtoteles affirmat: intellectiuum igitur ſpecies in phãtaſmatibus intelligit, & ſicut in illis determinatum eſt ipſi expetendum & fugiendum, ſic & intra ſenſum (ibi enim noſtri codices ἐντὸς *habent ſcriptũ, & rectè meo iudicio, quod loquatur de intellectu coniuncto cum ſenſu, & de intellectu cum phantaſia coniuncto, ut quæ ſequũtur exempla clarè teſtantur) cum in phantaſmatibus eſt, mouetur.* De *utroque ſunt hæc eius uerba:* Et *ob hoc, qui non aliquid ſentit, nihil utique addiſcet aut intelliget.* Ph*antaſmata autem uelut ſenſibilia ſunt, præterquàm quòd ſine materia ſunt.* Q*uid autem phantaſmata ab intellectu differant, ſuprà indicauimus.* S*úntque hæc omnia de patiente intellectu, ſeu communi intelligenda.*

Síntne res, an ſpecies rerum, in Anima.

Cum Ariſtoteles in multis locis dicat, idem eſſe intellectum actu, quod ſit res ipſa: meritò poteſt dubitari, utrum de rebus, ut ſunt in materia, ſit accipiendus, an de formis rerum. De *formis rerum ſe dicere, ſic ipſe exponit.* Ne*ceſſe autem eſt, aut ipſa (obiecta) aut res eſſe (in anima).* At *non ſunt in ea res ipſæ.* Non *enim lapis in anima eſt, ſed ſpecies.* Et *ſequitur inſignis ſimilitudo, quam ipſius uerbis adſcribam:* ὥστε ἡ ψυχὴ, ὥσπερ ἡ χείρ ἐστι. καὶ γὰρ ἡ χεὶρ ὄργανόν ἐστι ὀργάνων, καὶ ὁ νοῦς εἶδος εἰδῶν, καὶ ἡ αἴσθησις εἶδος αἰσθητῶν. Pr*æterea quæ ſunt æterna, magna ex parte ſunt immaterialia, quorum propriè eſt intellectus.*

Quid ſit intellectus contemplatiuus.

Contemplatiuus intellectus eſt, qui ſeparatus à uolũtate, & appetitione, & cupiditate, cunctiſque alijs animæ potentijs, nudas res comprehendit & conſiderat, nõ

propter

propter alium finem, niſi ut ſciantur. Hoc Ariſtote. do*cet his uerbis in* 3. libro de *Anima*: ὁ μὲν γὰρ θεωρητικὸς οὐθὲν νοεῖ πρακτόν, οὐδὲ λέγει περὶ τοῦ φευκτοῦ, καὶ διωκτοῦ οὐθέν. *Sed aliud quiddam agens hoc docet.* Oſtendit *enim ibi, quòd intellectus non ſit principium eius potĕtiæ, quæ motiuum dicitur.* Sic *etiam de eadem re ſcribit in ſexto libro* Ethicorum: τῆς δὲ θεωρητικῆς διανοίας, καὶ μὴ πρακτικῆς, μηδὲ ποιητικῆς· τὸ εὖ καὶ κακῶς τ' ἀληθές ἐστι, καὶ ψεῦδος. τοῦτο γάρ ἐστι παντὸς διανοητικοῦ ἔργον. H*æc autem ſic omnia debent intelligi, omnium rerum compre=henſionem eſſe hunc intellectum, etiam agendarũ, qua=tenus tamen conſiderantur ut ueræ aut falſæ, non qua=tenus agendæ, aut uel expetendæ uel fugiendæ.*

Quid ſit intellectus actiuus.

Hic *intellectus eſt, qui eſt coniunctus cum appetitio=ne, & ſimilibus potĕtijs, ſeu ut* Ariſtoteles *inquit*, ὁ ἕνεκά του λογιζόμενος. *Interim enim dum intelligit expetit aliquid, aut fugit: aut dum fugit aliquid, aut expetit, in=telligit.* Differt *autem fine tantùm à contemplatiuo.* A*l=ter enim propter bonum conſequendum, aut malum ui=tandum, ſeu propter* εὐπραξίαν, *ut alibi* Ariſtoteles *in=dicat, intelligit.* Alter *contentus eſt eo, quòd rem uelut præſentem intuetur.* De *octauo ſic ſcribitur etiam in ſe=xto* Ethicorum. τοῦ δὲ πρακτικοῦ καὶ διανοητικοῦ ἡ ἀλήθεια ὁμολόγως ἔχουσα τῇ ὀρέξει τῇ ὀρθῇ. Principium *uerò a=ctionis eſt propoſitum, ſeu actiuus intellectus, qui eſt idē propoſiti res expetenda aut fugienda* Atque *hoc in eo=dem loco docetur.* I*tem in tertio lib. de* Anima, *ubi hæc uerba, digna quæ obſeruentur, ſunt addita*: τὸ δ' ἔσχατον ἀρχὴ τῆς πράξεως. Finis *enim, id eſt, hoc quod expetitur, ſeu* εὐπραξία, *mouet appetitum & intellectum, aut phā=taſiam.*

taſiam. Vltimum autem, ſeu finis hæc eſt actionis. Cæterùm id notari debet, ſignificari hic Ariſtoteli intellectum actiuum, quod ferè ſignificant alibi, ἠθικὴ ἀρετὴ, προαίρεσις, ὄρεξις βουλευτικὴ, νοῦς ὀρεκτικὸς, & ὄρεξις διανοητικὴ. Auguſtinus & alij theologi hunc uocant rationem inferiorem, ſicut illum præcedentem appellāt ſuperiorem rationem.

De ſede mentis.

Non eſt meum quidem propoſitum, explicare de inſtrumentis & partibus corporis, in quibus quælibet animæ uis & potentia locum aut ſedem habeat, cum nec Ariſtoteles hoc fecerit in his libris: & eius rei tractatio, præſertim aliquanto copioſior, ad aliam partē huius Philoſophiæ pertineat, ut non ſolùm Philoſophi, ſed Medici etiam hoc ſoleāt ſequi. nihilominus tamen attingere hanc quæſtionem uiſum eſt ideo, quòd inter Ariſtotelem & Galenum, & alios medicos, qui hunc ferè ut numen aliquod uenerātur, ſit hac de re diſſenſio: niſi tamen uidetur illa tantum, & non eſt. Ariſtoteles, cum uelit intellectum ſeparabilem, uideri poteſt uelle, quòd non ſit aliqua pars in corpore, quæ mentem contineat. Galenus contrà, cum cerebrum ſtatuat eius domicilium, & eam affici poſſe uel ex natura, ſi caput nō habeat iuſtam aut debitam figuram, uel ex morbis, ut phreneſi, & multis alijs, uidetur intellectus uim & eſſentiam corpori tribuere, ac materiæ, ut ſic dicam, alligare: hoc eſt, rationem quendam, & uim commiſtionis, aut temperamenti calidi, frigidi, humidi & ſicci facere in multis locis, & nominatim in opere de Hippocr. & Plat. decretis, & de Loc. aff. Quid hic eſt dicendum? quomodo hi duo ſunt conciliandi? An exiſtimandum eſt, Ariſtotelē ignoraſſe,

alios

alios alijs tum natura plus intelligendo ualere, tum illis caſibus, quibus infinitis obnoxij ſunt homines? Non puto uirum tantum adeò fuiſſe incogitantem, ut hoc ei nõ uenerit in mentem. Sic itaq; reſpõdeamus dupliciter: primò, intellectum patientem ſecundum Philoſophum etiam eſſe materialem, ut loquimur: & facientem eſſe, id quod ſuprà diximus eum eſſe, uim quãdam cœleſtem & æternam: ac alterum de faciẽte, alterũ de patiente loqui. Deinde aliud eſſe, intellectum extrinſecus aduenire in corpus, aliud, nõ eſſe in corpore. Intellectus extrinſecus trahitur & hauritur, ut Cicero loquitur: non tamen ſequitur inde, quòd non ſit in corpore, cum nihil uetet aliquid cœleſte addi elementis: & in elementis eſſe non ſit idem, quod eſt oriri in elementis. Hinc eſt, quòd Ariſtoteles ſcribit, ſolem & hominem generare hominem. Deinde ideo dicitur intellectus extrinſecus ingredi, quòd nõ habet opus ad ſuam operationem aliquo membro, ut itio pedib. indiget. Hæc ratio eſt in 2. de Gen. animal. his uerbis: οὐδὲ γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια. Et paulo antè de ijs quæ oriuntur in corpore: ὅσων γὰρ ἐστιν ἀρχῶν ἡ ἐνέργεια σωματική, δῆλον, ὅτι ταύτας ἄνευ σώματος ἀδύνατον ὑπάρχειν, οἷον βαδίζειν ἄνευ ποδῶν. ὥστε καὶ θύραθεν εἰσιέναι ἀδύνατον. Quare tametſi mens eſſet in cerebro, ut uult Galenus & Plato, tamẽ ibi non eſſet orta: hoc eſt, ex ea parte ſeminis, ex qua cerebrum conſtat: ſed cœlitùs immiſſa, præcipuè ui & calore ſolis, ut uult Ariſtoteles. Addo ſuperioribus: Si nihil intelligit mens huius, aut illius hominis, hoc eſt, ſecũdum indiuiduum extra corpus, non eſt mirum, ſi uel cerebro, uel corde, uel alia parte corporis læſa, & hoc ſiue ex ortu, ſiue ex morbo, ſit infirma, aut etiam nulla. Hoc

modo

modo aut concordant Ariſta.& Galenus,aut certè non multum diſcordant, quod uoluimus obiter oſtendere. nec puto Galenum,& eius ſectatores admodum pugnare contra hoc quod Ariſtoteles uult, animam per cœleſtem calorem in corporibus effici, aut eius effectionem adiuuari cœlitùs, & non ſolùm ex actione & paßione primarum qualitatum eam extare.

De Appetitiuo.

Hæc ſuprà eſt poſita, una de præcipuis facultatibus animæ. Quanquam autem pleræque ſunt & aliæ, ac propemodum infinitæ, ut Ariſtoteles ipſe dicit: non tamen ſunt aliæ quàm hæ inſigniores, & magis neceſſariæ ad naturam & rationem animantis. Et philoſophia quærit, & ſtatuit res certas & finitas, & quàm remotißimè poteſt fieri collocatas ab infinito. Plerique tres tantùm faciunt, cupiendi, iraſcendi, & ratiocinandi. Alij duas, Rationalem,& irrationalem. Sed cum neutra, horum ſenſitiuum poßit dici, ut Ariſtoteles bene monet rectius plures numerantur. Recentiores faciunt, uegetatiuam, ſenſitiuam, & intellectiuã & has deinde ulterius alij, quàm alij, aliter ſecant. Ariſtoteles etſi initio diſputationis de potentijs animæ numerauit appetitiuum inter animæ potentias, non tamen inſtituit de eo ſingularem quæſtionem aut diſputationem. Incluſit iſtam etiam loco de motus facultate, ſicut de intellectu contemplatiuo & actiuo diximus factum eſſe, idq́ue propter cognationem aut conſequentiam, non ut recentiores uolunt, quòd appetitiuum ſit motiui ſpecies. Porrò appetitiuum eſt potentia expetendarum & fugiẽdarum rerum. Expetuntur autem & fugiuntur ea quæ ſunt, aut uidentur (nam errare poteſt hæc uis animæ) uel bona uel mala eſſe.

Nihil autem intereſt ſiue ſint bona uel mala, ſiue non ſint, modò excitent nos ad agendum. Atque nihil agitur, niſi impulſa animæ hac potentia: nec impellitur iſta, niſi obiectum ei fuerit alterutrum horum. Et hoc eſt quod Ariſtoteles dicit, καὶ ἡ ὄρεξις ἕνεκά του πᾶσα· Sic autem fit impulſio illa, ut aut ſenſus percipiat prius obiectum, aut phantaſia. Non tamen actionis eſt principium propriè ſenſus, cum agere tantùm homines dicantur, & beſtiæ quoque ſenſus habeant. Atque hoc in 6. libr. Ethic. Ariſtoteles tradit.

Quid ſit voluntas.

Etſi, quod pertinet ad communem conſuetudinem loquendi, nulla eſt ferè differentia inter appetere, cupere & uelle: in accuratioribus tamẽ diſputationibus, ut ſunt philoſophorum, non parum hæc diſtant. Primum enim, uelut genus eſt, reliqua duo uerò ſpecies. Quanquam in nominibus quæ ab illis uerbis naſcuntur, pro ſermonis etiam ratione plus eſt diſcriminis, aut certè in eis notius eſt & clarius hoc diſcrimen. ſunt autem, appetitio, cupiditas, uoluntas. De quorum primo & ultimo nõ ita contendo: medium certè manifeſtum habet diſcrimen ab utroque in primis, eo quòd nunquam ferè in bonam partem uſurpatur, ſed corrupti aliquid & uitioſi ſignificat, ac prorſus id quod expreſſius & magis propriè libidinem ſæpe dicunt Latini, ut opinor. Porrò uoluntas, ut uult Ariſtoteles, eſt appetitio rationalis: ſicut cupiditas eſt appetitio irrationalis. Sunt autẽ hæc de utraq; re uerba philoſophi: ἔν τε τῷ λογιστικῷ ἡ βούλησις γίνεται, καὶ ἐν τῷ ἀλόγῳ ἡ ἐπιθυμία, καὶ ὁ θυμός. Et de uoluntate ſola non ita multo pòſt: ἡ γὰρ βούλησις ὄρεξις. ὅταν δὲ κατὰ τὸν λογισμὸν κινεῖται, καὶ κατὰ βούλησιν κινεῖται. Hi loci

*maniſeſtè hoc indicant, uoluntatem eſſe talam appeti-
tionem, cui eſt ratio coniuncta. Theologi ponunt tres
uires in anima, rationem ſuperiorem & inferiorem &
ſenſualitatem: primæq́ue tribuunt contemplationem re-
rum æternarum, philoſophi intellectum uocant: ſecundæ
iudicium de rebus neceſſarijs, & utilibus ad hanc uitam,
ſeu, ut ipſi loquuntur, temporalibus, & quæ ſunt nobis
communes cum beſtijs.* Hanc Ariſtoteles *prudentiam uo-
cat. Tertiæ motum, & impetum ad illas res. Atque ſic
uoluntatem conſtituunt quiddam ueluti communiter de-
cernens, & ſtatuens in omnibus, quæ nunc ſunt enumera-
tæ, facultatibus.* Et *hoc nihil impedit noſtram de hac re
expoſitionem.* Ariſtoteles *in* Ethicis *ὄρεξιν, id eſt, appe-
titionem partitur in ἐπιθυμίαν, θυμὸν, & βούλησιν. ἐπι-
θυμίαν, quam nos uel cupiditatem, uel libidinem appel-
lare poſſumus, dicit uerſari circa ſuaue, & acerbum: id
eſt, alterum expetere, alterum fugere. θυμὸν, id eſt, ani-
mum, ſeu animoſitatem, circa terribilia, ſeu metuenda,
ſic, ut quando coniungitur cum ratione, ac modum ſer-
uat, ſit fortitudo: quādo ſecus, temeritas. βούλησιν autem,
id eſt, uoluntatem circa fines, qui ſunt in hac materia
morali, hoc eſt, ea, propter quæ ſuſcipimus actiones, aut
aliquid agimus: ut ſunt, bona ualetudo, uirtus, diuitiæ, &
ſimilia bona, quæ uolumus tantum, non deliberamus. quæ
autem ad hæc nos perducunt, de ijs deliberamus, an poſ-
ſint fieri, quod cui ſit præferendum, adeóq; uerſantur in
quadam collatione: unde factum etiam eſt uocabulum
προαιρεῖσθαι, ut oſtendit* Ariſtoteles. *A nonnullis diuidi
ſolet hæc appetendi potentia in naturalem, ſenſitiuam,
& uoluntatem. quæ diuiſio uidetur mihi non tantùm di-
ſcedere ab* Ariſtotelis *doctrina, ſed non ſatis cum ra-*

tione quoque congruere. Nam quod ad primum attinet mem' rum, appetitio cibi, potus, generationis, quæ huic appetitui ab illis tribuuntur, non eſt magis naturalis per ſe, quàm ſubiti motus animi, quos affectus uocamus, & ſenſiones ipſæ. Quia nolimus uelimus, affectus in nobis cientur., & ſentimus ea quæ incidunt in organa, ſenſuum, niſi aliquid ſit in nobis uiciatum: & æquè propemodum poſſumus appetitum generandi, comedendi, bibendi moderari, ac affectus & ſenſiones. Itaq; *non ſatis propria uidetur mihi eſſe hæc appellatio, imò nõ conueniens* Ariſtotelicæ, *ad quam, ut in diſputatione* Peripatericorum, *hanc rem totam refero: & puto rectius appellari hoc genus appetentiæ nutritiuum aut uegetatiuum, niſi naturale accommodemus ad creſcendi & nutriendi uim, ut* Ariſtotelis *uoces* φυτικὸν & θρεπτικὸν *ſignificant.* Verùm *hoc non fit apud idoneos philoſophos, & nimis eſt generale.* Præterea *quorſum opus eſt componere uocabula, & dicere appetitus naturalis, appetitus ſenſitiuus, cum habeantur ſimplicia, &* Ariſtoteles *clarè ſenſitiuum & appetitiuum diſtinguat in multis locis? Sumpta eſt hæc appellatio ex* Medicorum *diſputationibus, in quibus* φυτικὸν & θρεπτικὸν *ſolet appellari facultas naturalis, transformato uocabulo facultatis in uocabulum appetitus, quem etiam* Theologi Scholaſtici *non minus impropriè amorem naturalẽ uocãt aliquando: ſed ita, ut puto, reſpiciunt tantùm plantas, quæ ſine appetitione aluntur: aliter fit in animantibus, ut nemo ignorat.* Plato & Ariſtoteles *manifeſtè famem & ſitim ponunt in* ἐπιθυμητικῷ, *ut exempli gratia in 4. libro de* Rep. *ita legitur:* τὸ δὲ ᾧ ἐρᾷτε, καὶ πεινῇ, καὶ διψῇ, καὶ περὶ τὰς ἄλλας ἐπιθυμίας ἐπτόηται, ἀλόγιστόν τε καὶ

ἐπι

ἐπιθυμητικὸν πληρώσεων τινῶν, καὶ ἡδονῶν ἑταῖρον. Et paulo pòſt ab hoc ſeparat θυμὸν, ac uelut medium inter λογιστικὸν & ἀλόγιστον conſtituit. In ſecundó membro tribuuntur appetitui, quem iraſcibilem recentiores plerumque philoſophi nominant, uocem Ariſtotelis imitati, cordis affectum, & delectationem, & dolorem in ſenſibus, quæ conueniunt cupiditati, hoc eſt primo membro. Cupiditas enim, ſeu ἐπιθυμία propriè uerſatur circa ſuaue & acerbum, non θυμὸς. Deinde ſenſuum delectatio nõ eſt appetitio, ſed finis appetitionis, hoc eſt, affectio quædam ſenſuum, aut accidens inſeparabile. Hoc non tantùm eſt abuti uocabulis, uerùm res etiam confundere. Deinde affectus, maximè ſubiti, ne quidem numerantur inter appetitiones in Categorijs: imò clarè ſeparantur à naturali potentia & impotentia. De poſtrema parte huius diuiſionis poſſum dicere, quòd uoluntas, & προαίρεσις, quæ commiſcentur nonnunquam, non magis ex una potentia ſint, quàm ſunt reliquæ ſpecies hic recitatæ: & æquè has duas differre, ac reliquas inter ſe. Vt enim ἐπιθυμία & θυμὸς differũt obiectis, ita βούλησις & προαίρεσις: quia βούλησις ad fines pertinet, προαίρεσις ad ea quæ ducunt ad fines. Vt uolumus beatã uitam, non deliberamus: cõtrà deliberamus uitæ genera, ſtudia, conſuetudines, familiaritates, ſodalitia, quæ ducunt ad beatam uitam, non uolumus. Ita bonam ualetudinem uolumus, non deliberamus: deambulationem, & alia corporis exercitia, uini aut cereuiſiæ uſum, potiones medicas, & ſimilia, deliberamus ad bonam ualetudinem, non uolumus. Sic uolentes ut plurimum cœnamus, dormimus, non deliberantes. Huc accedit, quod Ariſtoteles alicubi προαίρεσιν dicit eſſe ὄρεξιν διανοητικὴν, & generis uo-

cabulum ſumpſit, non ſpeciei, ut diceret προαίρεσιν eſſe βούλησιν διανοητικήν: id quod haud dubiè feciſſet, ſi non tam diſtinctam uoluiſſet βούλησιν à προαιρέσει, quàm θυμὸν ab ἐπιθυμίᾳ, aut βουλήσει. Vt qui dicit, homo eſt animal rationale, non ſignificat hominẽ idem eſſe quod eſt aſinus: ita qui dicit, προαίρεσις eſt ὄρεξις διανοητική, non ſignificat προαίρεσιν idem eſſe quod eſt βούλησις, imò contrà diuidit ſpeciem à ſpecie. In ſumma, quanquam fateor magnam eſſe harum ſpecierum ὀρέξεως cognationem, ac ita eas cohærere, ut ægrè poßint re ipſa diuelli: tamen hoc puto, quòd βούλησις à προαιρέσεως tam differat, quàm differunt inter ſe reliquæ ſpecies. Cæterùm quæ in ſcholis Theologorũ de Libero arbitrio docentur, non quidem ab hoc loco aliena ſunt, ſed propter prolixitatem ab ipſis petenda. Quanquam ſic ab omnibus receptis, quod ſciam, ex Auguſtino præcipuè definitur ea facultas, ut auxilio diuino bonum poßit uelle: non poßit uelle bonum, ſi non adiuuet eum Deus. Eſt autem hæc definitio: Liberum arbitriũ eſt facultas rationis aut uoluntatis, qua bonum eligitur, gratia aßiſtente: uel malum, ea deſiſtente. Hoc eſt, baptizati & renouati poßunt uitare peccatũ quod mortale uocant, & manere in gratia, naturæ uiribus iam liberatis, & ſpiritu ſancto eas gubernantibus: aut iterum ſe auertere à Deo, maximè ſua culpa, & relabi ſic in priſtinam fœditatem & miſeriam. Non enim ſentiendum eſt, quòd Scholaſtici nobis tribuant liberum arbitrium antè iuſtificationem. Quare cautè in his diſputationibus agendum cenſeo, nec temerè uoluntatem aut liberam aut ſeruam dicendam eſſe. Inter arbitrium & uoluntatem, ut de his rebus Theologi docent, nullum uideo diſcrimen. Quanquam arbitrium di-

citur

citur impropriè, cum iudicij & intellectus ſit magis hæc uis, quàm uel appetionis ſolius, aut appetitionis coniunctæ cum iudicio. Sed affinitas magna inter hæc eſt, ac in conſuetudine ſermonis alterum pro altero ſæpe ſumitur.

De Motiuo ſecundum locum.

Motiuum eſt facultas mouendi corporis animati ex alio loco in alium. Nam ita hic motiuum conſideratur, ut referatur ad animal tantùm, non etiam aliò, ut ad cœlum, & ea quæ aut grauia deorſum, aut leuia ſurſum natura mouentur, & ita mouentur, ut locum mutent, de quibus eſt in libris de Motu & cœlo ab Ariſtotele diſputatum. Ille, quia eſt in animali, & ex appetione quadam, aut uoluntate proficiſcitur, à recentioribus appellatur Motus propterea uoluntarius.

Vnde ſit hæc potentia, aut quæ ſit eius cauſa.

Ex anima eſſe motiuum, nemo dubitat: ſed ex qua parte animæ, aut potentia ortum habeat, non ita eſt certum. Nam uidetur, hoc quod moueri poteſt animal, referri poſſe ad nutritiuum, aut ſenſitiuum, aut intellectiuum: & huius aut ad hoc quod contemplatiuum, aut ad hoc quod actiuum dicitur, uidetur etiam referri poſſe ad appetitiuum. Sed quod horum nullum exiſtat ſimpliciter, ita oſtendit Philoſophus. Non eſt nutritiuum mouendi potentia, quia ſine imaginatione, aut appetitione hic motus non fit. Hæc autem non ſunt coniuncta cum nutritiuo, cum plantæ nutriantur, & tamen non habeant hũc motum. Deinde, ſi nutritiuum eſſet idem quod motiuum, oporteret plantas etiam, quæ habent hanc potentiam, moueri ſecundum locum, & habere certum in=

ſtrumentum ad hoc. Quæ cum non ſint, non eſt idem nutritiuum & motiuum. Senſitiuum etiam non eſt hæc potentia. Nam ſunt animalia, quæ non mouētur loco, tametſi perfecta ſint, ac præterquàm quod ſenſum habent, generent, & augeantur, atque decreſcant: non autem affixa uni loco eſſent, ſi motiuum eſſet idem quod eſt ſenſitiuum. Nec eſt rationi conſentaneum, eſſe quidem in talibus animalibus eam potentiam, non tamen eſſe eis à natura inſtrumenta ad hoc data. Non enim tantùm nihil fruſtra facit natura, ſed etiam non omittit neceſſaria. Quod nō idem ſit motiuum, quod eſt intellectiuum, contemplatiuum, hoc indicat, quòd omnis motus talis in animali eſt propter expetendum, aut fugiendum aliquid (agendum hoc generaliter dici poteſt) hic uerò intellectus nihil tale conſiderat, ſed habet ſuum quoddã obiectum, quod contemplandum appellatur. Sic etiam diuerſum eſt ab actiuo intellectu his de cauſis: quia tum etiam, quando cogitat de horũ alterutro, non tamē iubet fugere, aut inſequi: ſed cor mouetur, id eſt, in alia facultate eſt hoc ut fugiat, aut inſequatur, cum intellectus non habeat cor inſtrumentũ, aut ſedē ſuam: excitari autem ad fugiendum, aut inſequendũ, ſit cordis functio. Deinde ut maximè præcipiat animanti hic intellectus fugere, aut inſequi aliquod obiectũ, non tamen ſtatim hoc fit: ſed aliquando in diuerſum rapitur animans, & ſecundum cupiditatem, ut fit in incontinentibus. Et quemadmodum non eſt idem, ſcire medendi artem, & ſecundum illam agere: ſic non eſt idem, ſcire quid ſit agendum, & agere ſecundum illam ſcientiam. Reſtat adhuc appetitus, qui non uidetur ſimpliciter eſſe hoc quod mouet animal, propterea quod aliquando contrà quàm cupiuut aut

appetunt,

appetunt faciunt homines:ut cum ſequuntur intellectum. I*taque neceſſe eſt aut per ſe facultatem eſſe motum ſecundum locum in animali, aut quiddam ex duabus aut pluribus ſuperiorum compoſitum.* Ac *ſic ſtatuit* Ari*ſtoteles,aliquo modo ex intellectu,aut phantaſia,& appetitu eſſe:aliquo modo uerò ac propriè tantum ex appetendi facultate,cum non communi inter ſe ratione id faciant hæc duo,intellectus & appetitus.ut duæ ſpecies, quarum communis ratio eſt in genere:aut duo indiuidua,quorum ratio communis eſt in ſpecie.*N*am etſi intellectus moueat nunquam ſine appetitu, appetitus tamen ſine intellectu mouet aliquando.* Q*uanquam ſine phantaſia nunquam eſt appetitus, quando non habet adiunctum intellectum.Sed hæc arguta ſunt,& ab ipſo* Ari*ſtotele etiam parum conſtanter explicata.* Nec *admodum errabit aliquis,ſiue intellectum unà cum appetitu, ſiue ſolum appetitum dicat eſſe cauſam aut principium eius motus in animali, qui fit per loci mutationem remotam, tamen non propinquam.* O*mnino enim eſt interior quædam, occultior & propinquior facultas agitandi corpora animantium, ut ſequens caput etiam indicat.*

Quod ſit obiectum huius potentiæ.

*Agendum,ſeu quod agi poteſt, eſt obiectum huius potentiæ: ut ſunt expetendum & fugiendum, aut bonum & malum,ſiue ſint uerè,ſiue tantum uideantur talia.*Et *hoc ſanè eſt primum appetitiui,ſeu motiui principium: & poteſt eſſe, aut non eſſe,ſeu (ut* Philoſo*phus loquitur) poteſt ſe aliter habere,& eſt mutabile.* Non *enim hoc mouet propriè, quod tale non eſt.* Et

hoc ferè eſt quod in Ethicis *dicitur,* Nihil *præteritum cadit in delectum:ut nemo ſtatuit ilium eſſe expugnandum.*Non *enim conſultatur de præterito,ſed de futuro, & poßibili.*Res *itaque, quatenus agi poteſt, primum eſt principium motus, & mouet quidem ſic, ut ipſum maneat immobile, mouendi uim in anima: quæ deinde mouet ulterius corpus animantis, & ſimul ipſe etiam mouetur.* Inſtrumentum *quo fit motus, dicit* Ariſtoteles *iuncturas eſſe, ubi conuexum eſt, ſeu curuum & concauum: & alterum habet principij rationem, alterum finis: alterum quieſcit, alterum mouetur:atque ambo ſunt ratione diuerſa, magnitudine inſeparabilia.* Medici *motus inſtrumentum muſculos ponunt.* Quod *ut craßius eſt,ita,quod* Ariſtoteles *tradit, eſt ſubtilius & acutius.* Inde *colligi poteſt, quatuor ad perfectum motum progreßionis pertinere:mouens immobile,quod eſt obiectum tactiui:mouens mobile, quod eſt ipſa potentia:mobile tantum, quod eſt animal:inſtrumentum, quo fit motio: & ſecundum* Ariſtotelem *ſunt iuncturæ, ſecundum* Medicos *muſculi.* Nam,*quæ* Themiſtius *aſſuit præterea,nihil admodum ad rem faciunt:ut illa etiam quæ non procul ab hoc loco de ſenſibus, quòd officiant intelligentiæ,fabulatur:cum non uelit hoc* Ariſtoteles,*ſed planè contrarium.*

Sitne ſimplex animalis corpus,an compoſitum.

Nunc *ferè pertractata ſunt, quæ propriè pertinebant ad hanc partem phyſicarum quæſtionum, in qua de anima docetur.* Ac *poteramus nunc finem facere, niſi* Ariſtoteles *quædam huic diſputationi uelut auctuarium*

rium addidiſſet:nóſq; hoc propoſuiſſemus nobis, nihil, quantum poſſet fieri,prorſus omittere, quod eſſet alicuius momenti in hoc opere Ariſtotelis repertum. Sed tamen,cum & hoc noſtrum ſit propoſitum,ut non minutiſsima quæque perſequamur, omiſsis ijs quæ diſſerit etiam Philoſophus,iterum hic obiter de ordine potentiarum animæ,déque corporibus animatis ſic, ut oſtendat nutritiuum eſſe in omni quod uita præditum eſt, neceſſariò: quódque animal omne ſenſum habeat, non quidem omnem,ſed tactum eadem ratione: cúmque ſint illa ſuprà quoque non tacta modò, ſed etiam, ut in tali opere ſatis eſt,expoſita, hanc quæſtionem tantum addam,tranſiturus deinde ad alias potentias animæ, quæ tamen ſeorſim, & in peculiaribus libris ab Ariſtotele ſunt explicatæ.Sunt autem animantium corpora compoſita omnia,necullum eſt ſimplex, hac maximè de cauſa, quod tactum habent, qui ſenſus non poteſt exiſtere in corpore ſimplici:cum non tantùm percipiat & dijudicet eas qualitates aut differentias quæ in terra ſunt,uerùm & eas quæ ſunt in alijs elementis, ut humidum, calidum, & pleráſque alias:quanquam terræ munus eſt in primis tangere,propterea quòd reliqui ſenſus peraguntur per medium, hic uerò uidetur ſine medio peragi,quod rectiſsimè tribuitur terræ propter ſoliditatem.Iam,ut ſuprà etiam eſt oſtenſum,facultas in anima eſt uelut medietas quædam, & potentia iſta omnia quæ percipit.Cum itaque percipiat non tantùm frigidum & ſiccum, quæ terræ ſunt differentiæ,ſed calidum etiam,& ſiccum,quæ ſunt aliorum elementorum differentiæ, compoſitum ut ſit ex omnibus elementis animalis corpus, ipſa ratio commonſtrat.

Hoc argumentum eſt à facultatibus animæ ductum. Hippocrates, & *poſt illum* Galenus, *non minus euidenter hoc probant: ſuo tamen quodammodo: hoc eſt, ut medici potius, quàm ut* Philoſophi, *tracto argumento à corporis affectionibus.* Si *corpus hominis eſſet ſimplex, eodem modo ſemper caleret, aut frigeret, aut humidum aut ſiccum eſſet: non illa inter ſe alternis reciperet, ac propterea morbis laboraret, tandémque occideret: ſed recipit illas qualitates humanum corpus, ac eſt obnoxium uarijs mutationibus & morbis: ergo non eſt ſimplex, ſed conſtat ex omnibus ijs corporibus, in quibus ſunt initio qualitates illæ, quæ omnes deprehenduntur in humano corpore, ac illud afficiunt tam uariè.* Hæc *dicta ſufficiant de ijs quæ ferè ſunt apud* Ariſtotelem *in tribus libris, qui titulum habent de* Anima, *præcipuè diſputata.* Progrediamur *nunc ulterius manentes in* Ariſtotelis *ordine, uelut in ueſtigijs quibuſdam.*

VITI AMERBACHII LIBER QVARTVS, DE ANIMA.

De Memoria.

HActenus, ut dixi paulò ſuperius, diſputatum eſt à nobis, de præcipuis animæ partibus & facultatibus: aut de ijs certè, & eo modo ferè, de quibus, & quo modo Ariſtoteles in tribus libris illis, quos de Anima inſcripſit, diſputauit. Nunc uolumus, quanta poterit fieri breuitate, illas quoq; uel potentias animæ, uel affectiones quaſdam potentiarum, de quibus Philoſophus in peculiaribus libris explicauit, tractare: in eo tãtum ab illius ordine recedentes, quòd cum ille interpoſuerit inter diſputationẽ de Anima, & eam quæ de memoria habetur, librum de Senſu & ſenſibili, ego ſtatim ad Memoriæ tractationem tranſiui: quódque non ita ſeparaui à præcedentibus ſequentia, ut eſſent nõ una pars huius operis, ſed duæ partes. Feci autem hoc ideo, quia pleráq; in libro de Senſu & ſenſibili diſputata, inſperſi diſputationi de Anima: Ariſtoteles ſanè multa utrobiq; dicit eadem. Atq; in diſputationibus omnibus hoc cenſeo cauendum, ne præter neceßitatem aliqua pars conſtituatur. Vt enim diuiſio mediocris & neceſſaria, ualde utilis eſt ad diſcendum: ita immodica & non neceſſaria, tantum abeſt ut proſit, ut etiam turbet ac impediat non diſcentes modò, ſed etiam docentes. Quòd quia conſtat, refero me ad inſtitutam quæſtionẽ de Memoria: quæ

ria: quæ prius, quàm definiatur, inueſtigandum eſt, ad quam animæ potentiam pertineat. Sunt enim ſequentes animæ functiones non tam potentiæ, quàm potentiarum πάθη: *& hoc ita poterit planũ fieri de memoria. Si memoria eſt potentia, uel intellectus eſt, uel ſenſus, uel opinio, ſeu ſpes quædam. Nam cum reliquis potentijs, ut ſunt nutritiuum, motiuum & ſimiles, nihil habet commune: ſed nulla illarum eſt. non ergo potentia eſt memoria. Quòd autem non ſit illarum aliqua, obiectorũ ratio declarat. Intellectus enim, & ſenſus, habent obiectũ præſens: opinio & ſpes, futurum. De præterito autem tantum eſt memoria. Nemo enim præſens aut futurum recordatur, ſed hoc quod eſt factum, quódque iam antea percepit, uel ſenſu uel intellectu. Id quod his uerbis Ariſtoteles docet admodum ſuauiter:* ἐστὶ μὲν οὖν ἡ μνήμη οὔτε αἴσθησις, οὔτε ὑπόληψις. *(de intellectu paulo antè meminit, & hic ſub ſenſu comprehẽdi poteſt.)* ἀλλὰ τούτων τινὲς ἢ ἕξις, ἢ πάθος, ὅταν γένηται χρόνος. τοῦ δὲ νῦν ἐν τῷ νῦν οὐκ ἔστι μνήμη, καθάπερ εἴρηται καὶ πρότερον, ἀλλὰ τοῦ μὲν παρόντος αἴσθησις, τοῦ δὲ μέλλοντος ἐλπίς, τοῦ δὲ γενομένου μνήμη. *Hinc etiam rectè Ariſtoteles colligit, nullũ animal hab re memoriam, quod non habet notitiã temporis. Quomodo enim meminiſſet, quod neq; quid præteritum, neque quid præſens, neque quid futurum ſit, intelligit? Relinquitur nunc, affectionem eſſe unius de his duabus potẽtijs, intellectus aut ſenſus memoriam. Intellectus non eſt propriè: nam alioqui aut pauciſſima, aut nulla prorſus animalia memoria prædita eſſent: ſi tamẽ reſpiciatur ad intellectum, quem ſuprà facientem uocauimus. Præterea ſenſus cõmunis opus eſt, diſcernere tem porum diſcrimina: ex eo autem eſt, aut certè cũ eo coniunctiſſi*

iunctiſſima eſt memoria. Non *itaque propriè intellectus eſt affectio memoria, ſed cõmunis ſenſus, aut quod idem eſt,* τοῦ πρώτου αἰσθητικοῦ. *Eſt tamen & intellectus affectio memoria, ſaltem ex aliqua parte, ſeu ut* Ariſtoteles *inquit, per accidens.* V*iſo percipitur hoc, quod à memoria percipitur.* V*iſum autem, ſeu* φάντασμα *accidit intellectui.* Atque *hoc eſt quod* Philoſophus *dicit:* Et *per ſe memoriæ ſubiacent, quæ phantaſmati ſubiacent: per accidens autem, quæ non ſunt abſque phantaſia. hoc eſt, quatenus res intuemur, ut ſunt præteritæ, & tempore & magnitudine circumſcriptæ, eatenus propriè percipiũtur à memoria: quatenus autem ſine illis eas intuemur, & ut præſentes, eatenus percipiuntur à memoria impropriè.* Quia *tametſi non eſt ſine phantaſmate intellectus, eatenus tamen intelligit propriè, quatenus à magnitudine & ſimilibus rebus eſt ſeiunctus.* Sicut *memoria res intuetur propriè, quatenus talibus tanquam ſeptis eſt incluſa, licet abſque intellectu hoc non fiat, in ijs quibus eſt intellectus.* Exempligratia: *Guſtus per ſe percipit dulce in melle, uiſus per accidens: quia dulce accidit flauo, quod eſt proprium obiectum uiſus. ita ſenſus communis per ſe comprehendit ea quæ meminimus: & meminimus eorum, quorum abſentium & præteritorũ habemus in anima phantaſma, ceu impreſſam imaginẽ.* Intellectus *autem per accidens comprehendit, quia illa imago accidit intelligibili formæ.* Hæc *eſt, ut arbitror,* Ariſtotelis *de hac re uera & genuina ſententia.* Hic *obijci poteſt:* Quomodo *abſentiũ eſt memoria, cum uiſum, cuius eſt memoria, ſit præſens, non abſens?* Et *utrum rei meminimus, an uerò uiſi? cum utrumlibet ſtatuerimus, res plena uideatur eſſe abſurditatis.* Nam *ſi uiſi meminimus,*

nimus,non eſt præteritorum memoria:ſin autem rei,nõ habemus uiſum.Ad has obiectiones una eſt reſponſio: Memoria non eſt uiſi,pro eo ac eſt uiſum aut intellectũ, ſed prout ſignum eſt rei abſentis.Sicut enim quod pictũ eſt in tabula animal,dupliciter conſideratur,& partim eſt animal,partim ſignum tantum animalis:ita cuius rei forma in animum eſt impreſſa,ſiue per ſenſum,ſiue per intellectum,conſideratur & ut res,& ut ſignum rei:ſeu eſt uiſum ſimpliciter,& eſt uiſum quatenus ad aliud refertur.Res quidem utrinque eſt eadem,ſed ita conſiderata ſit alia ſecundum rationem.Quatenus itaq; uiſum conſideratur ſimpliciter, eſt intellectum. νόημα uocat Ariſtoteles, non μνημονευτόν:& intellectus eſt munus. Quatenus uerò conſideratur ut ſignum alterius,imago eſt,& memoriæ ſubiectum,quod nũc dixi μνημονευτόν, & eſt uerum officium memoriæ, conſentítque cum eo quod dictum eſt, præteritorum & abſentium eſſe memoriam. Quod autem iſtiuſmodi duplex conſideratio ſit in uiſo,uel hoc oſtendit, quod aliquando in ea parte mota anima,non poſſumus ſcire,quæ res præterijt, & à nobis antea percepta eſt,præſentémne habeamus eam,an abſentem: id eſt,per ſenſúmne comprehendamus eam,an per memoriam.Et contrà, concepta aliqua imagine,putánt nonnulli quòd res præterierit, & habent εἴδωλον, pro eo cuius eſt εἴδωλον. Et quibus hoc accidit, ij dicuntur non apud ſe eſſe,aut ἔκστασιν pati.Cæterùm quod ſuprà eſt ſignificatum,eſſe memoriam imaginem in anima uelut ſigillo impreſſam,id ualde eleganter & copioſe Ariſtoteles exponit:quem locum,quia nonnihil etiã facit ad diſcernenda hominum ingenia,non potui nõ adſcribere.Manifeſtum enim eſt, inquit ille, quod debeat

intelligi,

intelligi, talem quandam affectionem eſſe, quæ fit ſenſu in anima, & in corporis parte, quæ illam habet, qualis eſt pictura: cuius adfectionis habitum Memoriam dicimus. Nam qui fit motus, indit uelut figuram quandam ſenſi: ut ij faciunt, qui annulis obſignant aliquid. Quare memoria non efficitur: alijs, quòd ſunt in multo motu ſiue propter affectionem, ſiue propter ætatem, perinde quaſi motus & ſigillum in fluentem aquam incidat: alijs, quòd ut uetera ædificia, factum eſt frigidum & durum, quod recipit affectionem, non imprimitur figura. Ideóque & pueri & ſenes non meminerunt. inſtabiles enim ſunt, & uelut fluunt: alteri propter augmentum, alteri propter diminutionem. Item nec ualde ueloces, nec ualde tardi ſunt memores. ſunt enim iuſto illi humidiores, ij duriores: & alteris non manet uiſum in anima, alteris non infigitur. Hucuſque Ariſtoteles. *Obſeruandum eſt etiam, quod dicitur in eodem paulo pòſt, quòd meditationes conſeruent memoriam ſaluam recordando: quódque recordando meditari, ſit contemplari uiſum ut imaginem, non ſecundum ſe.* Hoc autem *quomodo intelligi debeat, ex ijs quæ iam nunc explicata ſunt, ſciri poteſt.* Quibus *expoſitis,* Memoria *ſic definiri poteſt, ut ſit uis quædam, ſeu affectio ſenſus communis, qua res præteritas, & uel intellectas, uel ſenſu perceptas in animo uelut præſentes intuemur.* Seu *ut ſit inſpectio formæ conceptæ in animo de re præterita, & percepta uel ſenſu uel intellectu, pro eo quod alterius eſt.* Ariſtoteles *ſuo more, hoc eſt breuiſſimè, & tamen abſolutiſſimè definit, cũ ait:* ὅτι φαντάσματος, ὡς εἰκόνος, οὗ φάντασμα ἕξις, *Id eſt:* Memoria *eſt habitus uiſi, ut imaginis, cuius eſt uiſum.* Breuiſſimam *hanc eſſe defini=*

tionem, uident omnes: uerùm quod abſolutiſsima ſit, nemo; niſi intellecta hac tota Ariſtotelis diſputatione, poteſt uidere. Summam illius hic ſatis dilucidè puto me indicaſſe. Nunc addam, quod ſequitur in Ariſtotele. Sequitur autem de Reminiſcentia.

Quid ſit reminiſcentia.

Tria principaliter in hac quæſtione tractanda erunt. primò definitio reminiſcentiæ, deinde modus & cauſſa, quo & unde ſit hæc affectio in anima: poſtremò differentia, quæ eſt tum inter hanc uim & ſuperiorem, tum inter ipſam & doctrinam. Prius tamen, quàm de hoc instituto meo agam, paucis explicanda ſunt, quæ tradit hoc in loco Philoſophus de falſa memoria, déque imperfecta. Falli dicit memoriam, aut non eſſe potius memoriam, quandò non coniungitur motus rei cum temporis motu, ſed alteruter ſine alterutro ſit, ut ſi quis putaret aliquid ſe uidiſſe uel audiuiſſe, quod uideret uel audiret; uel ſe aut uiſurum aut auditurum eſſe accepiſſet; falleretur: ſicut falleretur, ſi quis cogitans de præterito tempore, uno quodam impetu putaret ſe meminiſſe, id eſt, habere in animo rei præteritæ imaginem, propterea, quòd cogitaſſet de altera tantum parte memoriæ, quod eſt tempus præteritum. Imperfectam memoriam uolo appellare docendi cauſſa, quæ non eſt certa prorſus de tempore, hoc eſt, habet quidem motum temporis, ac ſcit præteriſſe aliquid: uerùm nupér ne, an pridem hoc ſit factum, hoc an illo die, aut menſe ignorat: adeóque non in tempore, ſed in qualitate quadam, aut menſura temporis errat. Nunc ad propoſitum uenio. Reminiſcentia eſt habitus, aut affectio, ſiue

motus

motus mentis, per quem uenitur ad notitiam eius, quod memoria magna ex parte nunc excidit, aut in memoria obſcuratum eſt. Quòd enim prorſus amiſſum eſt ex memoria, cum iterum ſcitur illud, non eſt reuocatum in animum reminiſcentia, ſed noua doctrina perceptum. Et *quanquam reminiſcentia uidetur habere nomen tam apud Græcos, quàm apud Latinos, quod reſumat aut recipiat memoriam: non tamen eſt receptio memoriæ reminiſcentia, quemadmodum Ariſtoteles docet, & nos infra de hac re fortaſſe addemus aliquid. Præterea mentis aut intellectus affectionem eſſe reminiſcentiam, iſta re ſatis probari poteſt, quòd reminiſci eſt ratiocinari, aut inquirere quiddam, & deliberare. Hæc autem intellectus munera ſunt, non ſenſus communis. Ariſtoteles cùm alijs uerbis huius diſputationis motus huius definiendi materiam præbet nobis, tum his maximè: Sed quando recipit ſcientiam, aut ſenſum, quem prius habuit, aut quodcunque cuius habitum diximus eſſe memoriam, hoc aliquid eorum quæ dicta ſunt, reminiſci eſt. Sic autem fit reminiſcentia. Cum excidit aliquid è memoria, non totum, ſed relictis in animo de eo ueſtigijs quibuſdam, ac ſaltem generali imagine, quod illud ſciuerimus, uariè mouetur mens, & iam huc, iam illuc tanquam reſpicit, cupiens iterum expreſſum penè extinctæ rei ſimulachrum cernere: tandèmque per gradus quoſdam agitationum eò peruenit, ut rei maximè cognatæ cum ea quam inquirit, effigiem, concipiat, ſi tamen eſt recordatura (nam ſæpe contrà, quàm uult, non recordatur) & deinde ſtatim recipiat amiſſam quoque imaginem.* Et *quòd ſunt inter ſe res ordine diſpoſitæ (conſequenter entia uulgus uocat) hoc*

ferè ſunt illi motus in animo: quilibet enim in cognatum & proximum tranſit: niſi quòd in utranque partem hoc poteſt fieri, quando primus motus ut medium quiddam eſt. Ponamus *de utroque exempla. Sint* 1.2.3. 4.5.6. *motus, & quorum ultimus ſit ipſius rei, cæteri cognati cum re, quam redigere uolumus in memoriam.* Nunc *mens quando primùm initiò cõcipit, pergit ulterius ordine in penultimum.* Quo *facto, pellitur quoque ſtatim poſtremò.* Et *hoc fit ſecundũ illum ordinem, quem* Ari*ſtoteles* τὸ ἐφεξῆς *nominat, & propemodum ei contrarium, qui ab eodem* τὸ μὴ ἀντιστρέφον κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν *dicitur.* Quando *autem aliquo mediorum motuum incipit agitari, quia poteſt in utranque partem pergere, non propriè* κατὰ τὸ ἐφεξῆς *fiunt impulſiones in animo.* Atque *hoc eſt, quod nonnunquam reuocatur aliquid in animum, aliquando non reuocatur, inchoatis motionibus animi ab eodem principio: id eſt, ab eodem uno de medijs motibus.* Motus *autem imaginum cognatarum, cum ea quam ſtudemus in animum reducere, ſunt, contrarium, ſimile, propinquum.* Ari*ſtoteles utitur hoc exemplo:* Recordaturus *autumni, fortaſſe cogitat initiò de lacte, ex lacte cogitando in album tranſit, ex albo in aerem, ex aere in humidum, ex humido in autumnum tandem.* Quòd *autem tales in animo fiant motus, hoc etiam oſtendit, quòd illorum quæ conſiſtunt in ordine, facilè refricatur memoria, ut mathematum: contrà eorum difficilè, quæ ſunt confuſa, & nullo conſtant ordine, cuiuſmodi ſunt in omnibus artibus uariè ſuperſtitioſequè diſputata, ut ſunt in philoſophia ſuperioribus temporibus ei admixta ex ſacris literis, & in ſacris literis admixta eis ex philoſophia:*

in Med

in Medicina, *quæ ſunt illi ex philoſophia interiore inſerta:in* Iure *ciuili, tum ex* Theologia, *tum ex philoſophia plerâque inuecta:in* Aſtrologia, *quæ ſic appellatur nunc,aſſuta ex ſuperſtitione propemodum infinita, quæqúe minimum aliunde ſunt addita ijs, quæ* Ptolemæus *inuenit,&* *pertractauit. Sed de hac parte ponam* Ariſtotelis *uerba, ſummatim, quod uolo, complectentia. Cum dixiſſet ille, conſuetudine quadam ſequi alios motus ex alijs in animo ſemel impulſo, deinde ſic dicit: Quando itaque reminiſci uolet, ſtudebit conſequi principium motionis,ex qua & illa erit. Propterea celerrimè & optimè fit omnis reminiſcentia ex principio. Sicut enim ſe res habent inter ſe, quæ ſunt collocatæ,qui in quadam conſequentia conſiſtit, ordine, ita & motiones. Præterea demonſtratio, qua declarauit hanc rem* Philoſophus,*omnino mihi ſuſpecta eſt de corptione, cùm ob alia quædam, tum propter uarietatem ſcripturæ in codicibus. Nec ſatisfecit mihi* Themiſtij *interpretatio. Ego exiſtimo, non procul aberrare me ab illius ſenſu: quantumqúe in hoc opere ſatis eſt,explicatam eſſe* Philoſophi *diſputationem. Qui poteſt, hoc faciat melius.* Hoc adeò me non offendet, ut ſim ei *gratias etiam acturus. Sequitur poſtrema pars.* De *qua breuiter hoc ſciri debet, hoc intereſſe inter memoriam & reminiſcentiam, quod intereſt inter picturam expreſſam & obſcuratam aut uetuſtate,aut aliqua alia de cauſſa. Quòd autem* Ariſtoteles *in huius capitis principio dicit, reminiſcentiam non eſſe receptionem memoriæ:ſic debet accipi,ut ſciatur,quòd quando recipitur memoria, non fiat hoc reminiſcentiæ beneficio, ſed nouæ doctrinæ aut perceptionis.* Hanc enim opor=

tet interuenire, quando res tota effluxit ex animo. Quanquam hæc ita ſunt cognata, ut aliquo modo recipi uideantur, aliquo modo nòn uideantur recipi reminiſcentiæ beneficio. Quod etiam ipſe Ariſtoteles docet. Differunt etiam in hoc memoria & reminiſcentia, quòd illam præter hominem alia multa habent animalia, hanc uerò habet ſolus homo: & hoc ideo, quia meminiſſe quædam ſenſitiui eſt affectio, reminiſci autem intellectus, cùm redigentes aliquid ſibi in memoriam colligant, alia tãquam ex alijs, memoria tenentes uelut rem intueantur, ut ſuprà dictum eſt. A diſcendo aut percipiendo differt hoc reminiſcentia, quòd oporteat eſſe maius principium, id eſt, illuſtriorem motum, in reminiſcendo, quàm in percipiendo. Et, ut alibi dicit Philoſophus, quod poteſt aliqua ex parte per ſe moueri mens in id, quod eſt poſt principinm, id eſt, primum animi motum reminiſcentia iterata doctrina, hoc non poteſt facere, ſed per aliud mouetur. Sed, ut de his tribus habitibus dicam, & generalem eorum differentiam ponam, tum dicitur memoria, quando quod perceptum eſt, ac præterijt, ſic eius imago inſpicitur, ut ſi res ipſa eſſet præſens, & quando ſcit animus, eam ſe rem percepiſſe. Quando autem ex animo res excidit, ac reuocata inſpicitur ita, ut ſciatur perceptam fuiſſe, reminiſcentia eſt. Contrà doctrina eſt, cum percipitur aliquid ſiue antea fuerit intellectum, ſiue non fuerit, modò, ſi fuit intellectum, hoc ignoretur poſt receptionem, & perinde habeatur, ac ſi nunquam antea fuiſſet cognitum. Additur hoc in Ariſtotele tanquam appendix, corporeum quiddam eſſe reminiſcentiam, propterea quòd nonnulli turbentur ualde, quando

do non poßint, quod uolunt, ſibi reuocare in animum, & ut maximè conentur non amplius id quærere, tamen ſubinde eos recurrere ad quærendum. Hoc autem accidere *melancholicis maximè, quòd uiſis moueantur plurimum illi.* Melancholici *autem non ſignificare poſſunt, in eo præſertim loco, pigros homines, & tardos: cum dicat ſub initium huius opuſculi, ualentes memoria, & reminiſcentia in hoc differre, quòd hi celeriores & dociles, illi ſint tardiores & indociles: ſed aut abundantes naturali melancholia, aut exuſta.* Faciunt *enim multas melancholiæ ſpecies medici.* Hinc *etiam eſt, quòd tales paulò uehementius commoti, aut cogitent non reminiſcendo, aut loquantur aliquando, aut canant contra quoque uoluntatem.* Porrò *& hoc notandum eſt, quod dicit ibi* Philoſophus: *Quibus amplior ſit pars corporis ſuperior, ut eſt pomilionum, eos debili eſſe memoria, & reminiſcentia, quod facultas ſentiendi grauetur pondere: & non poſſe motus ibi nec affligi bene initio, nec rectè affixos moueri.* Poſtremò *ex talibus diſputationibus de reminiſcentia, nata eſt ars memoriæ, de quibus meminerunt* Cicero *ad* Herennium, *& in* Oratore, *&* Quintilianus *in undecimo libro.* Ibi *enim loca & ſimulachra, quæ inſpecta reponunt in memoriam ea quæ exciderunt, aut quæ alioqui exciderent, coniuncta ſic cum locis, ac ſimulachris bene impreßis memoriæ manent.* Quanquam *hæc res magis ad reminiſcentiam pertinet, quàm ad memoriam, & iuuat haud dubie animum in refricanda rerum memoria.* De *memoria & reminiſcentia dictum ſit hactenus.*

Quid ſint Vigiliæ.

Huius etiam ſiue habitus, ſiue affectionis animæ tractationem, Ariſtoteles à tractatione de anima ſeparauit eandem ob cauſam, quæ ſuprà eſt indicata: ac eam coniunxit cum eius affectionis explicatione, quæ Somnus uocatur, & tum pruatio illius, tum contrarium dici poteſt. Non enim hæc ſubtiliter nunc diſcernimus uel ideo, quòd Ariſtoteles etiam utramque appellationem ei tribuerit. ac ſanè hæc adeò ſunt inter ſe cognata, ut ſæpe alterum uſurpetur pro altero, aut potius utrunq; pro eodem. & contrarium dicatur, quod ſignificat priuationem: contrà uerò priuatio, quod contrarium ſignificat. Quis enim ignorat, albo nigrum haberi contrarium? Sæpe tamen hic Philoſophus, qui maximè celebrauit has ἀντικειμένων ſpecies, nigrum dicit albi tantum priuationem eſſe. Non aliter in ſuis locis de amaro & dulci, & ſimilibus rebus loquitur. Sed reuoco me ad propoſitam quæſtionem, & quidem initiò definiã hanc affectionem: reliquum operæ dabo partibus huius opuſculi præcipuis explicandis, non tam breuiter, quàm dilucidè, ſi poterit hoc fieri, quod ſpero: cùm ideo, quòd in hac diſputatione minus eſt obſcurus Ariſtoteles, quàm in ſuperiore: tum quia res ipſa facilior & planior eſt, magisq; tanquam in conſpectu nobis collocata. Et ſatis hic locus quoq; poteſt nos docere, quod aliàs rectè uideor etiã noſtro captui aut negligentiæ potius adſcribere, ſi quãdo obſcurus eſt hic author, magis hoc fieri materiæ, quæ tractatur, culpa, quàm uel ſermonis, aut uoluntatis alicuius, aut ſtudij negociũ hominibus faciendi. In hac autẽ parte uelut ipſam explicabimus definitionẽ, quod etiã uidetur

mihi fieri commodius in his quæſtionibus, etiamſi contraria ferè uſus uia ſit, ac ordine Ariſtoteles: cum non, ut ille fecit, hæc uel gignentes, uel ita liberè contra alios, noſtris rationibus adhibitis, diſputātes, ſed ut interpretes huius autoris ex maxima parte, proptereáque rarò de noſtro aliquid, aut aliunde addentes, de hiſce rebus perſcribamus. Quare cum ſatis iterum euagati ſimus etiam eò, quò non uolebamus principiò, quod inſtitutum eſt, agamus. Vigiliæ ſunt affectio ſenſus communis, qua uel omnes ſenſus, uel aliqua pars eorum in ſuo munere uerſantur, uel perfectè uel imperfectè, aut ipſe potius actus perfectus uel imperfectus primi ſenſitiui. Actus autē hic aliter accipi debet, quàm ſuprà eſt acceptus. Non enim proprius, ſed propemodum accidētalis aut uoluntarius eſt. Sed obſcuræ ſunt hæ definitiões: ponamus clariorem & ſimpliciorem, & magis Ariſtotelicam. Vigiliæ ſunt remiſsio aut ſolutio ſenſus communis. Nā quinq; ſenſus, qui à primo & communi illo pendent, ut ex principio, & ſecundi poſſunt dici, non ita coniuncti ſunt cum uigilijs & ſomno, ut hæc in illis ſint, ut in proprio ſubiecto: idque poſtea ſatis planum fiet. Nunc ut definitio clarius intelligatur, aliquid de præcipuis partibus huius diſputationis annotemus ordine, prout eſt ab Ariſtotele factum, & quantum huic quæſtioni ſufficit. Primò, quòd in eadem animæ facultate uerſentur uigiliæ & ſomnus, hoc probat, quòd ſunt oppoſita inter ſe. Oppoſita autem ſiue ſint contraria, ſiue priuationes, in eodem ſemper exiſtunt: quanquam non ſimul, ſed quando alterutrum eſt, in eo eſt, in quo alterum eſt: quando eſt, ut uiſus, cæcitas in oculo, lumē tenebræ in pellucido. Deinde per id uidemus dormire animantia, per quod uigi=

lant. Quia dormiens eatenus dormit, quatenus non ſentit: ac uigilans ideo uigilat, quòd ſentit aliquid aut intus in ſenſu communi, aut foris in quinq; ſecundis ſenſibus. Secundò, quia nõ ſunt hæ affectiones aut in corpore, aut in anima tantùm, ſed communiter in utroque, nullũ corpus inanimatum uigilat, aut dormit: & cum plantæ careant ſenſitiuo, ne illæ quidem uigilant, aut dormiunt, etiam ſi habeant animam nutritiuam. Tertiò, quemadmodum nulli corpori, quod ſenſu caret, inſunt uigiliæ & ſomnus: ita non alterum ineſt perpetuò, ſed ambo inſunt per uices, & quidem in omnibus animalibus. De uigilijs non eſt dubium. Neceſſe enim eſt animal actu ſentire aliquando: & ſenſitiuum eſt, quod poteſt ſentire ſecundum actum, ut Philoſophus ait. Hoc autem ſunt uigiliæ. Vigiliæ non inſunt perpetuò propter hanc maximè cauſſam, quòd omnia quæ natura ſunt in aliquo motu aut functione tali, quæ habeat certum & finitũ tempus, quod duret, cuiuſmodi ſunt ferè hæc inferiora, ceſſent illa aliquando oportet. Quòd autem tale quiddam ſint uigiliæ, teſtantur aliæ actiones animæ. Nullũ itaque animal ſemper uigilat, præſertim cùm uigiliæ ſint quædam ſolutio ſeu remiſſio ſenſuum, ſomnus contra prehenſio, ſeu impotentia, ἀκινησία quoque, & δεσμὸς ab Ariſtotele dicitur, ſintque hæc inter ſe contraria, quorũ alterutrum neceſſe eſt adeſſe. Huc pertinent, quæ dicuntur in poetis: ut hoc Virgilij:

Feſſos ſopor irrigat artus. Et illud Ouidij,

Quod caret alterna requie durabile non eſt:
Hæc reparat uires, feſſáque membra leuat.

Martialis inter partes beatæ uitæ numerat ſomnum, cum ait:

Somnum,qui faciat breues tenebras. Sic alibi optat.

Sit nox cum ſomno,ſit ſine lite dies.

Idē ſibi uolūt hæc uerba Ariſt. σώζει γὰρ ἡ ἀνάπαυσις. *Et alibi,* ἀδύνατον γὰρ ἀεὶ ἐνεργεῖν. *Suauiſsima deſcriptio ſomni extat apud* Ouid. *in Trāsformatiōibus his uerſibus:*

Somne quies rerum, placidiſsime ſomne deorum,
Pax animi,quem cura fugit,tu pectora duris
Feſſa miniſterijs mulces,reparáſque labori.

Sed pleni ſunt bonorū authorū libri talibus teſtimonijs. Quare nihil dubitandū eſt,ſomnū eſſe neceſſariū in omnibus animantibus. De qua re medici docent nō paulo diligentius:& præcipuū ſomni munus uolunt eſſe,uirtutem animalē,ut uocant,adiuuare,& recreare. Quanquam nondum ſenſu deprehenſum eſt,quod teſtacea dormiant. Et ſanè quibus duri oculi ſunt,& quæ inſecta appellantur,ut ſunt cancri,apes, breuem habent ſomnum. Poſtremò demonſtrādum hoc etiam eſt, quod eſt in definitione præcipuum,ſenſus communis affectiones eſſe uigilias & ſomnum. Id autem hoc modo ferè fieri poteſt. Ex his quæ hactenus dicta ſunt,conſtat,in ſenſitiui aliqua parte uerſari hæc animantium πάθη. *Quod autem non in ſenſuum ſecundorum aliquo conſiſtant,ſatis eſt hoc indicij,quòd omnes ſenſus illi uelut uincti ſunt,dormiente animante:nec alius,aut alij dormire poſſunt,alius aut alij uigilare unà,multo minus in uno & eodem ſenſu poteſt hæc uarietas eſſe,quod ad partes eorum attinet. Sicut in fabulis eſt de Argo,quod habuerit centum oculos,& illi uigilauerint ac dormierint alternis. Eadem de cauſſa non ſunt hæc in pluribus, quàm in uno, ita ut non ſint in omnibus. Præterea non ſunt hæc ſimul omniū ſenſuum illorum propriè, & quod ad ipſos attinet,ob*

has ra

has rationes maximè. Primò, quia ſenſus etiam communis quieſcit in ſomno, & agit in uigilijs, atque eſt principium ille & fons reliquorum. Rectius itaque tribuitur ei, quàm cæteris, imò ratio cogit ei tribui uigilandi & dormiendi uim. Sic enim hæc duo ſenſitiua primum & ſecundum cohærent, ut ubi primum patitur aliquid, ſecundum pati unà ſit neceſſe: contrà uerò, ubi ſecundum patitur, non eſt neceſſe unà pati primum: nec illud non poteſt agere, quando huius aliqua pars eſt impedita, cũ huius nulla pars poßit agere, illo impedito. Deinde ſi eſſent hæ affectiones in ſecundis ſenſibus, non poſſet animal non dormire, illis impeditis: ſed non fit hoc ſemper. Non ergo ſomnus & uigiliæ ſunt in illis ſenſibus. Sumptum ſic probatur: Quia, cum deficiunt animis animalia, aut aliquando mente capiuntur, item conſtrictis uenis in collo ſenſus amittunt, non tamen tum dormiũt. Sed hæc argumenta probabilia magis ſunt, quàm neceſſaria. Poſſet enim ſenſuum cõſtrictio pro genere haberi: ſomnus, lipothymia, uenarum colli contractio, pro ſpeciebus, ita ut quemadmodum rectè dicimus, homo eſt animal, non econtrà animal eſt homo: ſic dici poßit, ſomnus eſt uinculum ſenſuum, non etiam uinculum ſenſuum eſt ſomnus. Et ſunt hæc ſanè ſic cognata ſenſitiuum primum & ſecundum, quæ Ariſtoteles tanto ſtudio diſtinguit, ut omnibus ſecundis ſenſibus extinctis, ne cogitari quidem poßit, quid ſit primum ſenſitiuum. Nam cum, ut ipſe in libris de Anima docet, non queat animal eſſe, ubi nõ eſt ſenſitiuum: quomodo poſſet ibi ſenſus communis eſſe, ubi tactiuum non eſt? Sed ipſe hunc nodum ſoluit, cum dicit, hæc duo ſenſitiua idem eſſe, τὸ εἶναι autẽ eſſe diuerſum, hoc eſt, rem eandem eſſe materia aut ſubiecto, forma & ratione

ratione res diuerſas eſſe. Quod etiam de obiectis ſenſuum dici poteſt. Verùm ſimus Ariſtotelis ſententia contenti, & progrediamur ulterius.

Quid ſit ſomnus.

Etſi, quæ nunc ſunt de uigilijs expoſita, ex ijs poſſet ſciri aliqua ex parte, quæ ſit natura ſomni: tamen cùm ut res magis pateſiat, tum ut obiter alia quæ ſunt apud Ariſtotelem ad illuſtrandam diſputationem interpoſita, paucis dicantur, & quidem pleráque illorum ad uitã etiam & ualetudinem utilia, non tantùm erudita, ingenioſa, hæc addere uoluimus. Vt autẽ à capite ordiamur, Somnus ita poteſt definiri dupliciter, ut & forma conſideretur, & efficiens: Somnus eſt uinculum, aut remiſsio ſenſitiui primi. Et hæc definitio formæ eſt. Sicut enim uigilias diximus tum actum eſſe, tum ſolutionem primi ſenſitiui: ita rectè ſomnum dicimus tum potẽtiam primi ſenſitiui, tum coniunctionem. Quanquam ſicut de actu ſuprà intelligi uoluimus, ita hic de potentia debemus intelligi. Non enim tam actus ſunt uigiliæ & potentia ſomnus, quàm accidentia quædã illorum: & rectius ac planius Ariſtoteles ſomnum contrario uocabulo quandam ἀδυναμίαν appellat. Eadem ratione, uigiliæ ſunt quædã δύναμις. Verùm hæc tenuia miſſa faciamus, & ſubijciamus alteram definitionem, quæ ſic poteſt ab efficiẽte fieri: Somnus eſt concluſio caloris naturalis, facta in ſenſitiuo primo à uaporibus nutrimenti eductis per uenas, aut meatus uenis proportionales in caput, ac in cerebro infrigidatis. Hæc definitio cõplectitur ferè omnia, quæ de hac affectione docuit Ariſtoteles. Et quæ nõ ſunt iam dicta, reliqua ad eam accõmodabimus hoc modo. Primò quòd ſit concluſio caloris naturalis, hinc doceri poteſt, quia

teſt, quia

teſt,quia multum dormiunt ij, quibus multi uapores in caput aſcendunt, qui infrigidati reſoluuntur in humorem,& repercutiuntur deorſum:contrà quibus hoc non fit,non multum illi dormiunt.Nam quando relabũtur ex capite uapores deorſum,circa medium,id eſt,cor, denſatur & cogitur calor καθ' ἀντιπερίστασιν.*Quod autem multum illi dormiãt,quibus multi uapores ad caput eleuantur,hoc probat,quod oculi claudũtur, & concidunt palpebræ,imò totum corpus reſoluitur & proſternitur. Quod rectè frigiditati aſcribitur, quæ fit ex uaporibus in humorem coactis.Deinde frigiditas in exterioribus membris totius corporis exiſtit. Secundò fit ſomnus à uaporibus nutrimenti,quos Ariſtoteles humidum etiam* σωματώδες *uocat,propterea quod à cibo & potu(nam hæc ſunt nutrimentum)in primis dormiunt animantia. Qua de re ipſum potius Philoſophum loquentem audiamus:Verùm non eſt ſomnus,ut diximus,quælibet ſenſitiui impotentia,ſed fit hæc affectio ex nutrimenti uaporatione.Neceſſe enim eſt, hoc quod uaporat, alicubi reſiſtere,poſtea redire,ac ſpargi ulterius,unde acceſſit, tanquam Euripum. Calidum autem in unoquoque animante eam habet naturam, ut ſurſum feratur. Quando autem in ſupremis locis conſtiterit,cumulatim recurrit, ac transfertur. Propterea maximè ſomni à nutrimento efficiuntur. Cumulatum enim,& multum tunc humidũ, & corpulentum cuchitur.Quare cum denſatur grauat, & ut dormituriat animans facit.Vbi uerò deorſum fluxerit,& recurrens depulerit calorem, tum fit ſomnus, & tum dormit animal.Signum autem horum eſt, quòd omnia ſoporifera grauedinem capitis faciunt,ſiue edi poßint,ſiue bibi:ut ſunt papauer, mandragora, uinum,*

lolium.

lolium. Tale quiddam accidit iis, qui degrauantur & dormiunt: nequeunt enim caput & palpebras attollere. Talis ſomnus eſt à cibo maximè. multa enim uaporatio in cibis eſt. Hæc Ariſtoteles. Et hæc eſt horum uerborum ſumma. Somnus fit ex uaporibus nutrimenti. nam à cibo ſomnus plerunque inducitur. Et omnia ſomnifica grauant caput. Quanquam duæ priores ſententiæ ſunt ἀνακόλουθα. *Sicut fit in tali forma uel ſermonis, uel argumentationis: hoc eſt, alterius alterum eſt cauſſa. ut cum dico, hic diſcit literas, ideo delectatur honeſtate: & contrà delectatur honeſtate, propterea diſcit literas. Præterea fiunt ſomni etiam à labore. nam labor colliquandi facultatem habet: ac ita collectus humor in corpore hoc efficit, quod nutrimentum alioqui ſolet. Idem dici poteſt de balneis, & aliis rebus omnibus quæ fatigant, aut reſoluunt corpora: non tamen omnia, aut ſemper, ſed in quibus, & quando fit talis reſolutio, ut humidum uice nutrimenti poßit eſſe. Talis eſt natura morborum, qui fiunt ab humore calido, & in prima ætate. In ambobus enim nutrimentum in caput fertur, in morbis tamen ſic, ut corruptum ſit nutrimentum, in pueris non item: in quibus ideo ſunt etiam capita grandiora, quàm pro ratione ad inferiora membra, quòd ſurſum uehitur nutrimentum copioſè. Inde neceſſe eſt exiſtere crebros & longos ſomnos, ſiquidem accidit ſomnus ex humido aut uapido corpulento, quod ſurſum educitur à nutrimento. Eadem de cauſſa pueri facilè corripiuntur morbo comitiali. Hoc autem adeò uerum eſt, ut Medici noſtræ ætatis hunc morbum propterea Matrem puerorum uocent. Nam uelut ſomnus quidam eſt Epilepſia, & ex eadem cauſſa*

propemodum ſit utraque affectio:niſi quòd in humido efficiente morbus eſt maior frigiditas,& lentor,& plus ſpirituum, quàm in eo quòd ſomnum conciliat. Et hoc *eſt quod medici docent, infantibus & nutricibus non eſſe præbendum uinum, niſi paucum & tenue, cum inflandi naturam habeat, aut ut* Ariſtoteles *ait, ſit* πνευματῶδες, *maximè nigrum.* Quod *autem infantibus abundent nutrimento ſuperiora membra, hoc etiam oſtendit, quòd uertere colla ſerò poſſunt.* Ariſtoteles *dicit, ante quinque menſes hoc eos non poſſe facere.* Dignum *& hoc notatu eſt, quòd ait, hanc affectionem, id eſt, quòd in altiorem locum ducantur uapores, cauſſam eſſe, cur fœtus in utero matris non moueatur initio.* Similiter *hoc etiam, quòd ij qui obſcuras uenas habent, & qui humili corpore ſunt, quique magna capita habent, omnes ſint ſomniculoſi.* De *pomilionibus (nam ijs corpora ſunt humilia) & habentibus magna capita, eadem eſt ratio, quæ de infantibus eſt.* In *uenis paruis non facilè diſpergi poteſt humor defluens.* Contrà *ſit in magnis uenis. propterea qui habent tales, non ſunt ſomnolenti.* Item *in melancholicis, quorum calor naturalis eſt debilis, & pauci ob id uapores attolluntur: inde eſt etiam, quod ſunt uoraces & aridi.* Cum *enim uapores illi ſint nutrimentum (nam ex quibus pituita, & alia excrementa fiunt in capite, non ſunt conciliatores ſomni) tenuiter aluntur melancholici.* Hæc *omnia debent ſic intelligi, ut poßint etiam ab aliqua alia affectione impediri.* Et *pertinent ad unam eam partem definitionis tum probandam tum illuſtrandam, in qua continetur efficiens ſomni.* Deinde *efficitur ſomnus inſenſitiuo primo, quia eſt affectio medij, hoc eſt cordis.* Cor *autem ut*

motus,

motus, ita ſenſuum initium rectè ab Ariſtotele conſtituitur. Quanquam medici in capite has potentias collocant ſuo quodam modo ut Auicenna indicat, qui certè non improbat Ariſtotelis ſententiam. Cæterùm quòd in definitione dicitur, in caput per uenas uapores aſcendere: contra medicos illos eſt, qui putant ex ſtomacho tantum per cibalem meatum illos uapores eleuari. Per alios meatus, quàm per uenas aliquando aſſurgere uapores, non eſt opus oſtendere, cum & ſint animantia ἄναιμα, & illa dormiant. Reſtat poſtrema pars definitionis de infrigidatione uaporum in cerebro. Ea quanquam uariè poteſt exponi, tamen ſic generatim exponi poteſt. Cerebrum eſt frigidiſſimum omnium membrorum in animante, quod habet cerebrum: quòd nõ habet, in eo quod in loco cerebri eſt, eandem habet naturam. Nunc fit in uaporibus per calorem ſolis de terra aut aqua eductis in mediam aeris partem, quæ eſt frigidiſſima. Cogitur autem hic in humorem. Cogitur ergo & illic, ubi nutritiua pars in ſanguinem conuertitur, excrementicia in pituitam aut apoſtemata, aut puſtulas. Hoc etiam non eſt prætereundum, ſolui ſomnum, quando facta nunc eſt coctio, & uicerit calor in anguſtum coactus, fueritq́; ſeparatus purior ſanguis à craſſiore, quorum hic propter grauitatem in inferiora membra ablegatur, ille in ſuperiora propter leuitatem. Hic finis eſto huius diſputationis de ſomno & uigilijs, quæ ſuauitate & utilitate nulli ex ſuperioribus cedit. Sunt & alia quædam ſparſim de his affectionibus diſputata ab Ariſtotele in Problematis. Apud Lucretium elegans & copioſa deſcriptiò ſomni extat in quarto libro.

Quid ſit ſomnium.

Diſputaturus de ſomnio quædam, metuo ne uidear ineptè, ne dicam ſtultè facere, qui ſuſcipiam hoc explicandum, quod, ſi quid eſt, adeò nihili & leue eſt, ut cum uelint eruditi homines aliquid dicere, quod nullius momenti eſt, Somnium dicant. ſed hoc me confirmat, quod non ſolùm Ariſtoteles, qui & eruditus eſt, & princeps quidam eruditorum: ſed multi alij doctiſsimi uiri, de hacre diſputauerunt & ſcripſerunt. Nam quanquam imago tantum rei, & ſpectrum uidetur ſomnium eſſe, non tamen cum nobis obuerſentur in animis noſtris frequentiſsimè tales imagines, indigna res eſt, de qua ſtudioſus rerum naturæ indagator tum cogitet, tum explicet quoque, ſi quid poßit, & alios doceat. Præterea ne quidem ſolum eſt imago rei, ſed res etiam ex aliqua parte, ut oſtendetur paulo pòſt. & hic non ſpectatur, quantum res pondus habeat, quámue ſit magna, aut utilis: ſed quæ ſit eius natura & uis, ac unde oriatur, in qua parte humani animi uerſetur. nec ſtatim plurimum curæ & ſtudij meretur hoc, quod eſt utiliſsimum, aut minimum, quod nullius eſt uſus: niſi uerum non dixit Ariſtoteles, ubi dixit, non omnes res ex hominis utilitate æſtimandas, eóque referendas eſſe, cum ne homo quidem ſit præſtantiſsimum eorum quæ ſunt in natura. Porrò quod ad rem ipſam attinet, hoc initiò debet ſciri, quòd ſomnium nec opinio ſit, nec intellectus, ſed primi ſenſitiui affectio, æquè ac eſt ſomnus ipſe. unde etiam eſt dictum ſomnium apud Latinos, & apud Græcos phantaſia, quam in hoc loco Philoſophus dicit à ſenſu communi tantum forma differre, non materia. Quod autem non ſit opinio, manifeſtum eſt ex

eo, quod

eo, quod in ſomnijs occurrunt & communia, & propria ſenſuum obiecta, in opinione uerò non occurrunt abſque ſenſu. P*ræterea ſomniantes non tantùm uiſa percipiunt, ſed ex illis etiam aliquando ratiocinantur: id quod experiuntur ij, qui ſæpe cum uigilauerint, apud animum repetunt ſomnia.* P*ropterea quoque non omne id uiſum, quod in ſomno apparet, ſomnium eſt.* I*ntellectus non eſt hæc affectio prorſus, ob eaſdem cauſſas. affines enim ſunt inter ſe intellectus & opinio, maximè quod ad hanc diſputationem attinet.* N*on enim eſt ſenſus omnino ſomnium, cum nihil propriè ſentiamus dormientes.* Q*uanquam eſt aliquo modo ſenſus.* T*anta eſt harum rerum inter ſe cognatio. quanquam enim nullum animans, niſi dormiendo ſomniat: in ſomno autem ſenſus omnes, ut ſuprà eſt dictum, ſopiti ſint: tamen ſine ſenſu non poteſt ſomnium in anima effici.* I*dq́; uel hoc probat, quòd ſenſibilia uerè percepta à ſenſibus, non euaneſcunt ſtatim, cùm deſierunt ſenſus agere, ſed manent, ac dicuntur propriè uiſa, græcè* φαντάσματα, *cum à uigilantibus ita aſpiciuntur, tanquam & uiſa, quæ in ſomno feriunt principalem ſenſum, eiuſdem ſunt naturæ, quanquam non iſta prorſus ratione ſunt uiſa, ut in uigilijs.* A*ppellantur autem iſtiuſmodi uiſa ſomnia, fiuntq́; non aliter quàm uicinæ ſubinde partes: aut in motu, qui latio uocatur, impelluntur: aut in alteratione mutantur, quouſque lationis aut alterationis impetus & uis progredi poteſt.* E*ſt enim ſentire, propemodum alterari aliquid, de qua affectione manent etiam in ſomno reliquiæ.* Q*uod autem tanta fiat impreſsio in ſenſibus, hæc docent, quod eandem formam oculi uigilantes in contrarium, aut diuerſum transferant, aut à*

luce, aut à colore, aut ab iis quæ uel mouentur, uel quieſcunt; ubi ea diu & intentè inſpexerimus, aut ſemel tantum, ubi fuerint uehementia: ut cum album ſumus intuiti continenter, aut breuiter Solem, manet in oculis tum color, tum lux etiam pòſt, quàm remota ſunt ab illis obiecta. Nam facilè afficiuntur ſenſus. idq́; cum dicta nunc, tum hoc etiam declarat quòd in ſpeculis & alijs læuibus ac politis corporibus ſe ipſa, & alias res per repercuſſionem uident animalia. Cæterùm cur uiſus præ alijs ſenſibus non tantùm patiatur, ſed agat; & quare pura ſpecula facilius inficiantur, quàm impura, à mulieribus tempore menſium, ex Ariſtotele ſumi debet, qui prolixè hoc & perſpicuè expoſuit. Facilè autem ſenſus affici, & hoc demonſtrat, quòd aliæ quoq; res inanimes, ut uinum & unguentum, contrahunt aliquid peregrini odoris non ex eo tantùm, quòd diuerſum odorem habentia admiſcentur eis, ſed etiam ex eo quòd prope ea ponuntur. Et eſt quidem hoc contagium non tantùm in odore, ſed in alijs etiam qualitatibus. Hinc eſt, quod Iuuenalis dicit: Vuaq́; conſpecta liuorem ducit ab uua. Et Ouidius de oculis: Dum ſpectant læſos oculi, læduuntur & ipſi, Multaq́; corporibus tranſitione nocent. Præterea: Somnia fallaci, ut inquit alius poeta, ludunt temeraria nocte, Et pauidas mentes falſa timere iubent. Non aliam ob cauſſam, quàm quia in animi perturbationibus, ut in ira, amore, timore, & in ægritudinibus incerta ſunt, & non reſpondent ſpeciebus à uigilantibus comprehenſis. Cauſſa autem eſt, quod non eadem potentia iudicant, id quòd gubernat, (Ariſtoteles κύριον uocat) & hoc in quo uiſa efficiuntur. Sed dicat aliquis, cur ſi ſomnia ſunt reliquiæ percepto-

rum

rum ſenſibus (αἰσθήματα uocantur ab Ariſtotele) non etiam uigilantes ſomniant, aut ſentiunt tales motus in ſenſorijs, non præſentibus ſenſibilibus? Ad hoc reſpondere eſt facile. Sunt quidem tales etiam in ſenſorijs motiones uigiliarum tempore, ſed non percipiuntur ab animantibus, propterea quòd non modò ſenſus tunc maioribus motibus, & uehementioribus agitatur, ſed aliæ quoq; potentiæ. Itaq; leuiuſculi illi dormientium non percipiuntur; ſed ἀφανίζονται, ὥσπερ παρὰ πολὺ πῦρ ἔλαττον, καὶ λῦπαι, καὶ ἡδοναὶ μίκραι παρὰ μεγάλας, ut uerbis Ariſtotelis utar. In ſomno autem leuiſsimi quiq; etiam motus ſentiuntur, cum ſint ocioſi tum ſecundi ſenſus, & calor multus ab exterioribus ad interiora, principium primi ſenſus confluit, qui unà uehit ſecum hos motus, & ſpecies rerum in uigilijs perceptarum. Quapropter etiam non ſomniant, aut rarò, tum pueri, tum qui recens cibum cæperunt: ſed fiunt ſomnia non aliter, quàm in aqua fluente uertigines & imagines, quæ quò aqua ſedatior eſt, eo certiores & clariores fiunt. Contrà uerò, cum turbatior & agitatior fluit aqua, aut obſcuræ aut nullæ, quæ deprehendi poſsint, fiunt. Hinc eſt, quod melancholicorum & ebriorum, & febricitantium ſomnia ſunt confuſa. Perturbantur enim illi omnes multum propter ſpiritus, quos efficit in humoribus, uinum, & febris, & atra bilis. Porrò ſicut in perturbationibus animi ſæpe, & facilè decipiuntur ſenſus: ita etiam in ſomno decipiuntur propter exiguas ſimilitudines rerum, quæ deferuntur ad ſenſum communem, ex rebus antea comprehenſis à ſenſibus ſecundis. Quod ſi tamen aſpicit illas ſenſus communis, & non unà hoc etiam ſtatuit, quod ſint imagi-

nes rerum tantum abſentium, ſed apprehendit eas pro ueris, & præſentium rerum formis, uerè ſomnium eſt. Sin contrà ſecum pronunciat, uiſa tantum eſſe, non res, non ſunt illa ſomnia, tametſi dormiat animal. Tū etiam non ſunt ſomnia, quando neque dormit omnino, neque uigilat aliquis, ut maximè aliquod obiectum præſens percipiat, confuſe tamen & incertè. Sicut fit aliquando, ut ſomniet quis lumen ſe uidere, aut tonitru audire, & hoc eſt factum, neque tamen dijudicatum ab eo ſemiſopito. Quanquam hæc uelut dimidiata quædam ſomnia dici poſſunt. Huc referendum eſt, quod reſpondent quidam ad omnia quæ interrogantur, dormientes, aut potius ſemiſopiti. Sic itaque definiamus ſomnium, ut ſit uiſum ex motionibus perceptorum ſenſu obiectum animanti inter dormiendum, quatenus dormit. Idem his uerbis Ariſtoteles dicit: ἀλλὰ τὸ φάντασμα τὸ ἀπὸ τῆς κινήσεως αἰσθημάτων, ὅταν ᾖ ἐν τῷ καθεύδειν ᾖ, ᾗ καθεύδει. Conſentiunt cum hac diſputatione Ariſtotelis, quæ Claudianus elegantiſſimè ſcribit:

Omnia quæ ſenſu uoluuntur uota diurno,
  Pectore ſopito reddit amica quies.
Venator defeſſa toro cum membra reponit,
  Mens tamen ad ſyluas & ſua luſtra redit.
Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus.
  Vanaq́; nocturnis meta cauetur equis. Sic Lucretius,
Cauſſidici cauſſas agere, & componere leges,
Induperatores pugnare & prælia obire,
Nautæ contractum cum uentis degere bellum:
& quæ ibi ſequūtur multa, digna lectiōe. Poſtremò, quæ Ariſt. addit uberius declarandorum eorum cauſſa, quæ ſummatim nunc explicauimus, & nonnullos tum pueros

ros, tum alioqui faciles & promptos ad uidendum excitatos nunc ſomno & uigilantes, in loco tamen obſcuro & tenebroſo uidere uarias imagines, & terribiles, propter breuitatem non explico, etſi poſſem hoc facere, uel meo exemplo. Relinquo etiam ea ſomnia, de quibus eſt in ſacris literis, cum ad hunc naturæ curſum nihil pertineant, ſed in quibuſdam efficiantur ab ipſo Deo. Quare quod ſequitur, addamus de diuinatione, quæ fit ex ſomno.

Quid ſit diuinatio ex ſomno.

Etſi non erat hoc in loco definitione aliqua opus, & ſufficiebat exponere tantum quæſtionem εἰ ἔστιν, & docere quod Ariſtoteles fecit, quid momenti habeat ſomnium ad hoc, quod euenit poſt ipſum: tamen ſic breuiter definiamus diuinationem illam, ut ſit præſcientia, uel prædictio quædam de futuro, ex eo quod antea ſomniauimus. Poterat hæc facultas fortaſſe dici ſomniatio: quemadmodum qui ea præditi ſunt, dicuntur ſomniatores. Sed nihil uolo nouare: de re potius ipſa dicamus, quæ poſſumus compendioſe. Ac principiò quod ex ſomnijs diuinari poßit, non modò Ariſtoteles, & medici putant, ſed experientia docet. Quanquam alij ſunt alijs in exponendis illis ueriores. Ariſtoteles melancholicos in ea re præſtare cæteris dicit, propter crebros & uehementes motus, qui non facilè dißipantur ab alijs motibus, propterq́; celeritatem connectendi ſimilia cum ſimilibus, & apprehendendi connexa inter ſe. ubi ſummatim hæc addit: τεχνικώτατος δ' ἐστὶ κριτὴς ἐνυπνίων, ὅστις δύναται τὰς ὁμοιότητας θεωρεῖν. τὰς γὰρ εὐθυονειρίας κρινεῖν παντός ἐστι. *Plerique putauerunt, diuinitus hominibus immitti ſomnia: ut poeta etiam, cum*

dit: Sed falſa ad cœlum mittunt inſomnia manes. Sed rectius ad naturam referuntur per ſe ac generaliter, adeoq́; philoſophicè. Præterea *ſomnia ſunt aut cauſæ, aut ſigna, aut accidentia eorum quæ fiunt. Cauſſæ ita ſunt ut actiones diurnæ ſunt ipſorum cauſæ, ut eſt ſuprà oſtenſum.* Sicut *enim motus, quibus uigilantes pelluntur, in ſomnum uſq; extenduntur: ita motus in ſomno orti in uigilias extenduntur uſq;, & cum rebus quæ fiunt, continuantur.* Accidentia *ſunt, ut loquens de aliquo caſu, in eum incidit de quo loquebatur.* Quod *fieri aliquando prouerbium etiam uulgare oſtendit, quo dicitur, lupus eſſe in fabula.* Horum *ſomniorum euentus extra nos, & procul ſæpe eſt poſitus.* Vt *ſigna ſic ſunt, ut celeritas ſermonis inuſitata furoris eſt ſignum, & coniunguntur cum cauſſa: nec poſſunt hic illa tam facilè diſtingui re ipſa, ut in alijs rebus.* Cæterùm *quòd non omnibus ſomnijs euentus reſpondet, non eſt mirum.* Non *enim eſt neceſſe, ut res ſemper ſequatur ſuum ſignum. ut ruffæ nubes oriente ſole pluuiam, occidente ſerenitatem ſignificant: neq; tamen ſemper aut pluit, aut ſerenum fit, quando illæ apparent.* Atq; *hoc fit, interuenientibus alijs motibus fortioribus.* Eodem *modò bene cogitata aut deliberata, malè aliquando cadunt.* Poſtremò, *quando ſomniamus de rebus à nobis ſeparatis, & uelut procul extra conſpectum noſtrum poſitis, fit hoc non per defluxus & imagines rerum, ut* Democritus *uoluit, ſed impulſu aeris à rebus facto, & perducto uſque ad animæ facultatem, quæ uiſa percipit.* Addam *hoc etiam, quòd medici diuinent ex ſomnijs, quatenus ſignificant aut humoris alicuius affectionem, aut aliquid ſecuturum ex illa affectione: ut eſt morbus, ſanitas, aut ſymptoma.*

ſymptoma. Qua de re ſunt hæc Galeni uerba: Eſt etiam ex ſomnijs corporis diſpoſitionem deprehendere. Si igitur incendium quis per ſomnum uideat, eum quidem flaua infeſtari bile ſignificatur. Si uerò fumum, aut caliginem, aut profundas tenebras, atra bile grauatur: rurſus ſi imbres ſomniat, in eo frigidam humiditatem abūdare indicatur. Sic qui niuem, qui glaciem, qui grandinem, phlegmatis humidi plenus eſt.

Quæ ſit cauſſa, cur animalium alia viuant aliis longius, aut breuius.

Quod ita fiat in natura animantium, ut alia diu uiuant, alia citò occidant, reſpectu quodam inter ſe, nemo ignorat, aut dubitat. Quare hoc fiat, cauſſam ignorant multi. Itaque de hac re quoque paucis in hunc modum ex Ariſtotele diſputemus. Ante omnia uerò ſciendū eſt, nec magnitudine tantum animalium, & paruitate, nec ullis alijs accidentibus, ut ſunt ſanguineum, exangue, bipes, quadrupes, molle, teſtaceum, fiſſipes, planipes, aut alijs eiuſdem generis, hanc rem æſtimandam eſſe. Inuenientur enim parua magnis longioris uitæ, item exanguia ſanguinem habentibus. Quanquam plerunque ſunt hæc illis, ut pedeſtria quoque aquatilibus, durantiora. Tota res conſiſtit in corporibus, ex quibus cōſtant animantia, ut ex materia. Quorum corporū ignis & aqua plurimum habent momenti, cùm ad hoc ut generentur illa, tum ad hoc ut corrumpantur, alterum ut faciens, alterum uerò ut patiens. Facit ignis propter calorem, patitur aqua propter humorem. Cum itaque omnia ſemper, ut ait Philoſophus, in motu ſint, & aut generentur aut corrumpantur, quàm diu ſunt in animantibus calidum & humidum ita coniuncta, ut alterum ab altero nō

deſtituatur,uiuunt:ubi autem extinctum fuerit alterutrum horum,quod ſit iam per ſe,iam per accidẽs,neceſſe eſt animal interire,hoc eſt mori. Quæ res etiam facit, ut alia uiuant longiorem, alia breuiorem uitam. Quæ enim habent calidum & humidum ita, ut à contrarijs non facilè uelut ſede ſua pellantur; diu uiuunt:contrà, citò moriuntur,quæ contrario modo ſe habent (non autem ſunt hæc intelligenda etiam de ijs mortis generibus, quæ per uiolentiam fiunt,ſed tantùm de ijs quæ fiunt natura.de naturalibus enim rebus hic tantum eſt diſputatio.)Hinc eſt,quòd paruis magna animalia ſunt plurimũ uiuaciora,exanguibus ſanguinea, continẽtia ſalacibus, paſſeres fœminæ maribus,laborioſi ocioſis,mulus equo & aſino,cum hæc illis plus humidi in ſe cõtineãt,priora tamen duo natura,reliqua uerò abſtinentia à uenere & labore,quæ ambo exiccant corpora.Viri autem fœminis:& ea quæ degunt in calidioribus locis, illis quæ frigida loca incolunt,ideo ſunt diuturniora,quòd altera ſint alteris calidiora.Calor autem unum eſt de ijs,ut diximus,in quibus maximè uita conſiſtit. Hæc tamen omnia ſic intelligi debẽt,ut per alias cauſſas impediri ſæpe queant.De quibus nihil eſt opus multa uerba facere. Sunt enim faciles cogitatu,& ego nũc ad alia propero.

Quid ſit iuuentus & ſenectus.

Ariſtoteles uidetur in hac parte ſuarum diſputationum naturaliũ paulò diſceßiße longius ab inſtituto ſuo, & aliena potius tractare, quàm hoc quod inſtituerat de iuuentute & ſenectute.Magnam enim partem huius loci conſumit in eo,quod oſtendit,ſenſitiuum & nutritiuum in corde principium habere,non ſecus ac uiuẽdi facultatem aut uitam ipſam. Sed non tam à propoſito

diſcedit,

diſcedit,quàm ea prius dicit,& magna ex parte ex ſuperioribus repetit,quæ tum ad hoc,quod nos nunc incœpimus tractare,explicandum,tum ad explicandũ hoc quod ſequitur περὶ ἀναπνοῆς. Hæc enim in eo coniuncta *ſunt.Quod autem in hoc loco docet Philoſophus de origine ſentiendi & nutriendi facultatis,ut cùm alibi facit,tum in 3.lib.de Partibus animalium,uidentur multis pugnare cum ijs quæ Gal.in opere de* Hippocr. & *Platonis decretis,& in 8.lib.de Vſu partium humani corporis tradidit.Sed non admodum pugnant,etſi in ijs locis contra Ariſtotelem Galenus diſputationem ex conſeſſo inſtitutam tractet.Aliter enim medicus de principijs facultatum,hoc eſt,craßius & pinguius docere debet,quàm Philoſophus,neque debet prima principia inueſtigare:ſicut etiam Auicenna in prima parte ſuorum operum ſentit & ſcribit.Sed relinquamus hanc diſputationem accuratiorem alijs locis & tẽporibus,& nunc in exponenda Ariſtotelis ſententia pergamus. Superioribus illis pertractatis,exiguum quiddam de hoc inſtituto additũ eſt ſic,ut ſenectus ſit debilitatio caloris naturalis,paulatim & ſecũdum naturam facta,& dicitur græcè* μάρανσις,*id eſt marcor.Eſt enim & uiolẽta aut repentina debilitatio,uel etiam extinctio, quæ non eſt propriè ſenectus.Quanquam eadem ſæpe eſt utriuſque cauſſa.Interim enim dum ſubducitur alimentũ,fit etiam infrigidatio,paulatim tamen fit etiam infrigidatio per alium maiorem calorem:ſed ita,ut alimentum præripiatur minori calori:ut accidit in ebrietate,quando uinum corpora infrigidat,cum ipſum ſit calidum. Et hæc debilitatio caloris propriè uocatur marcor.Ariſtoteles ignis ſimilitudine hoc oſtendit.Gale.in 5.lib.de Curanda*

randa ualetudine ponit tres gradus ſenectutis. Primus, eſt eorum qui ὠμογέροντες appellantur. Eam poeta etiã latinus ſignificauit: cum dicit: Cruda Deo, uiridiſq; ſenectus. Secundus, eorũ qui cõmuni uocabulo dicũtur Senes. Tertius, eorũ qui ἀπὸ τοῦ πέμπεσθαι εἰς τὴν ᾅδου, πέμπελοι uocãtur: Latinè dici poſſunt Silicernia, uel decrepiti. Præterea totam hominis ætatem alij aliter diuidũt. Medici quatuor gradus faciunt: creſcendi gradum, & uocant adoleſcentiam: conſiſtendi, quam nocant ætatem pulchritudinis: decreſcendi, & appellant ſenectutem. His tribus partibus imitantur gradus illos, qui ſunt in alijs motibus omnibus. Appellantur autem in tertio de Anima, αὔξησις, ἀκμὴ, φθίσισ. Quartum gradũ ſtatuunt ſenium, ut ſit hoc ultima pars non ſolùm totius uitæ, ſed etiam ſenectutis, & quando manifeſta eſt in uiribus naturalibus debilitas. Primo gradui tribuunt XXV. annos, ſecundo X. aut XV. tertio XX. quarto, quia finis eſt incertus, nullum tempus tribuunt. Adoleſcentiam ulterius diuidunt in multas partes, pro eo quod fari non poſſunt aliquandiu, & dentiunt & ambulant, & apti aut non apti ad generandum ſunt. Verùm non eſt noſtri inſtituti illa tam exactè perſequi. Pythagoras, ut ſcribit Diogenes, fecit quatuor partes, pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem, & ſenectutem: & unicuique dedit uiginti annos, ac eas comparauit eruditè quidem cũ quatuor anni partibus. Quãquam Ouidius contrà, ſub Pythagoræ perſona partes anni partibus ætatis noſtræ comparauit, ſine ullo tamen incommodo, cum inquit in Transformationibus:

Quid? non in ſpecies ſecedere quatuor annum
Aſpicis, ætatis peragentem imitamina noſtræ.

Vbi

Vbi ſequitur egregia deinde utriuſque partium deſcriptio. Vulgaris diuiſio uitæ ſimilis eſt illi Pythagoricæ. Quanquam autem ſæpe adoleſcentia & iuuentus pro eodem ſumantur, tamen illa propriè ſignificat ætatem pueritiæ uicinam, quæ adhuc eſt imbecillior: hæc uirilem, quæ habet iuſtum robur, præſertim in hiſtorijs. De conſtitutionibus ætatum, quas uulgò uocant Cõplexiones, multa explicatè medici docuerunt. Gal. in commentarijs ad primũ lib. Aphoriſmorũ Hippocratis, mouet quæſtionem, utrum in adoleſcentibus ſit maior calor, an in pueris: eámque explicat ſic, ut ab eo quod Pythagoras ſignificauit, cum temporibus anni cõparauit hominis ætates, non recedat. De his rebus in hoc loco ſufficiat hæc dixiſſe. De reſpiratione deinceps dicemus.

Quid ſit reſpiratio.

Vocabulum reſpirationis utramque affectionẽ ſignificat, attrahendi aeris, & emittendi. Quarũ altera ſpeciatim inſpiratio, altera expiratio dicitur: eodem modo, quo apud Græcos eſt cõmune ἀναπνοὴ, ſpeciaria εἰσπνοὴ, & ἐκπνοὴ. Hac facultate non ſunt prædita omnia animalia, ſed tantùm ea quibus eſt pulmo: qui, quia eſt officina ſpirandi, ſpongioſus eſt, ut ait Plinius. Itaque piſces non ſpirant, carent enim pulmone. Videntur quidem ſpirare, propter aſſiduum branchiarum motum. Quæ res etiam decepit ueteres, ut crederent piſces quoque ſpirare. Anaxagoras credidit, illo aere ſpirare piſces, qui colligatur in ore, dum reddunt aquam per branchias. Diogenes contrà, uacuum in ore illorum finxit, ac putauit, ab illo attrahi ſpiritum ex aqua uicina ori, quaſi in aqua ſit aer. Plato multo abſurdius opinatus eſt, incipere reſpirationem ab expiratione, & ab eo calido

quod

quod efflatur ex ore, externũ aerem per occultas uias in corpus impelli per antiperiſtaſin, & illum calfactũ, iterum efflari ac reuehi emiſſum antea calidũ, & iam infrigidatũ ſpiritũ, atq; id fieri poſteà continuò quàm diu uiuat animans, in ambitum quendam intrante, & exeũte ſpiritu. Creditum eſt etiam, ut alatur calidum internum externo aere, fieri in animantibus reſpirationem. Sed hi omnes quomodo ſint falſi, pulchrè demonſtratum eſt ab Ariſtotele, ſicut etiam eſt demonſtratum erraſſe Empedoclem, qui putauit certas quaſdam uenas habere quidem ſanguinem, ſed exiguum, nec eo plenas eſſe uenas. Hunc ſanguinem ſurſum ac deorſum in corpore moueri, & cum ad eam rem ſint meatus quidam, deſcendente illo, intrò accipi ſpiritum: aſcendente uerò, iterũ expelli. Nos breuitatis cauſſa confutationes harum opinionum aſcribere noluimus, ſed relinquere lectoribus ex ipſo autore petendas. Nunc ad inſtitutum redeo. Calidum innatum habent omnia quæ uiuunt, & ut prius eſt dictũ, uiuunt tantiſper, donec eſt hoc in eis calidum. Quod ne pereat marcore aut ſuffocatiõe, ſubinde habet opus refrigeratione & euaporatione, uulgus medicorum Euentationem uocat. Sicut enim ignis in carbonibus undique obſtructis, & nuſquam habentibus euaporationem, & uelut ſuum quoddam refrigeriũ, extinguitur: tectis autem cinere, durat: ita prorſus accidit in calido naturali, quo uitam habent uel animantia uel plantæ. Plantarũ calor ſatis refrigeratur ab aere circumſtãte ipſas. Animãtia uerò aut ab aere, aut ab aqua. In hoc genere ſunt piſces, in illo pedeſtria. Sed hæc ſunt duplicia. Nam aut parua ſunt, & exiguum habent calorem: aut magna, & multum habent calidi. Illis partim aer circumſtans tantum

tum ſine interno ſpiritu ſufficit ad refrigeratione͂, partim intus in ſepto tranſuerſo, διάφραγμα, uocant medici, Ariſtote. διάζωμα agitatur ſpiritus, ab aere tamen externo refrigeratus. Et *hæc ſunt illis robuſtiora, atq; ſonitu͂ edunt: illa, pelliculæ illius agitatione.* His *uerò eſt opus ad infrigidandum, calorem externo aere attracto per pulmonem.* Hæc *etiã ſunt multiplicia.* Tardius *enim aut celerius, multum aut parum ſpirant, pro quantitate ſanguinis, aut caloris inſiti.* Nam *ſanguinea ſunt omnia quæ ſpirant.* Alterius *generis ſunt ranæ, mures fluuiatiles, teſtudines.* Alterius *homo in primis, cui plurimum eſt ſanguinis & caloris pro ſua proportione, & ſimilia maiora animalia. Scribit* Ariſtoteles, *hominem etiam erectum incedere, quòd habeat pulmonem non modò magnum, ſed etiam cuius uſus crebrior ſit: & honoratior, ex eo quod plurimum & puriſsimum habeat ſanguinem homo. Cognatum eſt cùm eò quod* Ouidius *dicit:*

Os homini ſublime dedit, cœlúmque uidere
Iuſsit, & erectos ad ſidera tollere uultus.

Nam *quod ille tribuit membro ſimul, & præſtantiæ naturæ, ſolum id hic naturæ præſtantiæ tribuit, alter dialecticè formam & finem, alter phyſicè formam & materiam ſpectans.* Porrò *quòd animalia plus aut minus habent ſanguinis, aut omnino ſanguine carent, cauſſa eſt eorum conſtitutio.* Nam *in aliis abundat terra, ut ſunt plantæ: in aliis aqua, ut ſunt in aquis degentia: in aliis aer, ut ſunt pedeſtria: in aliis ignis, ut ſunt uolatilia.* Non *enim eſt aſſentiendum* Empedocli, *qui putauit, quælibet in elementis contrariis naturæ ipſorum uiuere: atque propterea piſces calidiſsimos eſſe, quòd in*

aqua

aqua uerſentur, ut loco ad calorem leuãdum aptiſsimo. Quòd cum ideo abſurdum & contrà rationem eſt, quòd natatilia carent pedibus, quorum beneficio ueniſſent in aquam ex arido: & contraria in cõtrarijs, quod ad materiam attinet, minimè durant, ut glacies, aut cera in igne, ſal aut nitrum in aqua. Materia autem corporum ſunt, humidum & ſiccum. Secus eſt de habitibus & affectionibus, quæ à græcis διαθέσεις *appellantur. Nam illæ poſſunt in contrarijs durare, aut potius bene eſſe, ut calidum corpus in frigido, frigidum in calido. Idem habet locum in reliquis duabus qualitatibus, humiditate & ſiccitate, quando accipiuntur pro habitibus ſeu conſtitutionibus corporum talibus, quales medici nunc appellant complexiones: hoc eſt, quatenus materiam nõ ſignificant, ſed ſolam affectionẽ ortam in corpore, uel ex elementorum permiſtione, uel aere, uel exercitio, aut alia cauſa quacunque. Sed audiamus ipſum Ariſtotelem de hac re dicentem:* τῶν μὲν γὰρ ἕξεων τὰς ὑπερβολὰς ἔχοντες οἱ ἐναντίοι τόποι, καὶ ὧραι σώζουσιν. ἡ δὲ φύσις ἐν τοῖς οἰκείοις μάλιστα σώζεται. οὐ γὰρ ταὐτὸν ἡ ὕλη τῶν ζώων, ἐξ ἧς ἐστὶν ἕκαστον, καὶ ἕξεις, καὶ διαθέσεις αὐτῶν. λέγω δὲ, οἷον εἴ τι ἐκ κηροῦ συστάσειεν φύσις. οὐκ ἂν ἐν θερμῷ θεῖσα διέσωσεν, οὐδ' εἴ τι ἐκ κρυστάλλου. ἐφθάρη γὰρ ἂν ταχὺ διὰ τοὐναντίον. *Et paulo pòſt æquè expreſſe ac eleganter:* αἱ μὲν οὖν φύσεις τῆς ὕλης ἐν οἵῳπερ τόπῳ εἰσίν, τοιαῦται οὖσαι τυγχάνουσιν, αἱ μὲν ἐν ὕδατι ὑγραί, αἱ δ' ἐν τῇ γῇ ξηραί, αἱ δ' ἐν τῷ ἀέρι θερμαί, αἱ μέντοι ἕξεις, αἱ μὲν ὑπερβάλλουσαι θερμότητι ἐν ψυχρῷ, αἱ δὲ ψυχρότητι ἐν θερμῷ τιθέμεναι σώζονται μᾶλλον, ἐπανισοῖ γὰρ εἰς τὸ μέτριον ὁ τόπος τὴν τῆς ἕξεως ὑπερβολήν. *Libet autem aliquãdo græca citare, uel quia ſonantiora ſunt, quàm cum latina ſunt facta: uel quia putem hoc tempore indignum eſſe philoſophiæ ſtudioſo,*

non

non cognitam habere ex aliqua parte græcam linguam, nec habeat hæc res parum momenti ad conſeruandum uſum, & ſtudium eius linguæ in ſcholis.

De vita.

De uita & morte prius eſt quidem dictum, quod for taſſe poterat ſufficere: uerùm non grauabor quædam ad dere, ut res fiat clarior, præſertim cum hoc ordo poſtu- let, idemq́; Ariſtoteles fecerit. Sed ut ſim breuis: Vita eſt duratio calidi cõiuncti cum uegetatrice anima, aut cum humido, ut ſuprà eſt dictum. Qua in re non eſt pugnan- tia. uegetatrix enim anima non poteſt exiſtere ſine humi do. Cæterùm calor eſt in medio collocatus, perfectis & imperfectis. Imperfecta ſunt oua, & ſemina plantarum: perfecta, ipſa animalia & plantæ. In ouorum medio pri mùm naſcitur cor, quod poſtea quoq; in animalibus inde ortis eſt medium: in ſeminum uerò medio prorumpit her ba & radix, ſed in diuerſas partes. unde Ariſtoteles in alio loco δίτυρα uocat ſemina, id eſt, duas ianuas ha- bentia. Quod dictum eſt de animantibus, quæ ex ouis orta ſunt, hoc ſentiendum eſt tum de alijs animantibus, tum de ipſis plantis: in medio ipſorum calorem, ſeu ui- tæ principium eſſe collocatum. Eſt autem omnibus me- dium, quo ſuperiora & inferiora copulantur: ut in ani- mantibus ſanguineis cor, in exanguibus proportionale cordis, in plantis id in quo coeunt radix & germen. Et ſuperiora in animantibus ſunt capita, inferiora pedes: in plantis contrà, ſuperiora ſunt radices, inferiora ſunt germina: ſiquidem ſuperius eſt, quo alimentum capitur. hoc autem eſt os in animalibus, in plantis radix. Prætere- ea tum inſecta, tum plantæ habent multa principia, & propterea uiuunt diuiſa, potentia tamen, non actu.

Quid ſit mors.

De morte, quæ contrarium eſt, aut priuatio uitæ, ſatis eſt ſuprà diſputatum. Itaq; tantum hic illuſtrandæ rei gratia quædam ipſius Ariſtotelis uerba recitabo. Sic ille ait: Mors eſt & uiolenta, & naturalis. Violenta, quando principium eſt extrà poſitum: Naturalis, quando intus eſt principium, & membri conſtitutio talis eſt, qualis à principio fuit, nec adfectio aliũde aduenit. Hæc igitur in plãtis exiccatio uocatur, in animalibus autem ſenectus. Et paulo pòſt: Principium uerò uitæ ijs qui habent, deficit, cum refrigeratur calidum, quod cum illo coniunctum eſt. Quando igitur alteris pulmo, alteris branchiæ fuerint induratæ, areſcentibus ex temporis longinquitate ſic, ut his branchiæ, illis pulmo ſit factus terrenus, non poſſunt mouere has particulas̃, aut tollere, aut contrahere. Tandem uerò facta intenſione, elanguescit ignis. Et hoc eſt, quod ſenes facili de cauſſa, & ſine magna moleſtia uel dolore moriuntur, ſed ut ignis paulatim deficiente materia, extinguuntur. Item generalius in eodem loco non multis interpoſitis addit: Generatio igitur eſt prima participatio nutritiuæ animæ in calido: uita uerò eius duratio. Iuuentus primæ refrigeratiuæ particulæ augmentatio: ſenectus, eius decrementum. Status, quod horũ eſt medium. Mors autem, & corruptio, uiolenta quidem caloris extinctio, & marcor eſt (nam propter utramq; cauſſam corrumpi ſolet) quæ uerò ſecundum naturam eſt, eiuſdem huius eſt marcor, propter temporis longinquitatem & perfectionem factus. Hactenus Ariſtoteles.

Quid ſit palpitatio.

De morte & uita quæ tradidit Ariſtoteles, nũc ſummatim

matim percurrimus. Quia uerò palpitatio, reſpiratio, & pulſus cordis, in quo efficiuntur illa, quædam ſunt accidentia, uel potius effectus ipſius uitæ, quæ in corde exiſtit, adeoq; uidentur eiuſdem eſſe naturæ: non incommodè cauſſæ & diſcrimina quæſita, & oſtenſa hic ab Ariſtotele, à nobis etiam breuiter annotabũtur. Atq; de reſpiratione quidẽ eſt dictum. de alteris duabus affectionibus, ubi dictum fuerit, ſatis res ipſa declarabit, ab eis illam diuerſam eſſe, non aliter quàm ipſæ quoq; ſunt inter ſe. Quod autem hæ duæ ſint diuerſæ, uel hoc oſtendit, quòd pulſus eſt aſsiduus, & natura ineſt animantibus, Græci uocant σφυγμὸν: palpitatio uero, quã illi πήδησιν appellant generali uocabulo, ſpeciali παλμὸν, aſsiduus non eſt; & ineſt contra naturam. Ariſtoteles non ſatis explicatè hoc docet περὶ πηδήσεως. Nam facit illã propemodum uiciatum pulſum, cum ſit morbus, & idem in corde, qui in alijs membris, & πάλμος dicitur. Melius Galenus. Et hac differentia utitur Galenus in ſecundo libro de Sympto. cauſsis. Eſt hæc interior differẽtia, quòd palpitatio ſit per compulſionem calidi, quod eſt in corde, factã ex infrigidatione, habente uim aut excrementa faciendi aut colliquandi (nam περιττωματικὴν & συντηκτικὴν actiuè ſignificant, non paſsiuè, & nouo quidem modo, non ut Vatablus intellexit) ut ſit in metu, qui cum infrigidet, ſuperiora præſertim, quod ſatis cõſtat, calidum in anguſtum coactum, ut ſit circumſtante frigido: talem in corde motum efficit ſaltantem. pulſus autem, qui continens eſt in corde, ac ut eſt dictum, naturalis, eſt inſpiratio quædam aut tumefactio calidi, quod identidem accepit ex nutrimento, cordis ultimam tunicam eleuans, & arterias unà, quæ ortum habent ex corde: quam

ob cauſſam etiam in iuuenibus, quàm in ſenibus, hoc magis fit, cùm nõ tanta horum ſit uaporatio, quàm eſt illorum. Simile quiddam fit in puſtulis, ubi tamen dolor eſt coniũctus cùm illa motione, propter ſanguinis mutationem in pus contra naturam: ac durat ille dolor tãtiſper, donec perfecta fuerit ſuppuratio. Sic etiam in liquoribus feruentibus ſolet accidere. Nam illi calido inflantur ac eleuantur, nec deſinunt donec adeſt calor, aut non effluxerit aliqua pars eorum per uaſculorum orificia. Cæterùm ut Galenus in libello de Pulſib. docet, pulſus etiã, ut reſpiratio, datus eſt animãtib. à natura, ad infrigidandum calidũ naturale. Poſtremò ſic idẽ author in alio libro, quẽ Definitiones medicas inſcripſit, loquitur de pulſu: Pulſus eſt eleuatio uel ſuppreßio corporis in arteria, quæ naturali quodã fit inſtinctu. partes autẽ pulſus, ſunt ſubmißio & eleuatio. Pulſus eſt motus iuxta ſubmißionẽ & eleuationem cordis, & arteriarum, & cerebri, eiusq́; membranarum. Vel, pulſus eſt naturalis motus, ſine uoluntate, caloris, qui in corde & uenis eſt.

Hactenus diſputaui de Anima, & eius uiribus, quanta potui tum luce, tum breuitate: labore, qui tantum non ſuperat hanc meam & ualetudinis & ingenij debilitatem: diligentia præterea & fide, quam requirit ipſa res, & boni uiri officium. Quantum uerò ſim aſſecutus, quantumq́; in commune profuerim, eruditi & aperti facilè intelligent ac iudicabunt. Id enim facere nec debemus ipſi, nec poſſumus etiam commodè, aut ſine reprehenſione: tum nihil debet eſſe nobis honeſtorum uirorum iudicio gratius & antiquius. Tales opto mihi cenſores, quomodocumq; res ſit caſura, tametſi uelim, ut quàm optimè cadat.

FINIS.

CAPITVM ELENCHVS IOAN. LOD. Viuis de anima.

Libri I.

De facultatibus naturalibus in genere. Pag. 1
De auctrice facultate. 7
De generatione. 10
De ſenſibus. 14
De uiſu. 16
De auditu. 19
De tactu. 21
De guſtu. 23
Odoratus. 25
De ſenſibus in genere. 26
De cognitione interiore. 32
De uita rationabili. 36
Quid ſit anima. 37

Libri II.

De partibus mentis. 51
Simplex intelligentia. 53
De memoria & recordatione. 56
De compoſita intelligentia. 65
Ratio. 66
Iudicium. 76
De ingenio. 79
De ſermone. 85
De diſcendi ratione. 88
De cognitionibus, ſeu notitijs. 96
De contemplatione. 99
Voluntas. 101
De mēte in uniuerſum. 107
De ſomno. 110
De ſomnio. 114
Habitus. 120
De ſenectute. 122
De uitæ longitudine. 124
De morte. 126
De animæ humanæ immortalitate. 128

Libri III.

De affectionibus in genere. 149
Enumeratio affectuū. 155
De amore. 157
Cupiditates. 168
De utroq; amore mixtim. 170
De fauore. 188
Veneratio ſeu reuerentia. 190
De miſericordia & ſym=

pathia. 194
Lætitia & gaudium. 200
Delectatio. 201
De riſu. 206
De offenſione. 209
De contemptu. 214
De ira & offenſione. 215
De odio. 224
De inuidia. 228
De zelotypia. 233
De indignatione. 236
De ultione & crudelitate. 239.
De mœrore. 242
De lacrymis. 246
De metu. 247
Spes. 254
De pudore. 255
De ſuperbia. 263

VITI AMERBACHII,

Libri I.

Quid ſit anima. 280
Quomodo hæc expoſitio conueniat cum Ciceronis expoſitione. 286

Libri II.

Quot ſint potentiæ animæ. 313
Quid ſit nutritiuum. 314
An ſint aliæ facultates huic cognatæ. 316
Quid ſit attrahendi potentia. 318
De retinendi potentia. ead.
De coquendi potentia. ead.
De expellendi, apponendi, agglutinandi potentia. 319
Quid ſit aßimulandi potentia. 320
De ſpeciebus concoquendi facultatis. ead.
Quot ſint ſenſus, & quid ſenſibile. 322 & 323
Quare habeant ſenſus animalia. 324
Quid ſit uiſus. 325
Quid ſit lumen. 327
Quid ſit medium. 328
Quid ſit color. 329
Quid ſit auditus. 332
Quid ſit olfactus. 336
Quid ſit guſtus. 341
De tactu. 349
Quare ſint plures ſenſus, quàm unus. 353

Quid

Quid ſit ſenſus communis. 354
Quid ſit phantaſia. 358

Libri III.

Quid ſit intelligendi potentia. 366
Quid ſit intellectus faciens. 373
Quid ſit intellectus ſimplex. 392
Quales motus ſint, intelligere & ſentire. 396
Intelligatúrne aliquid ſine phantaſia & ſenſu. 396
Síntne res an ſpecies rerum in anima. 397
Quid ſit intellectus contemplatiuus & actiuus. 397 & 308
De ſede mentis. 399
De appetitiuo. 401
Quid ſit uoluntas. 402
De motiuo ſecundum locum. 407
Vnde ſit hæc potentia, aut quæ eius cauſa. eadem.
Quod ſit obiectum huius potentiæ. 409
Sítne ſimplex animalis corpus, an compoſitum. 410

Libri IIII.

De memoria. 413
Quid reminiſcentia. 418
Quid uigiliæ. 424
Quid ſomnus. 429
Quid ſomnium. 434
Quid diuinatio ex ſomno. 439
Cur animalia alijs uiuant longius, aut breuius. 441
Iuuentus & ſenectus quid. 442
Quid reſpiratio. 445
De uita. 449
Quid ſit mors. 450
Quid palpitatio. 451

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ALFREDO FARNESI
ROMA
Piè di Marmo 19-20
Legatore di Libri